UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Tomus Secundus

urn:nbn:de:hbz:466:1-72506

Visual Library

TOMI SECUNDI
Controversiæ Primæ,
DE
CONCILIIS ET ECCLESIA,
LIBRI PRIMI
CAPVT DECIMUM,
DE
Conciliorum generalium necessitate.

IN cujus tractatione etsi quoad rem ipsam Bellarmino non adeò adversentur Evangelici, utilitatem Conciliorum, si quæ haberi possunt & ritè instituuntur, generalium ultro, nullam verò necessitatem absolutam agnoscentes; quia tamen Sorbonista *Launojus* peculiari non ita pridem & prolixissimâ ad Jacobum Malatestam, Capellæ Divionensis Regiæ Canonicum, Epistolâ, quæ in tertiâ Epistolarum parte quartum occupat locum, in hâc etiam Quæstione Bellarmino se adversarium stitit, utilitatem & necessitatem Conciliorum triginta & sex testimoniis Romanorum Pontificum demonstrans, inter quæ *Leonis & Gregorii*, utriusque Magni, præ aliis eminent, (quæ tamen omnia & singula an absolutam Conciliorum necessitatem requirant, adeòque Bellarmino rectè opponantur, an verò de hypotheticâ tantum loquantur necessitate, quam Bellarminus etiam urget, studiosus horum Testimoniorum ponderator ex æquo judicet:) illud saltim inde constat, rem esse inter ipsos Papistas non usque adeò certam & indubiam, sed adhuc ultrò citròq; ventilari, id quod de aliis etiam in hâc Materiâ Quæstionibus proximè observabitur. Nunc ea solùm breviter notasse non erit nullius operæ pretium, quæ idem *Launojus* circa Bellarmini in hâc Quæstione enodandâ methodum duxit expendenda, antequam quid Augustinus de hâc re senserit, videamus. Illud autem ante omnia prætereundum non esse putavit, quod Bellarminus in capite nono antecèdente diversas sex causas enumerans, ob quas Concilia celebrare sit consultum, silentio prætermiserit observationem Canonis Nicæni, statuentis, *ut singulis Annis per unamquamque Provinciam bis Concilia celebrentur*, quam tamen Constitutionem mutatam in Synodo Tridentinâ, & terminum triennalem Conciliis Provincialibus præfixum fuisse, *Launojus* ignorare non potuit, dum *Coriolanus* id ad Canonem numero trigesimum & octavum ex iis, qui dicuntur Apostolorum, idem cum Nicæno statuentem, diligenter notavit, alias quatuor adducens causas, ad Conciliorum Provincialium necessitatem persvadendam, præter eas, quæ Bellarmino visæ fuerunt prægnantes, ut Concilia præprimis generalia censeantur esse utilia & suo quodam-modo necessaria, id quod ad innocentiam Bellarmini aliquatenus demonstrandam contra *Launojum* posset inservire, qui in cæteris etiam non usque adeò æquus hic quidem in Adversarium videtur, judicans, Bellarminum pronuntiando, *Concilia*, nimirum generalia, de quibus in specie hoc caput agit, *non simpliciter, sed suo quodam-modo esse necessaria*, quævis producta à se Romanorum Pontificum testimonia enervate & à proposito deflectere, quâ in re injuriam fieri Bellarmino, si Controversiæ status ritè formetur, & ipsa Pontificum verba accuratius inspiciantur, patebit, ut jam prænonui. Alia quoque sunt, ob quæ rigidius cum Adversario in hâc materiâ *Launojus* Sorbonista

egisse, negari non potest, ut quod Exempli gratiâ primum Ecclesiæ triennium ita describit Bellarminus, *quod nulla in eo celebrata fuerint Concilia*, quæ communiter vocantur Generalia, *& tamen Ecclesia non perierit*, argumentum inde non planè nullius momenti ducens, *quod eum in modum, quo Ecclesia per illud tempus trium Seculorum, cui non defuerunt multæ hæreses & schismata, alia itidem vitia & abusus, sine tamen Conciliis generalibus mansit incolumis neq; opprimi potuit, eodem quoque aliis tribus Seculis, & rursùs aliis atque aliis mille permanere sine dubio potuisset*; ad quod reponere nihil aliud potuit, quàm *Concilia quidem Generalia tum quoque fuisse necessaria, sed ne tunc temporis calamitosissimi fierent, horrendas Christianorum vexationes obstitisse, celebrata autem nihilominus ea inter diversis in locis fuisse Concilia, prout Imperii tum Barbaries tulit, nunc parva, nunc satis magna, quæ generalibus plerisq; possint æquiparari.* Atqui, si ad Bellarmini innocentiam adhuc porrò demonstrandam illud etiam adjicere licet, si Concilia, quæ dicuntur Generalia, ne pereat Ecclesia, absolutè sunt necessaria, pereundum omninò fuisset ei per illud temporis intervallum, quo Persecutionibus continuis instanter & continuâ serie durantibus nullum Generale Concilium potuit celebrari; tale videlicet Concilium Generale, de quo in hâc Quæstione sermo est, & in quo significatu Nicænum ab omnibus primum est habitum, cui nullum ex iis, quorum ex *Eusebio* mentionem *Launojus* facit, ullâ ratione æquiparari potest, si standum est judicio eorum, qui hactenus ex observatione circumstantiarum Generalia à particularibus Conciliis segregârunt, de utrisque aliter atque aliter statuentes. Libuit hæc in gratiam Bellarmini, vel potius Veritatis adducere, ut inde etiam adpareat, non semper ad recti normam agere, qui Adversarium sibi sumunt omnibus modis oppugnandum, nonq; rarò partium studio à laudatæ Veritatis lineâ abripi, quibus nihil non in hoste displicet; id quod *Launojo* etiam, Viro aliàs judicii singularis, & qui non semel Bellarmini vitia apertissimè detegit, aliorumque non paucos errores ex debito & seriò examinat, accidisse, notabili hoc Exemplo fecit manifestum, quod ne præter Instituti rationem à me productum videatur, addo, Augustinum à *Launojo* præteritum, cujus tamen plurima à Bellarmino in hoc Capite facta est mentio, ut Eum à suis stare partibus demonstraret, & quem *Launojus* eidem eripere non potuit, non sine manifesto Veritatis Augustinianæ præjudicio. Equidem non ita in salvo posita videbatur authoritas Augustini, ut non in disputationem vocari possit. Hinc Bellarminus quoq; non dissimulavit ea Augustini loca, quæ omnimodam Conciliorum generalium necessitatem urgere videntur, non in genere solùm scribentis, *fuisse quasdam hæreses, ad quas superandas necessarium fuerit Concilium Occidentis & Orientis plenarium*; sed in specie etiam de Controversiâ inter Cyprianum & Stephanum, hunc Romanæ, illum Carthaginensis Ecclesiæ Antistitem, quoad rebaptizationem hæreticorum vel ab hæreticis baptizatorum, variis animorum motibus agitatâ monentis, *eam, etiamsi multæ præcessissent Conciliorum particularium & Sedis Apostolicæ definitiones, finiri tamen nunquam potuisse, donec generalis Concilii accesserit Sententia*, ad quæ Bellarminus non uno eodemque modo, nec pari successu respondet. Ad prius quidem non malè observat, *Augustinum non docere, Concilia*, quæ dicuntur *generalia, ullo unquam tempore fuisse simpliciter, sed solùm modo quodam necessaria; ipsumq; Augustinum, eodem in loco, quo ad aliquas hæreses superandas necessaria scripsit Concilia*, inter quas Arianam Bellarminus præcipuè refert, *id etiam monuisse, eas fuisse rarissimas, multòque ac incomparabiliter plures esse vel fuisse, quæ, ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerint, atque per cæteras indè terras devitandæ potuerint innotescere*, quarum numero Bellarminus ex antecedente Augustini tractatione accenset Pelagianam, eâ occasione tractans Quæstionem, *quare magis eguerit generali Concilio causa Arianorum, quàm Pelagianorum?* quæ, quia ad Institutum præsens non pertinet, non immeritò prætermittitur, hoc solùm attento, Bellarminum primas in damnatione hæreseos Pelagianæ partes adscribere Sedi Romanæ, quas adscribere debuisset Conciliis Provincialibus, quorum Ipse cum laude meminit, quammaximè in hoc negotio laborantibus, quorum magnam partem dum supra non semel Augustinum fuisse diximus, scriptis quoque suis Pelagii errores masculè oppugnantem, id quod ipsi etiam Pontifices Romani gratâ agnoverunt mente, Bellarminus hic ingratâ præteritione non debuit sepelire. Ad posterius Augustini monitum de hæreticorum anabaptismo Bellarminus non ita aptè respondet, ac in gratiam tam augusti Doctoris respondere debuisset & commodè potuisset. Dicit, *fortasse non verum esse, quod Augustinus putavit, Quæstionem illam non potuisse ante generalis Concilii Sententiam finiri.* Atqui Augustinus in nullo Testimoniorum, quæ Bellarminus citavit, illud expresè scri-

lib. IV. c. duas Epist. Pelag. cap. 12.

lib. I. de Bapt. c. Donat. cap. 7. & 18. & lib. II. cap. 4.

ſcripſit. Hoc quidem dixit Sanctiſſimus Pater & ingenuè confeſſus eſt, *Quæſtionis hujus obſcuritatem prioribus Eccleſiæ temporibus ante Donati ſchiſma magnos Viros & magnâ charitate præditos Patres Epiſcopos ita inter ſe compuliſſe, Pace ſalvâ, diſceptare & fluctuare, ut diu Conciliorum in ſuis quibusq; Regionibus diverſa mutaverint ſtatuta, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrimè, ſentiebatur, remotis etiam dubitationibus firmaretur.* Sed nihil hic de impoſſibilitate auguſtus Doctor habet, de eo tantum agens, quod factum vel potius non factum eſt; non quod finiri illa Quæſtio non potuerit, ſed quod finita non fuerit, teſtatus. Potuiſſet fortaſsè & de jure debuiſſet Controverſia hæc multò citius & minore cum ſcandalo infirmorum finiri, ſi res à parte præprimis Romanenſium ritè fuiſſet tractata, & niſi Stephanus Papa præpoſtero agitatus zelo intempeſtivis Excommunicationibus animos eorum, quos per Spiritum lenitatis ſanari juſtum erat, magis ſemper magisque exacerbaſſet, triſti hoc ſchiſmate Eccleſiam aliàs ſatis adflictam miſerè lacerans. De cætero, quidquid ſit de univerſalis Concilii circa hanc Quæſtionem definitione, cujus reſpectu Auguſtinus ſcripſit, *reſtat, ut hoc de Baptiſmo piè credamus, quod Eccleſia univerſa à ſacrilegio Schiſmatis remota cuſtodit*, illud tamen de ſuo & ad mentem ſuam non ſine causâ addidit: *In quâ tamen ſi aliud alii, & aliud alii adhuc (NB.) de iſtâ Quæſtione ſalvâ Pace ſentirent, donec (NB.) univerſali Concilio unum aliquid eliquatum ſincerumq; placuiſſet, infirmitatis humanæ errorem cooperiret charitas unitatis.* Notari hic circa utrumque Auguſtini teſtimonium debet, Eum in priori mentionem facere Concilii alicujus plenarii tempore præterito, in poſteriori autem futuro demum tempore celebrandi, id quod ex duabus particulis, *adhuc* & *donec* perſpicuum eſt, quæ diverſa utriusque tempora indicant, à Bellarmino tamen planè neglecta, ac ſi nihil omninò intereſſet, ſatis exiſtimans dicere, *Auguſtinum per Concilium illud plenarium*, cujus etiam aliàs in citatis contra Donatiſtas libris non ſemel mentionem facit, quamvis diverſi temporis reſpectu, *Synodum Nicænam intellexiſſe*, quod tamen apud alios Romanenſes non extra dubium eſſe, infra ſuo indicabitur loco. Illud nunc inſuper adjicio, ipſum quoque Bellarminum, quod de impoſſibilitate Definitionis circa hæreticorum rebaptizationem à Cypriano acriter defenſam minimè per Auguſtinum adſertâ ex propriis Ejus verbis monui, contra ſeipſum obſervaſſe, ſcribentem: *Etiamſi Quæſtio hæc finita non fuiſſet usque ad Concilii plenarii definitionem, ut Auguſtinus dicit, non tamen inde oporteret colligere, non potuiſſe finiri.* Quod verò Bellarminus Pontificis Romani Cyprianum cum ſequacibus anathemate percutientis rigorem emollire conatur & excuſare, oleum perdit & operam, ut ſupra eo in loco eſt oſtenſum, ad quem ipſe Bellarminus digitum intendit. Præterea dum capite ſequenti probare intendit, *Concilia Epiſcoporum*, etſi non generalia, quæ communiter Oecumenica dicuntur, *aliqua* tamen, nimirum particularia, quæ in Nationalia, Provincialia & Diœceſana diviſit, *omninò & ſimpliciter eſſe neceſſaria*, præter alias rationes ad authoritatem quoque Patrum provocans, nullo tamen Auguſtini teſtimonio nixus, eomet ipſo faſſus eſt, Auguſtinum hanc non agnoſcere Conciliorum ſive generalium ſive particularium omnimodam neceſſitatem, utut aliquam præ ſe ferre aliàs & alibi videatur, nominatim, quando de Ebrietatis malo per illud tempus Africam invadante notanter ſcripſit, *tantam eſſe hujus mali peſtilentiam, ut ſanari prorſus, quantum ſibi videatur, niſi authoritate Concilii, non poſſit.* Alibi tamen turſus ea monuit, quæ omnimodæ huic neceſſitati non immeritò videntur contraria, ſtatuens, *etſi non facilè pro uno vel pro paucis adverſus innumerabiles ejusdem Religionis & unitatis viros, magno Ingenio & uberi doctrinâ præditos, niſi pertractatis pro viribus atque perſpectis rebus, ferenda ſit ſententia; non tamen fieri non poſſe*, id eſt, non eſſe omninò impoſſibile, *ut in obſcuriſſimâ* (etiam) *Quæſtione verius unus paucive pluribus ſentirent*, adeòque plus quàm generalis Concilii Epiſcoporum Sententia valeant & ex debito prævaleant, quod infra etiam inſervire poterit, ubi de Conciliorum authoritate agetur. Nunc illud adpendicis loco ad hanc Bellarmini de *Conciliorum neceſſitate*, diſputationem obſervaſſe non erit nullius planè momenti, Bellarmino non defuiſſe cauſas, ob quas non omninò nec abſolutè neceſſaria dixit Concilia, quæ diſtinctim & in reſpectu aliorum dicuntur generalia, etſi eas non apertè indicavit, ſed pro *ratione Statûs* Aulæ Romanenſis non imprudenter adeò diſſimulavit; ſicut è contrario *Launojus* ex cauſis itidem privatis, nimirum ad Libertates Eccleſiæ, vel potius regni Gallorum defendendas pertinentibus, omnimodam & abſolutam Conciliorum non particularium modò, ſed generalium quoque neceſſitatem adſtruere contra Bellarminum laboravit. Intereſt

Epiſt. 64. ad Aurel.

lib. III. de Bapt. c. Donat. cap. 4.

nimirum Ecclesiæ vel regni Gallorum, ut ad retinendas libertates, quibus ex longissimi temporis præscriptione fruuntur, & frui se in publico gloriantur, non omninò desinat usus Conciliorum verè generalium, & quæ non Papæ solùm genio agantur, sed spiritu Episcoporum ex omnibus Ecclesiis particularibus congregatorum libero, adque bonum commune ducto, ne extinctâ hâc Conciliorum libertate Papæ solùm extra Concilium quoque definientis authoritas non sine gravioris jugi impositione obtineat; qui respectus ex parte Romanensium Papicolarum, quorum Bellarminus causam egit, in contrarium planè ducit, ut videlicet prætensa hæc omnimoda & absoluta Conciliorum generalium necessitas animis fidelium eximatur, ne eâ locum habente dicta Papæ extra Concilium & sine Concilio authoritas periculum aliquod diminutionis incurrat, quod antehàc non semel eam per Conciliorum generalium celebrationem incurrisse, Exemplo non uno docti, vestigia talium fugere omnibus modis studeant. Ita hi homines diverso Spiritu, neutri bono, ad bonum non Ecclesiæ, sed proprium ducuntur, minimè in hoc Spirituales, nisi Sensu suspecto.

vid. Cellot. de Hier. lib. 4. cap. 10. §. ult.

CAPVT DUODECIMVM,
De
Conciliorum generalium Convocatore.

IN hoc Capite & sequenti, quæ Pontificem Romanum pro Conciliorum generalium Convocatore sistunt, etsi solo paragrapho primo excepto, nulla prorsus Augustini mentio fiat, in rigoroso ramen eorum Examine *Launojus* Sorbonista ad Ejus provocat authoritatem, ex Epistolis Ejus & Tractatibus diversis ostendens, ante Concilium, quod inter universalia primum numeratur, Nicænum alia duo, Romanum videlicet & Arelatense, in causâ Cæciliani & Donatistarum, ab Imperatore Constantino fuisse congregata, de quibus etiam ad antecedens modò caput *Launojus* sine dubio scripsit, *quod generalibus plerisque possint æquiparari*, Arelatense inprimis, de quo infra pluribus agetur, ubi, quid Augustinus per Concilium plenarium voluerit intellectum, ex eodem *Launojo* observabitur. Ideò id autem ex Augustino monuit *Launojus*, ut eò facilior sit demonstratio ad aliorum quoque, etiam generalium, ut dicuntur, Conciliorum ab Imperatoribus Christianis factam convocationem, quam de primis octo, totidem Epistolis, ad diversos, utplurimum Parisienses, Theologos, citatâ parte sextâ exhibitas, contra Bellarminum testimoniis pluribus Scriptorum Ecclesiæ ostendit, examinatis etiam omnibus iis, quæ Bellarminus in contrarium adduxerat, undè iterum mala, si non pessima Ejusdem fides, si modò fides sit dicenda, Luci publicæ exponitur, dum nullius in utroq; capite Scriptoris testimonium à Bellarmino citatur, in quo *Launojus* non invenerit, quod jure possit desiderari, adeò rem hanc negligenter, ne quid gravius dicam, Eruditionis Polemicæ condus & promus tractavit, ut non immerito pudore suffundi deberent, qui Bellarminum omnes Controversiarum thesauros exhausisse contra hæreticos gloriari non verentur. Ego ad hæc, quia Scopo non inserviunt, quæ utroque in capite exhibentur, è magno observationum numero, quas *Launojus* contra Bellarminum prolixissimè collegit, illam modò breviter adnecto, in cujus gratiam hic Sorbonista peculiarem, quæ undecimum in hâc parte Sextâ occupat locum, ad Thomam Rullandum, Parisiensem quoque Theologum, scripsit Epistolam, cujus primam partem inte-

Tom. 6. Epist. 1. pag. 16. & seqq.

„gram hic adpono: *Bellarminus* de generalium Conciliorum indictione & convocatio-
„ne sic disputat, ut quamvis manifestè constet, Tridentinum inprimis Concilium à Pon-
„tifice Romano indictum & congregatum esse, adfirmari tamen possit, ab Imperatore
„& Christianis Principibus indictum & congregatum esse. Docet enim, *esse verò*
„*Pontificis, non Imperatoris, congregare Synodum generalem.* Deindè ut argumenta di-
„luat huic Adsertioni contraria, hoc sibi sumit, ut dicat, *nullum esse Concilium generale*
„*Catholicum à solo Imperatore indictum*, id est, *sine consensu & authoritate Pontificis Roma-*
„*ni.* Tùm illud quoque posuerat, *satis esse, si Concilii indictionem ab Imperatore factam*
„*posteà Romanus Antistes ratam habeat atq; confirmet.* Quô ita constituto, in Bellarmini
„opinione Pontifices Romani censentur Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesi-
„num & Chalcedonense Concilium indixisse & coegisse, quia Imperatores hæc qua-
„tuor Concilia non sine consensu Romanorum Pontificum indixerunt & coegerunt, &
„quia Romani Pontifices Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis
„Concilii indictionem ab Imperatoribus factam habuerunt ratam & confirmârunt.

Quis

„Quis modò Bellarminianam diſputandi methodum ſecutus non diceret, Tridentinum „Concilium ab Imperatore & Principibus Chriſtianis indictum & convocatũ eſſe, quia „Romanus Pontifex hoc Concilium absque Imperatoris & Principum Chriſtianorum „conſenſu nec indixit, nec convocavit, & quia Imperator & Principes Chriſtiani indicti„onem Concilii Tridentini à Romano Pontifice factam habuerunt ratam & confirmâ„runt? Proſpicio quidem, illum, qui hoc diceret, etiamſi verum diceret, Eruditorum & „cordatorum hominum ludibrio expoſitum iri; ſed ludibrii cauſa in Bellarminum non „poteſt non transferri. Bellarminus ergò ridebitur, quod ea ſibi ſumat Lemmata, qui„bus, quod contendit ædificare, funditùs evertitur. Si ſolus rideretur Bellarminus, „ferri quidem hoc utcunq; poſſet; ſed in Bellarmino plerique omnes Catholici (Ro„mano-Papæi) Scriptores ridentur ab hæreticis, quippe qui Veritatem ſuis non quærant „legibus, & in tractando communes parent locos, qui omni materiæ, ac proindè nulli „conveniant. Profecto, longè ſatius eſſet, dicere id, quod res eſt, nempè, Concilia, quæ „authoritate Principum indicta ſunt & coacta, authoritate Principum indicta eſſe & „coacta, quàm tali modo, qui ridiculos efficiat Scriptores, diſputare, quàm univerſales „ponere Adſertiones, quæ verâ uniuscujusque Concilii diſciplinâ & traditione certâ comprobari nequeunt. Hæc Ille & plura adhuc non prolixius exſcribenda, qui dum prima quatuor Concilia, quæ dicuntur generalia, expreſsè ab Imperatoribus indicta & convocata ſcribit, idque, ut jam dixi, plurium Scriptorum teſtimoniis probat, idem ſcribit & probat, quod & Bellarminus ſcribere & probare vi Veritatis fuit coactus: *Habemus, prima hæc Concilia ab Imperatoribus indicta fuiſſe, ſed ex Pontificum Sententiâ & conſenſu.* Addit: *Cur autem non Pontifex ſolus indicârit, ut poſteà factum eſt, ratio non erat, quia Concilium ſine Imperatoris authoritate coactum non eſſet futurum apud Chriſtianos ratum, ſed propter multas alias juſtiſſimas cauſas*, quarum ultima hic recenſeri meretur, *quia eo tempore Pontifex, etſi in ſpiritualibus eſſet caput omnium, etiam Imperatorum, in temporalibus tamen ſubjiciebat ſe Imperatoribus; & ideò non poterat invito Imperatore aliquid agere, & cùm tantum debuiſſet petere auxilium ab Imperatore ad convocandam Synodum, vel ut permitteret Synodum convocari, tamen quia Eum Dominum ſuum temporalem agnoſcebat, ut juberet Synodum convocari, ſupplicâbat.* Ultima hæc Verba dum Monarchicis Defenſoribus Romæ non potuerunt placere, ideò Bellarminus, ſine dubio monitus ab iis, in recognitione librorum ea hunc in modum emollire ſtuduit: *Quod dicimus, Pontificem Imperatoribus olim fuiſſe ſubjectum, ut Dominis ſuis temporalibus, intelligimus de facto, non de jure. Cùm enim poteſtas ſpiritualis ſuperior ſit temporali, nulla patitur ratio, ut Princeps ſupremus ſpiritualis jure ſubjiciatur Principi temporali, quamvis ſupremo; ſed authoritas Summi Pontificis paulatim magis atque magis declarata eſt.* Hæc emollitio quantum valeat, ex Auguſtino infra bono cum DEO demonſtrabitur. Ea inter nunc ſaltem pro confirmatione eorum, quæ de primorum quatuor generalium Conciliorum convocatione per Imperatores factâ Bellarminus & *Launojus*, ſcripſerunt, addo teſtimonium *Gelaſii* Papæ, quod *Ivonis* Decreto & *Gratiani* Concordiæ legimus inſertum, cujus pars prima hæc eſt: *Sancta Romana Eccleſia poſt Veteris & N. T. Scripturas, quas regulariter ſuſcipimus, etiam has ſuſcipi non prohibet: Sanctam Synodum Nicænam, trecentorum & octodecim Patrum, mediante Conſtantino Maximo Auguſto, in quâ Arius Hæreticus condemnatus eſt; Sanctam Synodum Conſtantinopolitanam, mediante Theodoſio Seniore Auguſto, in quâ Macedonius hæreticus debitam accepit damnationem; Sanctam Synodum Epheſinam, in quâ Neſtorius damnatus eſt, conſenſu Beatiſſimi Papæ Cœleſtini, mediante Cyrillo, Alexandrinæ Sedis Antiſtite, & Arcadio, Epiſcopo ab Italiâ deſtinato; Sanctam Synodum Chalcedonenſem, mediante Martiano Auguſto & Anatolio Conſtantinopolitano Epiſcopo, in quâ Neſtoriana & Eutychiana hæreſes ſimul cum Dioſcoro Ejusque complicibus damnatæ ſunt.* Quid in genere de hâc *Gelaſii* Notitiâ obſervandum ſit, poſt alios monuit laudatus ſuprà *Petrus de Marcâ*, Archi-Epiſcopus Pariſienſis, in de *Concordiâ Sacerdotii & Imperii* opere. Nunc id tantum moneo, quod Gelaſius dicit, mediantibus his vel illis Imperatoribus celebrata eſſe hæc Concilia, aliter intelligi non poſſe vel debere, quam Eorum authoritate convocata eſſe. Cur autem circa Synodi Epheſinæ mentionem hoc idem de mediatione Imperatoris Theodoſii Junioris monere omiſerit, non ita apertè conſtat. Sufficit tamen, Eum non Cœleſtino Papæ, ſed *Cyrillo Alexandrino* hanc adſcripſiſſe mediationem, ſolo conſenſu Pontificis relicto, quod contra Bellarminum obſervaſſe ſatis eſt; contra quem inſuper *Launojus* Sorboniſta, in peculiari de hâc Synodo ad Guilielmum Voellium, Pariſienſem Theologum, Epiſtolâ, notavit, decretum & indictum

conf. Cuſan. de Concord. Cathol. lib. III. cap. 16.

lib. III. cap. 2. num. 7.

Tom. 6. pag. 123. & 124. dictum esse prius à Theodosio Imperatore hoc Concilium, quàm Cœlestinus Papa decretum & indictum esse cognosceret; Imò ex Synodi Historiâ & Actis constare, inchoatam esse Synodum, & secundam Actionem celebratam, cùm Sedis Romanæ Legati advenerint.

His ex *Launojo* breviter excerptis prodiit interea Historia *Norisii* Pelagiana, quæ cum Adpendicibus suis, Dissertatione nimirùm de *Synodo Quinta*; & Vindiciis præsertim *Augustinianis* sudes fuit in oculis eorum, qui pro Romanensis Ecclesiæ Palladio, id est, summâ Pontificis authoritate militant non aliter, tanquam pro focis & aris, jejunaturi videlicet & Igne sacro carituri, si Veritatis Evangelicæ judicio subjiciatur. Hinc *Fulgentius* inprimis *Risbrochius*, qui se Canonicis Lateranensibus adnumerat, id præter alia tulit ægerrimè, quod in hoc opere legit scriptum, *Imperatoris quondam fuisse, oborto*
pag. 180. *schismate Episcopos vocare ad Synodos*, in lemmate hoc Dogma vocans *Lutheranismum*, in ipsâ autem tractatione *fulmen*, quo tangatur non modò, sed etiam frangatur *Arx Authoritatis Apostolicæ*, addens, *Imperatori non licere, nec licuisse unquam Episcopos convocare ad Concilium quocunque prætextu, quoniam hoc spectet ad Ecclesiam.* Plura subjungit è Glosâ Juris Canonici & Concilio Lateranensi quinto, quæ, quia ad præsens Institutum non pertinent, nunc quidem prætermitto. Hoc autem silentio involvere hâc occasione non possum, quod *Anti-Norisius* hic de Jure sollicitus tantummodò, ipsum, cujus occasione adducta scripsit verba *Norisius*, factum ne digito quidem attigit, etiam ubi in ejus recensione tetigit Annalistæ *Baronii* lapsum, quem aliàs castigari ferre solet nimis impatienter. Ita res habet: Meminit Historiæ hujus Pelagianæ Scriptor schismatis Romani post mortem Papæ Zosimi inter Eulalium & Bonifacium *Antipapas*, non procul ab initio Seculi post Christum quinti, regnante *Honorio* Imperatore exorti, de quo commemorat, *quod cognitis hisce dissidiis, ne factionum principes tumultum augerent præsentiâ, Symmacho urbis Præfecto mandaverit, ut utrumq; Pontificem nuper electum Româ dimitteret, omnia tentans interim, quò componeret dissidentes; verùm cum gravioris id negotium cerneret difficultatis, Synodum statuerit* plenariam *cogere apud Spoletum, ac Patres Africanos ad eandem per literas evocaverit*, quas dicit *Baronium* è Codice Vaticano publicâsse, de quo ulterius monet, Eum præter has *Sacras Divales*, sub ejusdem Imperatoris nomine *privatas* ad Aurelium Primatem & *Augustinum*, ac alios sex Episcopos, ex eodem Codice, *ejusdem exempli* recitare, ac putare, quia in eis fiat mentio *Domini Germani Augusti Principis*, Honorium intellexisse *Constantium*, cui ob gestas res præclaras adversus tyrannos Sororem suam *Gallam Placidiam* dederit uxorem. In hoc autem dum Annalistam putat lapsum *Norisius*, adscribentem has posteriores literas, quas respectu priorum vocat privatas, ipsi *Honorio*, cùm tamen citra dubium adscribendæ sint *Placidiæ* Imperatoris sorori, utpotè quæ expresè *Germanum suum Augustum Principem* adpellârit, adjungit pro observatione universali, cujus, id est, *Imperatoris tantùm erat, oborto schismate Episcopos vocare ad Synodos*, non verò Constantii, privati adhuc viri, Comitis nimirùm ac Patricii, quem *Baronius* in literis *Augustum Principem* vocari existimavit. His scilicet verbis *Norisius* ex Sententia *Risbrochii*, quantus quantus est, factus est *Lutheranus*, emittens fulmen non brutum, sed tangens & omninò frangens *Arcem Authoritatis Apostolicæ.* Concurrite cives Romani, vos inprimis Canonici Lateranenses, ac omnes, quibus custodia Capitolii est concredita, ne sitis muti canes, sed tanquam Anseres stridulí edite strepitum ingentem, ut orbis audiat Catholicus, ne Arx illa prodatur, in cujus conservatione cuncti Apostolicæ scilicet authoritatis thesauri versantur unicè atque in solidum. Atqui, si *Norisius* in adlegando Jure Imperatorio circa convocationem Synodorum peccavit, si hæresin Lutheranam hoc ejus Dogma sapit; cur factum, quod ex *Baronio*, sed correcto narravit, & cujus respectu hanc Propositionem exhibuit, non subjecit examini rigoroso *Antidogmatistes*, accusans Honorium, quod falcem Imperatoriam præter debitum immiserit in Ecclesiasticam Messem, producens contradictiones Episcoporum Aurelii Primatis, *Augustini* & aliorum, consultis post *Baronium* Codicibus Vaticanis, an fortè Protestationes ullæ possent inveniri, quibus Imperatori Allotrio Episcopia fuerit objecta. Sed tutius visum fuit abstinere ab hoc, & manum tollere de tabulâ, undè non nisi cum periculo posset retrahi, ei è contrario inferre, qui aliàs etiam esset de collusione cum hæreticis suspectus, & in quem alii quoque jam fecissent impetum. An deserturus sit causam, quam semel suscepit defendendam, quod Antagonistæ jactitant superciliosè, tempus docebit. Ego inter id non possum, quin cæteris testibus Veritatis, quos alii in hujus argumenti tractatione adduxerunt, nunc loco

supple-

ſupplementi addam, quæ ante tria hæc Secula, & quod excedit, *Marſilius Patavinus*, in Defenſore Pacis, ad Imperatorem *Ludovicum*, cognomine *Bavarum*, de hoc Jure Imperatorio ſcripſit, oſtendens, *ad ſolius humani Legislatoris fidelis Superiore carentis auctoritatem pertinere, aut ejus vel eorum, cui vel quibus per jam dictum Legislatorem poteſtas hæc fuerit commiſſa, generale Concilium convocare, perſonas ad hoc idoneas determinare, ipſumque congregari, celebrari & ſecundùm formam debitam facere conſummari, rebelles quoque ad conveniendum, & iam dicta neceſſaria & utilia faciendum, determinatorum quoq; ac ordinatorum in dicto Concilio transgreſſores, tam Sacerdotes, quàm non Sacerdotes, Clericos, aut non Clericos, licitè ſecundùm Divinam & humanam legem per coactivam arcere potentiam.* P. II, c. 21. Hæc Ille, quæ ibi ſufficientibus ex Eccleſiaſtica Hiſtoria confirmat documentis.

CAPUT DECIMUM QVINTUM & SEXTUM,
De
Convocandis ad Concilium.

SÆpius quidem in utroque hoc Capite occurrit mentio Auguſtini, nunquam ita tamen, ut Bellarminus indè ſingulare aliquod habeat commodum, eo ut plurimùm à Statu Quæſtionis abludente, ut Auguſtinum planè non nominaſſe fuiſſet ſatius. Ante autem quàm illud oſtendatur, placet bonâ cum Lectoris veniâ Controverſiæ illius meminiſſe, quæ ante hoc Seculum in Synodo Tridentinâ Patres ibi conſcriptos circa Ejus titulum & Inſcriptionem per aliquod tempus occupavit, Gallorum inprimis Sententiâ eò inclinante, ut dicatur *Synodus Eccleſiam univerſalem repræſentans*, Italis autem omni modò contranitentibus, & contendentibus, *illam nec in Sacris Canonibus, nec in veteribus Conciliis haberi formulam*, ut in deſcribendâ hâc Controverſiâ Paulum Svavim, & Sforziam Pallavicinum, multùm alias inter ſe diſtantes, convenire obſervavit in laudatâ paulò ante ad Thomam Rullandum Epiſtolâ *Launojus*, id inſuper addens, *quia inter ſe conveniunt, rem ita eveniſſe credendum*, hâc cum ulteriori notatione, *Legatos contra hanc formulam proteſtantes non ignoraſſe*, Concilia quatuor, Piſanum, Conſtantienſe, Baſileenſe & Lauſannenſe, & tres Romanos Pontifices, Martinum quintum in Diplomate, quo recipiendorum in Eccleſiam hæreticorum modus præſcribitur; Eugenium quartum in Epiſtolâ ad Fridericum Principem Romanorum; Leonem decimum in Lateranenſis Concilii Seſſione poſt decimam primâ, *illam uſu ſuo conſecraſſe formulam.* Tom. eod. pag. 256. & 257. conf. Scip. Henr. Cenſ. Sect. III, art. 4. p. m. 157. Libuit hujus ideò in anteceſſum facere mentionem, quia quam-maximè ad præſentem pertinet Bellarmini tractationem, Epiſcopos præprimis ad Concilii generalis congregationem admittentis, quaſi ad Eccleſiam cæteri non pertineant, id quod hic ante omnia eſt obſervandum, ut progreſſus eò ſit facilior. Hinc quæcunque Bellarminus ex Auguſtino partim ad Sententiæ ſuæ declarationem, partim ad contrariæ refutationem adducit, ita ſunt comparata, ut ſcopum Quæſtionis non attingant, multò minus rem ipſam conficiant, Lectore per auctoritatis Auguſtinianæ objectionem inaniter deluſo. Nam quod poſt & præter *Hieronymum* Auguſtinus, occaſione oraculi Apoſtolico-Paulini, quo Chriſtus poſt glorioſam ad Cœlos Adſcenſionem Eccleſiæ *& Paſtores & Doctores* dediſſe legitur, notat, *conjunctum eſſe nomen Paſtoris cum nomine Doctoris, quia proprium ſit Paſtorum* (id eſt, Epiſcoporum) *docere*, quod nemo hactenus Evangelicorum vocavit in dubium; nihil omninò ad rem facit. Non enim controvertitur inter nos, an alius in Eccleſiâ ſit ordo Paſtorum, alius auditorum; item, an Epiſcoporum, qui ab Apoſtolo Paſtores dicuntur, munus ſit docere, quod tamen an Papiſtis certum ſit, non immeritò vocatur in dubium; ſed in eo verſatur Quæſtionis cardo, an in Conciliis ſoli admittendi ſint Epiſcopi, quo ſenſu hodie apud Papiſtas dicuntur, excluſis à Sententiâ dicendâ cæteris omnibus, qui non ſunt Epiſcopi, etſi de cætero à Paſtorali munere non adeò procul ſint remoti? Quamvis enim Bellarminus Sententiam, quam dicit Catholicorum, ita videatur proponere, ut locum quoque in Conciliis concedat *Cardinalibus, Abbatibus, ordinum Generalibus, licet Epiſcopi non ſint*; ex Presbyterorum ordine etiam, ut & aliis minoribus Clericis *viros aliquos doctos* admittat, quin & *Principes politicos, veletiam ex Laicorum numero*; non tamen aliâ ratione id permittit, quàm *ut illi quidem in diſputando juvent, iſti verò Concilium defendant & transgreſſores pœnis corporalibus puniant, hi tandem utiles ſint vel neceſſarii ad aliquod miniſterium*, ac omne id fiat ex *Privilegio & conſvetudine tantum*, reſervato Epiſcopis ſolis *Suffragii deciſivi jure ordinario*, quod an Paulus, adque Ejus oraculum Auguſtinus, deſcriptione Officii Paſtoralis ſeu Epiſcopalis voluerint ſignificare, neſcio, an ita facile ſit demonſtratu, ac primâ videtur Epiſt. 59. ad Paulin. facie,

facie, Bellarmino rem hanc quasi extra omnem ponente controversiam, quæ tamen prolixâ opus habuisset probatione. Neque eum juvat quidquam, quod porrò in sequentibus ex Augustino & aliis Ecclesiæ Doctoribus adfert, qui *Concilia* dixerunt esse *Episcoporum*, cùm ex Rhetoricis locutionem Synecdochicam debuisset intelligere, juxta quam positâ parte unâ non excluditur altera, nosque Evangelici ultrò largiamur, à potiori denominationem fieri, minoris tamen respectu non planè sepositò, sed simul subintellecto; id quod statuendum quoque est de aliâ ejusdem augusti Doctoris Sententiâ, quâ juxta Bellarmini mentem dixit vel scripsit, *Concilii Episcoporum consensum esse totius Ecclesiæ consensum*; quamvis si Augustini verba ritè attendantur, alium planè Sensum nobis objiciant, nimirum, *Concilii illius plenarii*, cujus iteratam sæpius in illo contra Donatistas Scripto facit mentionem, *Concilii, inquam, illius plenarii*, de quo infra pluribus, *Sententiam fuisse totius Ecclesiæ consensu* (vel consensione) *firmatam*, quando videlicet facta in eodem contra hæreticorum anabaptismum decisio totius Ecclesiæ consensu probata fuit, & mediantibus Episcopis tanquam ordinariis Pastoribus acceptata, quod tam nihil juvat Bellarmini causam, quàm si Tridentinæ Synodi sententiam totius Ecclesiæ, quæ Pontificem Romanum pro Episcoporum maximo habet, consensu dicat firmatam, exceptâ tamen Galliâ, quæ etsi in Doctrinâ Fidei decretis in eâ factis non contrariatur, ob alia tamen ibidem statuta, quæ libertatibus Ecclesiæ Gallorum videntur contraria, Promulgatio utut sæpius & frequentissimè tentata hactenus impetrari non potuit, præter Grammondum, Thuani Continuatorem, *Petro de Marcâ* in de Concordiâ Sacerdotii & Imperii, cum non unis observationibus id referente, ab aliis etiam non semel nec uno in loco notatum. *Superest* objectio aliqua ex Augustino, quam Bellarminus refutandam sumsit; Videlicet ex numero Exemplorum, quæ docent, *coram populo tanquam judice causas Fidei disputatas fuisse*, illud etiam observatu dignum est colloquium, quod Augustinus coram auditoribus suis cum Maximino Arianorum Episcopo habuit, non alium certè in finem, quam ut expensâ utriusque Sententiâ ad normam S. Scripturæ judicarent, uter eorum in viâ Veritatis orthodoxæ incederet, ac penes quem victoria staret. Distinctione huic Exemplo satis conatur facere Bellarminus, dum *aliud esse dicit Judicium publicum, aliud verò privatum; hoc tantum, non illud populo esse adscribendum.* At abludit iterum Bellarminus à Controversiæ statu, cùm hic non agatur de potestate judicandi, quam neque Episcopis in Concilio congregatis absolutè concedimus, sed de interessendi jure, an nimirum ordini Laicorum, sive jam Superiores sint, sive inferiores, omnis in Concilio locus denegari debeat, iisque ad ea solùm amplectenda sint obligati, quæ ab Episcopis hanc authoritatem sibimet adtribuentibus Synodaliter decernuntur & præscribuntur. De cætero sicut Laici, quatenus Laici, judicium, quod Bellarminus ad differentiam publici dicit privatum, in publico neminem obligat; ita si id ad normam S. Scripturæ formetur, quæ Spiritus probare docet, cur non quemvis in Conscientia, atque adeò publicè etiam obligare possit dici, planè non video. Locum hic habere debet *Ambrosii* illud, ad quod Bellarmino, quod respondeat, in promtu non fuit: *Iste populus judicet, cujus in corde lex Divina est, non humana; Lex non atramento scripta, sed Spiritu DEI vivi.* Et hanc Augustini etiam fuisse Sententiam, dubitare non licet iis, qui Augustinum quævis *Ambrosii* dicta vel scripta in summo habuisse pretio non nesciunt.

Epist. 119. ad Januar.

lib. 1. de Bapt. cap. 18.

lib. II. cap. 17. num. 6. & 7. conf. Limn. Notit. Franc. lib. III. cap. 8.

Orat. in Auxent. lib. V. Epist. 32.

CAPUT DECIMUM NONUM & VIGESIMUM,
De
Generalis Concilii Præside.

HUnc dum nonnisi Pontificem Romanum esse vult Bellarminus, omnia iterùm more suo comportat, quæcunque aliquâ saltem ex parte & in speciem id videntur insinuare, Augustino tamen nullibi ad testimonium vocato, nisi quod in objectionum Refutatione, quæ ex augustissimo hoc Patre in contrarium adferuntur, amoliri à se omnibus modis conatur. Duo autem sunt præprimis, undè constat, hunc Sanctum Doctorem Pontificis Romani authoritatem quoad jactatum in Conciliis præsidium non agnovisse. Et prius quidem exhibet Augustinum historicè referentem, quid in causâ Cæciliani, Carthaginensium Episcopi, ex unâ, ex alterâ verò parte Donatistarum ab Imperatore Constantino sit factum, eis primùm dante Episcopum Romanum cum aliis quibusdam Episcopis, postmodùm ab hujus Concilii Sententiâ adpellantibus alios in Gal-

Epist. 48. & 162.

liâ Episcopos, & cùm neque hi satis omni ex parte facerent, sibimet ipsi ultimum ad eorúm petitiones reservante judicium, quod omninò fieri neque debebat, neque poterat, si id Jus Pontifex Romanus ad se solum pertinere, vel ipse Constantinus Princeps omnium Christianissimus sibi minus id competere existimasset, nihil aliàs agens, quod officii sui limites transgredi judicavit. Bellarminus dum ad hoc factum respondere debuit, quia ritè non potuit, calumniatus est, scribens, *hæreticos argumentari ex gestis hæreticorum. Nam quod malè fecerint recurrendo ad Imperatorem tanquam Judicem, & quod pejus fecerint rursus ad Eum adpellando, Augustinum agnoscere, Donatistas meritò reprehendentem, quod Cæcilianum apud Imperatorem accusaverint, cùm potius apud Episcopos transmarinos Eum convincere debuissent, & laudantem è contrario Imperatorem, quod ordinatius egerit, Donatistas ad se venientes remittendo ad judicium Melchiadis, Romani Pontificis, & quod ægrè tulerit ad se adpellari, judicans, coactum se post Episcopos, ut vel sic frangeret furorem Donatistarum, insuper etiam, quod intellexerit, se judicare non posse suo jure, sed eâ tantum spe, quod Episcopi posteà veniam illi darent, à quibus eam petiturus erat.* Atqui, non ex gestis hæreticorum, sed partim ipsius Constantini Imperatoris, partim ipsius Episcopi & Pontificis Romani, aliorumque Episcoporum ad id delectorum argumentantur Evangelici. Non ex gestis hæreticorum, dico, utut non omnia hæresin sapiant, quæcunque ab hæreticis vel dicuntur vel aguntur, ut aliundè manifestum est; sed partim ex actis ipsius Constantini, quem Christianissimum modò dixi Imperatorem, non facilè quidquam extra & præter Muneris sui rationes agentem. Nota est in vulgus illa vox celebris, quâ *Episcopos intra, se Episcopum extra Ecclesiam Divinitus constitutum* dixit, quamvis ab hoc argumento abstinendum esse iis censuit *Petrus de Marcâ*, qui eo ad adserendam Principibus tuendæ Ecclesiæ authoritatem uti solent, motus Græci apud Eusebium Textûs verbis, *non ad res, sed Personas* respicientibus, ita ut significetur, *Episcopos Eorum gerere curam, qui Ecclesiæ adscripti fidem Christianam profiterentur; se verò gentilium, qui essent extra Ecclesiam, saluti consulere, Sacrificiis paganorum vetitis, Dominicæ diei cultu ipsis etiam gentilibus præcepto &c.* quæ tamen an ad Constantini mentem dici possint verè, multum omninò dubitatur. Quidquid autem de eo sit, quod Eruditis amplius discutiendum proponitur, id certum est, quod idem *Petrus de Marcâ* ibidem Eusebii authoritate refert, *hunc ipsum Constantinum Synodis Episcoporum à se* (NB.) *indictis interfuisse, atque Rerum in deliberationem vocatarum se participem fuisse, communemque procurasse concordiam, tanquam communem Episcopum à Deo constitutum.* Ad laudem Constantini Imperatoris hæc pertinere nemo non videt, qui Jure etiam naturali id urgente suum cuique didicit tribuere; quam laudem nullo planè modo minuit, sed potius & insigniter quidem auget, quod Augustinus locis per Bellarminum citatis, & de quibus supra etiam fuit actum, in causâ Cœciliani & Donatistarum ab Eo non sine multo labore actum per partes memorat, quo facilè occupatissimus circa res Imperii ordinandas supersedere potuisset, nisi conscientiâ urgente suam quoque circa res Ecclesiæ ex debito componendas operam summè duxisset necessariam, à nemine unquam ob id tanquam falcem in alienam messem mittens severiori Censuræ objectus, nisi Bellarminum malè judicandum sit scripsisse, *Constantinum fuisse quidem magnum Imperatorem, sed non magnum Ecclesiæ Doctorem*, quod supra etiam ex debito animadversum fuit. Sed & addidi, partim ex actis ipsius Episcopi & Pontificis Romani aliorumque Episcoporum in Italiâ & Galliâ ad id à Constantino deputatorum argumentantur Evangelici, cùm de nullo eorum Augustinus quidquam narret, undè Suspicio potuerit nasci, ægrius illos tulisse id, quod Constantinus in negotio hoc tantâ cum sollicitudine egit, aliosque etiam ex Ratione officii agere voluit. Pontifex certè Romanus, cujus hodiè Successores omnia *motu proprio* agere videri volunt, moneri se à Constantino, imò provocari à se ad aliud Concilium, quin ipsum quoque Imperatorem, passus non fuisset, si eâ se Divinitùs authoritate in rebus controversis pollere existimasset, quam dicti Successores hodiè sibi à non planè nullis adulatoribus adscribi sustinent, & pro quâ tanquam, non ut pro Aris, sed utplurimum focis acerrimè dimicant, ac quovis modo contra-ire aut dicere conantes diris simis subjiciunt anathematibus, fulminibus tamen, quod Experientia plurium testatur Seculorum, apud multos brutis, qualia etiam quotannis Bulla Cœnæ non Dominicæ in vanum jacere solet & ceu bullas in aerem emittere. De cætero, quod Donatistarum procedendi modum contra Coecilianum ab Augustino descriptum attinet, adeò eum non adprobant Evangelici, ut potius Augustini exemplo

Lib. cit. c. 10. n. 7.

NB.

Lib. 4. de V. D. c. 11.

quam maximè improbent, multumque mirentur Constantini patientiam, in tantâ perversissimorum & sæpissimè damnatorum hominum pervicacia tam prolixè connitentis, nihilque omninò intermittentis, quod ad sanandos eorum animos potuit ullâ ratione desiderari, quamvis omnia irrito conatu fuerint tentata, Donatistis nihilo minus Veritati cedere constanter, vel potius pertinaciter recusantibus. Ægrè quidem tulit Imperator, ad se à Concilio Episcopali utroque, Italico & Gallicano, fieri adpellationem; sed non ideò, quasi ipsa adpellatio fuisset illicita & impertinens, verùm, quia Donatistas utrobique ad petitum auditos & legitimè convictos nondum adquiescere vidit, sed eos magis semper magisque varias ciere turbas, Orbemque Christianum vix à persecutionibus gentilium aliquantisper Respirantem novis concutere motibus. Veniam quoque ab Episcopis rogavit Imperator, ab Episcopis inquam, non solùm Episcopo & Pontifice Romano, quod omninò fieri debuisset, si is solus tantam, quantam hodiè, tum obtinuisset authoritatem; veniam rogavit, inquam, non quasi aliquid officio indignum suscepisset, sed ne videretur eorum Sententiam, tanquam minus sufficientem, quam ex Actis legitimam agnovit, vel retractare vel emendare, ad cujus confirmationem passus est ad se etiam adpellari, ne ullâ in re sibi quidquam fuisse denegatum Donatistæ conqueri possent. Quæ omnia & singula ritè ponderata facilè revellunt ea, quæ Bellarminus ad laudatam objectionem respondere conatus est, ut Evangelicis per calumniam detestandæ hæreseos notam inureret. *Sequitur* nunc alterum & posterius documentum, ex quo potest constare, Augustinum suo tempore hanc Pontificis Romani authoritatem non agnovisse, quam Bellarminus cum aliis Scriptoribus Papæis eidem adscribit. Desumitur illud *è Breviculo* Collationum, quas orthodoxi cum Donatistis per triduum habuerunt, Augustino eas recensente, ex quibus manifestum est, Constantinum per delegatum ad id Cognitorem Marcellinum non tantum præscripsisse modum, qui in Collationibus hisce observari deberet, sed & post Collationes de causâ utrinque disceptatâ judicasse. Quid ad hæc Bellarminus? *Collationes has fuisse extraordinarias & necessitate quâdam conceptas, Augustino id agnoscente. Præter id, Iudicium hoc Marcellini tale non fuisse, de quali hic agatur, cùm Marcellinus Imperatoris Constantini nomine non ita judicaverit, ut Ejus Sententia totam obligaret Ecclesiam, sed tantum ut audaciam Donatistarum reprimeret, tanquam Cognitor censens, Donatistas ita à Catholicis confutatos, ut non habuerint, quod respondere possent; sicut à Laurentio, inter Augustinum & Pascentium, Ariana hæreseos sectatorem arbitro factum sit, cujus sententia pro Augustino tantum valuerit ad confusionem Pascentii, qui victus pronuntiabatur* &c. Pro responso notandum, etiamsi concedamus, fuisse actionem Catholicorum eum Donatistis cognitore Marcellino extraordinariam, nihil tamen causæ Bellarmini accedere, nihil causæ Evangelicorum decedere, indè hoc etiam non attento nemo non videat, orthodoxos sine omni contradictione coram Judicibus Politicis disputasse, Eorumque judicio se subjecisse, nullo planè modo id concessuros, si id solùm ad Pontificem Romanum pertinere judicassent, neque etiam contra Donatistas ad hoc judicium legitime provocaturos, si illud à Judice incompetente profectum fuisset. Sit autem ita, non obligaverit Sententia Marcellini Cognitoris in se Ecclesiam, eâ tamen ratione obligavit, quam ipse Bellarminus non insufficientem agnovit, quâ Donatistas ita à Catholicis, Scripturarum videlicet testimoniis, observavit confutatos, ut respondendo quidquam ulterius opponere non potuerint. Hoc certe respectu omninò fuit obligatoria hæc Marcellini Sententia, si id attendamus, quod Ambrosium sub præcedanei capitis finem monuisse vidimus. Eadem quoque est ratio Decisionis arbitrariæ à Laurentio post disputationem Augustini cum Pascentio factæ, id quod ipse iterum Bellarminus agnovit, ut nullâ prolixitate ad id demonstrandum opus sit.

Vid. Epist. August. num. 178.

LIBRI

LIBRI SECVNDI, DE CONCILIIS,

CAPVT SECVNDVM, & seqq.

De

Conciliorum à Pontifice Romano confirmatorum infallibilitate.

IN hujus Lemmatis præscripti demonstratione, & ab argumentis contradicentium defensione dum Bellarminus omni studio occupatur, non pauca iterum immiscet, ob quæ partim à Domesticis suis vapulat, partim suimet ipsius pro more videtur oblitus. Illa hinc indè non ita parcè castigat Sorbonista *Launojus*, quæ tamen omnia, dum ad præsentis Instituti rationem non pertinent, ne alienis inhæreamus, nunc quidem prætermittimus, donec alia ad eorum discussionem invitet occasio. Hæc quoque, etiamsi Bellarmino ferè quotidiana sint, non aliter observabuntur, quàm ex eo respectu, quo Augustini authoritas locum habet, vel adserenda, vel ab iniquis detorsionibus vindicanda. Illud solùm in genere, quod observetur, non indignum est, Bellarminum citatis aliquot S. Scripturæ testimoniis, quibus Thema suum probare conatus est, hoc exindè colligendo deduxisse, *Concilia inprimis Generalia à Romano Pontifice adprobata errare non posse, ideò etiam, quia Concilia hæc generalia universam repræsentent Ecclesiam*, quod tamen Elogium Præsules Italos & à Pontifice Romano instructos Synodi Tridentinæ ante hoc Seculum concedere, Gallis id desiderantibus, noluisse, paulò ante dictum est, ac Bellarminus nullo planè modo ignorare potuit aut debuit, re satis manifestâ. Sed ad rem ipsam, id est, Augustini authoritatem, quâ Bellarminus in hâc etiam Quæstione uti voluit, illud pro singulari argumento adducens, quod post & prætet alios Patres Augustinus quoque Concilium generale dixerit *conventum orbis terræ, vel consensum totius Ecclesiæ*, loco proximè citato, ex cujus Textu tamen loco responsi est ostensum, non in genere ibi de quocunque Concilio generali agere Augustinum, sed de authoritate Concilii illius *plenarii*, cujus mentionem sæpius in illo Augustini opere fieri, sæpius jam dictum est, testimonium ei præbentem, quod Sententia ejus in causâ anabaptismi hæreticorum *totius Ecclesiæ consensu* fuerit confirmata. Atqui à specie monadicâ, verius, individuo, quale est Concilium illud *plenarium* apud Augustinum, dum ei nullam aliam speciem collateralem adjungit, ad genus aliquod summum, quod plures sub se comprehendit species, vel genera etiam subalterna, argumentari, nescio, an Bellarminus ex Logicis olim didicerit. Ut taceam, etiamsi Augustinus id, quod Bellarminus vult, de quocunque Concilio scripsisset, quod tamen eum non scripsisse, palam est, infallibilitatem tamen ei non adscripsisset ob Romani Pontificis adprobationem, cujus in Augustini textu nulla planè mentio est facta, ne minima quidem, sed *ob totius Ecclesiæ consensum*, id est, eorum, quæ in Concilio fuerunt decreta, acceptationem, quam in Galliâ hodienùm ad quorumcunque Decretorum & Canonum Ecclesiasticorum, eorum etiam, quæ *Romæ* cuduntur, valorem omninò esse necessariam, exemplo Synodi Tridentinæ, quæ sub titulo Oecumenicæ venditatur, ex *Petro de Marcâ* ibidem observavimus. Et de eodem hoc Concilio, quod Augustinus tot iteratis vicibus dixit *plenarium*, intelligi debet alter quoque locus, ad quem Bellarminus provocat, audenter ex mente Augustini scribens, *ultimum Ecclesiæ judicium esse Concilium generale*, eomet ipso iterum non sine manifestâ fraude Lectorem per objectam Augustini authoritatem in errorem inducens, idque ei ex Augustino objiciens, quod Augustinus nunquam vel dixit, vel scripsit; quem à Sententiâ Bellarmini, quam hic defendendam suscepit, planè alienum fuisse, ea proximè docebunt testimonia, quæ à Bellarmini Exceptionibus vindicari justum est & æquum, ubi prius alium adhuc examinaverimus locum augusti hujus Doctoris, quo itidem Bellarminus ad propositum malè usus, quin pessime abusus est, scribens, *Augustinum hâc tantum Ratione Cyprianum excusare de hæresi, quod adhuc eo tempore non extiterit Concilium generale, quo definiri quæstio illa de hæreticorum anabaptismo potuisset.* Verùm est, facit hujus rei mentionem Augustinus defectùs nimirum Concilii alicujus plenarii, sed non

Lib. I. de Bapt. c. Donat. cap. 18.

solam hanc dicit causam, verùm alias etiam adducit, in specie eam, quam egregiè expolivit: *Id non rectè fieri tanto Viro propterea Dominus non aperuit, ut ejus pia & Humilitas & Charitas in Ecclesiæ Pace salubriter custodiendâ patesceret, & non solum temporis illius Christianis, sed posteris etiam ad Medicinalem, ut ita dicam, signaretur notitiam.* In paulò antecedentibus vocavit *humanæ infirmitatis errorem, quem cooperuerit charitas Vnitatis*; sicut libro hujus contra Donatistas operis sequente statim sub initium Petro Cyprianum comparat, à majori ad minus, ex humanæ Infirmitatis consideratione, nullo Concilii generalis respectu, argumentatus, scribens: *Si Petrus potuit contra Veritatis regulam, quam postea* (& cur non antea etiam?) *Ecclesia tenuit, cogere gentes judaizare; cur non potuit Cyprianus contra Regulam Veritatis, quam postea* (& cur non antea etiam?) *tota tenuit Ecclesia, cogere hæreticos vel schismaticos denuò baptizari?*

Ad ea nunc veniendum est Augustini testimonia, quæ Bellarminus sibimet ipsi contra Conciliorum infallibilitatem objicit, adque ea respondere conatur. Prius hunc in modum legitur, Augustino contra Maximinum Arianorum Episcopum scribente: *Nec Ego Nicænum, nec Tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium; nec Ego hujus, nec Tu illius authoritate detineris* &c. Huc usque Bellarminus citat, magis candidè acturus, si omisso &c. addidisset etiam sequentia, quam-maximè Scopo inservientia: *Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque proprius, sed communibus utrisque testibus, res cum re, causa cum causâ, ratio cum ratione concertet.* Ultimis his non attentis, quæ tamen omninò attendenda erant, ad antecedentia respondet Bellarminus, *non velle Augustinum dicere, non teneri ullo modo Maximinum authoritate Concilii Nicæni, sed non teneri in illâ disceptatione, quia Augustinus id promittebat.* Pergit: *Quia enim Maximinus Concilio Nicæno objiciebat Concilium Ariminense, & Augustino non videbatur operæ pretium nunc tempus consumere, ostendendo, Concilium Nicænum fuisse legitimum, & Ariminense illegitimum, cùm meliora haberet ex Scripturis argumenta, ait*, Nunc nec Ego hujus, nec Tu illius authoritate teneris, *id est, nolo nunc teneamur Conciliorum authoritatibus, omittamus Concilia, ad Scripturas veniamus.* Addit, *quod autem Augustinus alioquin putaverit, Concilium Nicænum summæ authoritatis fuisse, & oportuisse omnes illi adquiescere, patet ex verbis præcedentibus, ubi sic ait*: Hoc est illud homousion, quod in Concilio Nicæno adversus hæreticos Arianos, à Catholicis Patribus, Veritatis authoritate & authoritatis Veritate firmatum est. *Quid enim est Veritas authoritatis, nisi vera & certa authoritas.* Ita Bellarminus. Verum nescio, an Bellarminus particulâ *Nunc* rem sit confecturus? Si enim Augustinus tunc non judicavit consultum, eum Maximino ex authoritate Conciliorum, tanquam principio quodam, sed non utrinque recepto, disputare, ideò quia Scripturam à Maximino scivit pro Principio agnosci, ipseque Bellarminus cogitur concedere, Eum meliora ex Scripturis habuisse argumenta; annon eadem methodus hodiè etiam aptior videbitur Fidei Controversias ventilandi, cùm itidem ad earum elucidationem clariora sint Scripturæ testimonia, quam Conciliorum non semper eâdem chordâ oberrantium, sed sæpius à se invicem, & hinc etiam à Veritatis lineâ aberrantium decreta. Non id eum in finem dicitur, ac si hostes Conciliorum, inprimis antiquorum sint Evangelici, interque Papæos omnia ex unanimi Conciliorum consensu citra ullum omninò scrupulum aut contradictionem ritè se habeant, ac nihil planè in laudatâ Synodali harmoniâ desiderari jure possit, dum *Papatus Conciliis Apostolicis & antiquis denudatus*, & orbi Christiano ad spectaculum exhibitus dudum aliud ostenderit, quidquid etiam agant & conentur, qui prolixissimis & sumtuosis Conciliorum collectionibus aliud incautis Lectoribus persuadere conantur, magis semper magisque arma Evangelicis suppeditantes, quibus ex proprio etiam & domestico utplurimum promtuario confici possint & superabundanter convinci; sed ut manifestum fiat, ad Exemplum Augustini Evangeliços etiam non teneri authoritate Conciliorum, ad authoritatem Scripturarum utpotè utrinque receptam & longè clariorem jure meliori provocantes, ac exindè tanquam armamentario Spiritûs S. instructissimo & undiquaque sufficientissimo Controversiarum Fidei decisionem ad Conscientiæ non solùm propriæ debitam tranquillitatem & desideratam satisfactionem, sed & alienæ evictionem, utut non semper agnitam, desumentes. Augustinus quidem maximi æstimavit Synodi Nicænæ de *Homousiâ* decretum, sed non quatenus ab illâ Synodo profectum, verùm quia doctrinam in S. Literis contentam ad excludendum omne hæreseos Arianæ subterfugium optimè expressit. Non dissentiunt hâc in parte ab Augustino Evangelici, sed quam-maximè cum Eo consentiunt, id quod Augustanæ Confessionis Editores constantissimi sunt testati,

Lib. III. contra Maxim. cap. 14.

testati, in primo statim Articulo ad hujus Nicænæ Synodi decretum apertissimè Sententiam Ecclesiarum, quarum nomine dicta Confessio fuit scripta, determinantes, quod omninò factum non fuisset, si pro hostibus Conciliorum, nominatim hujus Nicæni, nunquam non maximi in Ecclesiâ habiti, & quod insigne documentum conservatæ inter tricennales gravissimas persecutiones Fidei orthodoxæ præbuit, agnosci voluissent, Nicæno, quod dicitur, Symbolo apud Evangelicos eo in pretio & honore locato, ut cum eo, quod dicitur Apostolicum, & quod *Athanasio* adscribitur, Libris normalibus præfigatur, quibus corde & manu sincerâ subscribunt omnes, quotquot in Ecclesiis verè Evangelicis ad publicè docendum Dei Verbum informandosque in Religione Christianâ simpliciores ritè vocantur & ritu Apostolico ordinantur.

Sequitur nunc posterius Augustini testimonium contra Conciliorum infallibilitatem, quod ut eò melius intelligatur, juvat id eò prolixius hic adducere, utpotè quod ad Bellarmini exceptiones facile suppeditabit responsum. Ita autem Doctor Augustissimus: *Quis nesciat, Sanctam Scripturam Canonicam tam Veteris, quam Novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus Episcoporum posterioribus literis ita præponi, ut de illâ omninò dubitari & disceptari non possit, utrum verum vel utrum Rectum sit, quidquid in eâ scriptum esse constiterit; Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per Sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in eâ re peritioris, & per graviorem aliorum Episcoporum authoritatem doctiorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid fortè in eis à Veritate deviatum est? Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, authoritati sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpè priora posterioribus emendari, cum aliquo rerum experimento aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, sine ullo sacrilegæ Superbiæ typho, sine ullâ cervice arrogantiæ inflatâ, sine ullâ contentione lividæ invidiæ, cum sanctâ humilitate, cum pace Catholicâ, cum charitate Christianâ.* Lib. II. de Bapt. c. Donat. cap. 3.

Triplicem in his verbis, eandemque inæqualem nimis sistit authoritatem Augustinus, primam attribuens Sacræ Scripturæ, mediam decretis Conciliorum, tertiam & infimam literis Episcoporum. Soli primæ adscribit indubiam infallibilitatem, secundæ & tertiæ non item, quamvis hanc illi certo quodam modo, si opus sit, ad correctionem subjiciat; certo, inquam, modo, cum & inter ipsa Conciliorum decreta aliquam statuat differentiam, plus universalibus, quam particularibus, plus etiam posterioribus, quam prioribus inesse authoritatis existimans. Ut de ultimo hoc pronuntiato jam non prolixè dicam, in quâ Augustinus peculiarem fovisse videtur Sententiam, ex unâ quidem parte contrariam ei, quam in eodem opere legi supra indicatum est, quâ *non fieri non posse putavit, ut in obscurissimâ etiam Quæstione verius pluribus unus paucive sentierent*; L. III. c. 4. ex alterâ autem parte oppositam Regulæ Tertulliani, quam aliàs Papistæ antiquarii hæreticis Novatoribus objicere solent, quâ *ex ipso ordine* manifestari scripsit, *id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum, id extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.* de Præscript. pag. m. 99. Ut de hoc, inquam, nunc non prolixè agam, ex toto tamen Augustini discursu manifestum est, Eum hic, sicut alibi etiam, solis Sacris Literis, non item Conciliorum sive generalium, sive particularium Decretis infallibilitatem concedere, quin imò eandem eomet ipso his denegare, dum alia ab aliis, priora à posterioribus emendari posse & debere statuit, utpote quo rerum statu in infinitum processus institui, ac Ecclesia nunquam de omnimodâ Veritate certa & indubia esse posset, semperque in ambiguo hærere cogeretur, fore, ut quæ nunc ex hujus vel illius Concilii decreto tenentur, per sequens aliquod Concilium, & iterum per aliud mutentur, & quidquid firmiter credi debeat, nunquam omninò sine omni incertitudinis & erroris metu indubitanter constaret. Sed videamus, quid Bellarmino hâc de re videatur, & quid pro jactatâ Conciliorum infallibilitate ad hoc Augustini testimonium reponi posse existimet. Dicit divinabundus, *Fortè Augustinum loqui de Conciliis illegitimis, quæ per posteriora legitima emendentur, ut accidisse scribit Concilio Ephesino secundo, quod in Chalcedonensi sit emendatum. Si autem de legitimis loquatur, agere Eum de Quæstionibus facti, non juris, in qualibus non dubium sit, errare Concilia posse. Et certè videri Augustinum de Ejusmodi Quæstionibus agere, cùm præcipua quæstio Catholicorum cum Donatistis de Coeciliano, Carthaginensium Episcopo fuerit, libros ne Sacros hostibus Fidei tradidisset, an non? Posse etiam dici, si adversarii contendant, loqui Eum de universalibus Quæstionibus, Concilia priora emendari per posteriora, non quoad Fidei dogmata, sed quoad præcepta morum, quæ mutentur juxta temporum, locorum & personarum* conf. ex Fid. c. Domino, distinct. 50.

mutationes, & illàs mutationes dici emendationes, non quod res mala esset eo tempore, quo est instituta, sed quod mala esse cœperit mutatis circumstantiis. Vtramque solutionem satis confirmari ex verbis Augustini, dicentis, *tunc emendari Concilia, cum aliquo rerum experimento aperitur, quod clausum fuerat; experimento enim aperiri quæstiones non juris vel universales, sed facti vel de moribus.* Omnia tentavit Bellarminus, ne contra Conciliorum à Pontifice Romano adprobatorum infallibilitatem Augustinus quidquam scripsisse videatur. Sub initium responsi ad *fortuitam* delapsus est Theologiam, quæ aliàs sæpius in Bellarmini Controversiis locum habet. Facilè autem illud Bellarminianum *fortè* per aliud non *fortè* refutatur, & quidem fortiter satis; præprimis cùm fortuita hæc, si non desperatissima, divinatio planè nullo nitatur fundamento, Exemplumque illud Concilii *Ephesini* secundi, quod Bellarminus à *Chalcedonensi* scribit emendatum, omninò ad Augustini tempora sit impertinens. Manifestè præterea falsum est, quod ex concesso, si de legitimis Conciliis agat Augustinus, porrò scribit Bellarminus, *agere Eum de Quæstionibus non juris, sed facti, in qualibus errare Concilia posse indubium sit*, addens, *videri Augustinum de ejusmodi quæstionibus facti agere, tractando causam Cœciliani, qui à Donatistis tanquam Traditor fuerat accusatus.* Manifestè dico falsum illud esse, cùm neque de quæstionibus facti in genere, neque de causâ Cæciliani tanquam accusati Traditoris in specie agat, sed, quod totum opus Augustini in septem libros divisum ostendit, de quæstione juris, & quidem Divini, sæpius nimirum dicto hæreticorum anabaptismo, ita, ut non disputaverit Augustinus, num antehàc Cyprianus & cum Eo cæteri Ecclesiarum in Africâ Episcopi hæreticos vel ab hæreticis venientes & jam baptizatos in Concilio Carthaginensi rebaptizari decreverint, & reipsâ iterum baptizârint, quod utrinque indubium fuit & extra omnem controversiam; sed num Cyprianus cum Collegis rectè & ex Jure, Divino nimirum, id fecerit & fieri ab omnibus præceperit? Cadit hinc per se, quod Bellarminus post hæc ulterius ad auferendam Evangelicis Augustini authoritatem *à possibili* duxit argumentum, cùm à posse ad esse nullam valere consequentiam, Tyrones Logici inter prima Eruditionis Instrumentariæ rudimenta doceri soleant; neque hic attendatur, quid possit, sed quid debeat ex mente Augustini dici. Frivolum videlicet est, quod, cùm Bellarminus priorem de quæstionibus facti exceptionem *fortè*, neque imprudenter prævidit, nullum habere locum posse, quæstione juris ab Augustino clarè nimis expositâ, ad aliam huc planè non pertinentem distinctiunculam confugit, statuens, *dici posse* (an etiam debere?) *si adversarii contendant, loqui Augustinum de universalibus*, dicere voluit de Quæstionibus juris, *emendationem priorum à posterioribus Conciliis intelligendam, non quoad Fidei dogmata, sed quoad morum præcepta, quæ juxta temporum, locorum & personarum mutationes mutentur & emendari dicantur, non quod res malæ fuerint eo tempore, quo primum sunt institutæ, sed quod mutatis circumstantiis mala esse cœperint.* Posset id adhuc ventilari & in disputationem trahi, an id ex præceptis morum propriè ita dictis; quod semel fuit bonum & salutare, mutatis quibusdam circumstantiis possit verè dici & fieri malum, adeoque mutandum & emendandum. Sed aliud animadvertendum hic venit, nimirum, si historiam Ecclesiæ per omnia evolvamus Secula, non ita raram, multò minus planè nullam observari emendationem vel potius mutationem unius Concilii ab altero, etiam quoad Fidei dogmata & quæstiones Juris, & quidem seculis Reformationem ministerio Lutheri Divinitus ad id animati susceptam proximè antecedentibus frequentem nimis, quæ tamen omnia unum superavit Concilium Tridenti posthac ex solo Romanæ Sedis eique adhærentium nutu celebratum, quo non quidem in melius emendationem, sed in plerisque Fidei dogmatibus mutationem, non dicam à solo Scripturarum Canone, sed omnibus ferè anterioribus Conciliis eorumque decretis deviam & alienam esse susceptam, *Chemnitius* noster accuratissimo & perfectissimo Canonum primitus ibi conditorum, ex Prophetarum non solum & Apostolorum, sed insuper etiam & ex abundanti Patrum orthodoxorum Scriptis desumto Examine ita orbi verè Catholico ob oculos & quasi in Mensâ Solis exposuit, ut neque Bellarminus, neque *Andradius*, neque *Ravestenius*, neque *Lindanus*, neque *Gretserus*, ut alios minorum gentium Scriptores non attingam, post varia pro viribus molimina, genuinum ei frangere nondum potuerint, Examine hoc sine alio Examine adhuc integro consistente, & quæ Veritatis orthodoxæ vis est, per Dei gratiam, quamdiu orbis durabit, constanter perstituro.

Vid. Ehing. Antiqu. Eccles. pag. 246. seqq.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

De

Conciliorum quorundam erroribus.

BIs saltem in prolixissimo hoc capite Augustini mentio incidit, in re quidem utrobique non magni adeò momenti, non tamen omninò prætermittenda, ne & hic augustus Doctor sine Vindiciis, aut orthodoxa Veritas sine gravi Ejus testimonio deseratur. Priori autem loco Bellarminus Augustinum *Luthero* opposuit, qui hic vindicandus venit, ut Augustino, cujus Regulæ se antehàc adscripserat, hic quoque non contrarius videatur. Videlicet inter errores Conciliorum, quæ defendere satagit Bellarminus, hunc in ordine tertium refert, scribens, *Videri Lutherum reprehendere Concilium Apostolorum, cujus in decimo & quinto Actorum capite historica recensio extat, dicendo, Iacobum mutasse Petri Sententiam, cùm tamen constet, eam fuisse bonam & veram, dum censuit, Gentes non debere cogi ad legalia, quam Paulus etiam in ad Galatas Epistolâ tuitus fuerit; sequi indè, ex Lutheri nimirum mente, Sententiam Iacobi, quam tota Synodus est secuta, malam fuisse & falsam, utpotè quæ gentes jussit abstinere à Sangvine & suffocato, quod nihil aliud sit, quam judaizare. Eundem præterea Lutherum in de Conciliiis libro multa de hâc lege Apostolorum dicere, & quamvis non audeat adserere, eam fuisse malam, indè tamen probare, Concilium nihil prodesse, quia non possit Lex illa defendi, nisi dicatur, Concilium non obligare.* Bellarminus in responso, post aliorum Patrum de hâc lege observationem, ex Augustini mente, quam Luthero vult oppositam, hæc habet: *Imperasse Apostolos abstinentiam ab immolatis simulacrorum, & Sanguine & suffocato, non ut Legis veteris observantiam, sed ut sua, id est, Apostolorum decreta, idque eum in finem, ut facilius Ecclesia ex Iudæis & gentibus coalesceret, cum Iudæi in illis initiis non potuissent ferre gentilium societatem, si eos carnibus immolatitiis, aut Sanguine & suffocato vesci vidissent, à quibus illi valdè abhorrebant; Postea verò quam Ecclesia creverit, & finis ille legis cessaverit legem per se etiam cessavisse.* Et ad hoc demonstrandum Bellarminus prolixum ex Augustini contra Faustum opere adduxit locum, suprà quoque eâdem occasione oblatâ exscriptum, ubi de potestate Romani Pontificis Legumlativâ fuit actum, ibi, si lubet, relegendum. Nunc ad *Lutheri* Augustino nullatenus contrarii Apologiam sufficit, Bellarmino tantum videri Eum reprehendere Concilium illud Apostolicum. Quid si aliis non ita videatur? Et omninò videri non potest, si ipsa *Lutheri* verba accuratè inspiciamus, quæ Bellarminus ex Adsertione articulorum Ejus per Bullam Leonis Papæ damnatorum, in specie ex Articulo post vicesimum nono citavit, ubi *Lutherus* nihil aliud scripsit, quàm *Iacobum mutasse Petri Sententiam.* Varia exindè possent dici, si id jam solùm ageretur. Satis est, Lutherum nullius erroris ipsum accusasse Concilium. Quin nec, dum Jacobum mutasse Petri Sententiam dixit, id voluit, quasi Jacobus Petri Sententiam rejecerit, ut falsam & erroneam, sed quod eam aliquâ ex parte limitaverit, addendo eidem aliquid, quod toti postmodum Synodo, sine ullâ Petri injuriâ placuit, & ita quidem, ut decreto Synodali verbotenus insereretur. Hinc non *Lutheri*, sed Bellarmini Lutherum non ritè intelligentis est sequela, sed perversissima, quia Petri Sententia fuerit bona, ideò Sententiam Jacobi contrariam fuisse malam, quam tota tamen Synodus sit secuta, contra debitum gentes judaizare cogens. Quid aliàs *Lutherus* de Synodali hoc Decreto senserit, in de Conciliis libro peculiari per Bellarminum citato satis superque ostendit, illud præpri- mis & ante omnia urgens, ut si omninò Conciliorum authoritas sit observanda, ad quam Papæi tantis vociferationibus provocabant, cur non observent hujus Concilii, utpote antiquissimi, decretum authoritate Spiritûs S. confirmatum, adeòque ab iis omnibus abstineant, à quibus omnes Christicolas abstinere Apostoli seriò præceperunt, utut *Anathema* omittentes quod posteriorum Seculorum Definitores Synodici, rebus etiam indifferentibus indifferenter ad authoritatem omnibus sibi modis conciliandam, atque metum subditis incutiendum, adjecerunt, existimantes, nullo valore niti decreta, nisi Sigillis hisce terribilibus muniantur, omnesque eò promtius ad obedientiam iis præstandam adigantur. De cætero, eandem esse de hoc Apostolorum Synodali decreto *Lutheri*, quæ & Augustini est, Sententiam, utriusque collatio satis manifestum facit, & ex iis, quæ loco supra citato ad id observata sunt, sufficienter constare

vid. Tom. II. Jen. lat. pag. 308.

vid. Tom. VII. Jen. Germ. p. m. 238. & seqq.

potest. Nunc ad alterum Augustini locum, de quo Bellarminus agit, est deveniendum, ut videamus, rectène ad objectam Ejus authoritatẽ responderit. Res ita habet. In propositione septimi erroris Synodici mentio etiã fit Concilii *Sardicensis* utpotè à Leone quarto Pontifice recepti, de quo tamen Augustinus scripsisse legitur, *illum Arianorũ fuisse*. Bellarminus respondet, *argumentum hoc procedere ex ignorantiâ historiæ; Sardicense enim Concilium mox* (ab initio) *in duas esse divisum partes, ex quibus una, scilicet trecentorum orientalium Episcoporum, junctis Iulii Pontificis Romani Legatis, pro fide Catholicâ & Athanasii restitutione fuerit, confirmata à Leone; altera verò septuaginta Orientalium Episcoporum, seorsim convenientium & Fidem Catholicam cum Athanasio damnantium, & de hâc loqui Augustinum, qui aliud nihil ex hoc Concilio legisse videatur, quam id, quod Orientales miserant in Africam, ut Donatistas sibi unirent.* Conferri huc possunt, quæ Bellarminus septimo libri antecedentis capite de hoc Concilio partim confirmato, partim reprobato dixit. *Coriolanus*, iis nixus, ex quibus observationes suas exscripsit, *Baronio*, inprimis & *Binio*, duas quidem causas dicit, ob quas *Sardicense* hoc Concilium ab Augustino aliisque Patribus orthodoxis velut illegitimum ac spurium fuerit rejectum, quarum unâ tamen rejectâ alteram modò validam esse putat, nimirum, *quod Ariani cum suis Sardicâ per fugam elapsi Philippis in Thraciâ Conciliabulum, Sardicensis Concilii nomine condecoratum, celebrarint, illudque patrocinio Imperatoris Constantii, velut unum ac legitimum Sardicense Concilium omnibus in locis promulgari curârint; undè hoc per impostoram hæreticorum callidè sit effectum, ut Augustinus aliique plures Catholici ignorantes duo Concilia, unum legitimum, alterum verò illegitimum fuisse habitum, utrumque velut impium fuerint detestati.* Idem post hunc notavit *Bailius*, in recensione eorum, quæ concilium hoc secuta fuerunt, testatus, *id idem naufragium esse passum cum suis Canonibus quod pleræque Synodi pertulerint, in Africâ saltem, in quâ nullum illius Exemplar publicum extitisse sit probabile, quocunque id etiam acciderit casu, cùm aliàs suspicari nefas sit tantum Ecclesiæ Magistrum Canones Ecclesiasticos ignorasse, quamvis de suo tyrocinio testetur, cùm à Prædecessore adhuc vivente institutus fuerat Episcopus, Canones se Nicænos ignorasse; jam verò Senem factum & in Controversiis de rebus atque Dogmatibus Ecclesiasticis semper versatum, omnia oportuerit Eum Scripta Conciliorum evolvisse & Archiva reserasse.* Petrus quoque de *Marca*, hujus Concilii Acta diligenter excutiens, ac plurima ad ejus historiam observans, in altero tamen illustrissimi operis de *Concordiâ Sacerdotii & Imperii* Tomo, Antecessorum vestigia premens, ad defendendam Augustini ignorantiam, nihil aliud habuit, quàm ut scriberet, *Afris tum nullam Synodum Sardicensem fuisse notam præter eam, quæ ab Arianis habita fuerit.* Quod dum nuperus Editor Notitiæ Conciliorum, *Cabassutius*, Presbyter Congregationis Oratorii, secutus quoque est, mirum videri non debet, quia plures ante se habuit, eâdem Apologiâ Augustum Doctorem munientes. Atqui ostendit non ita pridem *Hülsemannus* noster, Augustinum non ignorasse veram hujus Concilii historiam & Acta, idque deducit ex ipsis Ejus verbis, quæ, ut res eò fiat clarior, huc meritò ponuntur. Ita autem Sanctissimus & in re etiam historicâ versatissimus Pater ad Crescomium Donatistam qui hujus Conciliabuli authoritatem sub nomine Concilii Sardicensis objecerat: *Orientales, quos modò nostros esse concedis, non latuisse hoc facinus* (traditorum ab orthodoxis librorum) *dicis; atque ut hoc probes, inseris principium Epistolæ Sardicensis, ubi Donati Carthaginensis Episcopi nomen invenitur adscriptum, quod ideò factum putas & adfirmas, quod videlicet orientalibus, qui de Concilio SVO* (NB.) *hæc scripta miserunt, facinus displicuerit Traditorum, & ab eorum communione se retraxerint, & vestro propterea Donato communicabant. Disce ergò, quod nescis, Sardicense Concilium Arianorum fuit.* Eadem Augustini verba cum parallelis ex Epistolâ post centesimam sexagesimâ & tertiâ desumtis recitat *Baronius* quoque in prolixissimâ Actorum hujus Concilii recensione, non tamen videre volens, Augustinum non ex ignorantiâ, quasi nullam habuisset Concilii *Sardicensis* veri notitiam, illud silentio prætermisisse, sed quia ab Adversario saltem illud Conciliabulum Ei objectum fuit. Ut adeò Bellarminus cum suis immeritò ignorantiam Augustino objecerit, non objecturus, si verba Ejus ritè ponderasset, ac Ejus methodum disputandi, Adversarii vestigia premendo, accuratius observasset, quod omninò debebat.

L. 7. c. 16. mox ab init.

Apol. pro Ministro ordin. n. 36. §. 3.

Lib. III. contra Crescon. cap. 34.

ad Annum 347. num. 71. & 72.

CAPUT

CAPUT DECIMUM,

De

Conciliorum particularium à Romano Pontifice non adprobatorum fide dubiâ.

EVangelici sicut Conciliis etiam, ut vocantur, generalibus nullam in se fidem adscribunt indubiam, nisi Regulæ Fidei consona decernant, ita facilis ex eo est consequentia, quid de particularium Conciliorum certitudine statuant. Utrobique, quod jactatam à Bellarmino Romani Pontificis adprobationem concernit, eadem ex Eorum Sententiâ circa valorem eorum est ratio. Quia autem Bellarminus in præscripti Lemmatis demonstratione binâ iterum vice ad Augustini provocat authoritatem, an legitimè illud fiat, breviter videndum. Ostensurus igitur Bellarminus ex communi, ut scribit, Catholicorum sententiâ, *posse Concilia particularia errare*, Eorumque decreta non valere, nisi accedente Romani Pontificis adprobatione, Augustinum pro teste adducit, *non dicente, hæresin Pelagianam à Conciliis Africanis, quæ particularia erant, damnatam sed à Pontificibus Romanis, Innocentio & Zosimo, cooperantibus Conciliis Africanis.* Addit deindè, *posse tamen Concilia etiam particularia definire Dogmata verè dubia, & Eorum decreta esse firma, si id faciant ex commissione Sedis Apostolicæ, vel saltem si Decisionem suam mittant ad Pontificem Romanum, & ab Eo confirmationem accipiant, quomodo constet factum esse in Conciliis Milevitano & Carthaginensi ex Epistolis Augustini.* Lib. II. Retract. cap. 50. Notandum hic ante omnia in genere, plurima Augustini testimonia in hoc Bellarmini opere Polemico bis, terve, imò sæpius etiam occurrere; ubi non opus est, singulis semper locis responsum adponere, sed satis erit ad ea provocare, quibus jam ante satis est factum. Cum igitur utrumque hoc, quod ex Augustino in suos vertere usus conatur Bellarminus, jam supra sit excussum, ubi de Controversiarum Fidei Judice est actum, Lector benevolus non gravabitur, ibi dicta huic etiam objectioni adplicare. Id nunc tantum ex superabundanti addo, non immeritò mirum videri posse, quod Bellarminus in defendendâ Romani Pontificis supereminenti potestate toties fuerit ausus ad Ecclesiarum & Conciliorum in Africâ testimonium & consensum provocare, cùm tamen certum sit, non tam fortiter hodiè pro Libertatibus Ecclesiasticis Gallos militare, quin longè fortius & constantius Afri per longum benè tempus, tanquam Vindices acerrimi pro iisdem steterint & pugnaverint, id quod laudatus modò Archi Episcopus Parisiensis, *Petrus de Marcâ*, in alterâ operis de Concordiâ Sacerdotii & Imperii parte, non uno in loco ex manifestissimis documentis orbi Christiano exposuit, Cardinalem *Perronium* non semel perstringens, ea in gratiam Sedis Romanæ sæpius torquentem, ne id exhibere videantur, quod reverà debebant, arte, si quæ est, à Bellarmino etiam adhibitâ. num. 90. seqq. L. 6. c. 14. & lib. 7. cap. 15.

CAPVT DVODECIMVM,

De

Authoritate Conciliorum & Scripturæ Sacræ inter se comparatâ.

VAriæ hic iterum artes Bellarmini minus honestæ possent detegi, nisi Augustinus & hic pro Scopo esset respiciendus, quem Bellarminus ipse non quidem contra hæreticos, quos in hoc opere sibi constituit adversarios, in quos omnia Eruditionis suæ tela evibraret, sed contra *Gratianum* Juris Canonici compilatorem sumsit vindicandum, non alium in finem, quàm ne Conciliis plus, quam Sacris Literis adscribere videantur Pontificii. Præmissis igitur hujus rei gratia quinque differentiis, quibus Sacras Literas Conciliorum Decretis præferendas esse statuit, quamvis rem hanc non ex animo tractans, ut ex omnibus circumstantiis est manifestum, ad ea etiam respondere conatur, quæ ex parte adversaria solent objici, contrarium videlicet persuadentia, aut ad minimum Concilia Sacræ Scripturæ æquiparantia. Ea hunc in modum proponit Bellarminus: *Objiciunt quidam, quod Gratianus adfirmat, Epistolas Pontificum decretales numerari debere inter Scripturas Canonicas, & quod dicit, Conciliorum canones ejusdem esse authoritatis cum Epistolis decretalibus.* Quæ hinc nectatur consequentia, nemo non videt. Bellarminus autem, ne quid ex hac *Gratiani* Sententia ad S. Scripturæ injuriam, honorisq; eidem debiti detrimentum sequi videatur, dist. 19. & 20.

post

post *Alphonsum Castrensem, & Melchiorem Canum* aliosque plures ita respondet: *Primò, Gratianum ex depravato Augustini codice esse deceptum, ea Augustino tribuentem verba, quæ in Augustino aliter longè habeant. Non enim dicere Augustinum, Epistolas Pontificum decretales Scripturam esse Canonicam, sed judicium de Scripturis Canonicis pertinere ad Ecclesias, adque potissimum eas, quæ Apostolicas Sedes vel Epistolas accipere meruerint, quales fuerunt Roma, in quâ sedit Petrus & ad quam scripsit Paulus; Ephesus item, in quâ sedit Iohannes & ad quam scripsit idem Paulus, & aliæ quædam.* Deindè, *Gratianum hoc etiam errore posito non voluisse dicere, Pontificum decreta esse Scripturas propriè Sacras & Canonicas, ut sunt Evangelia &c. Sed esse Scripturas sacras, ut distinguantur à profanis, & Canonicas, ut distinguantur à sacris Patrum Scriptis, quæ non sunt regulæ, nec authoritatem habent obligandi. Licet enim Canones Pontificum & Conciliorum distingvantur, & Scripturæ Divinæ postponantur, tamen suo quodam-modo esse & dici posse Sacra & Canonica Scripta.* Ut, quid de totâ re debeat statui, Lector cognoscat, placet ipsum audire Augustinum, cujus authoritate *Gratianus* ex ipso Bellarmini & aliorum melius sentientium judicio malè usus est, qui ita scripsit: *In Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium authoritatem sequatur,* (videlicet Scripturarum Divinarum indagator) *inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere & Epistolas accipere meruerunt.* Quid circa hæc Augustini verba sit observandum, supra mox à principio harum pro Augustino Vindiciarum, capite de Scripturis propriè Canonicis, fuit indicatum. Nunc illud hic tantum notetur, bis in hujus testimonii citatione *Gratianum* errasse, semel ipsa Augustini verba pervertendo, ac si Augustinus scripsisset, *quas Apostolica Sedes habere, & ab eâ alii meruerunt accipere Epistolas,* manifestè contra mentem Augustini; iterùm, quando capiti, in quo hæc Augustini Verba exhibentur, tale præscripsit Lemma, *Inter Scripturas Canonicas connumerari Epistolas Decretales,* quod tamen utrumque præter Authores supra citatos correxit, qui jussu Gregorii decimi tertii Jus Canonicum emendavit & Notis illustravit, non solùm Augustini verba, ut jacent, integra reponens, sed & insigni cum observatione addens, *ea non ad decretales Romanorum Pontificum Epistolas, sed ad Canonicas & Sacras esse referenda.* Quid de his Epistolis primorum Pontificum decretalibus, ab *Isidoro* quodam *Mercatore*, vel juxta alios *penatore* primùm collectis, & quæ non planè nullorum, nec vana Etiam est suspicio, conscriptis, & à *Turriano* postmodùm contra Magdeburgensium censuram defensis, ex mente sinceriorum inter ipsos Papistas, nominatim *Cusani, Cardinalis de Turrecrematâ, Driedonis, Espencæi, Covarruviæ, Antonini, Cassandri,* Bellarmini inprimis & *Baronii,* præter *Launojum,* Sorbonistam eruditissimum, Archi-Episcopus quoque Parisiensis, cum *Launojo* hactenus non semel ex merito laudatus, in laudato de *Concordiâ Sacerdotii & Imperii* opere, satis apertè ostendit, *Dallæji* operam, quam in Censurâ earum collocavit, commendans, ut adeò attendi non debeat, quod post ingenuam tot insignium Virorum confessionem nuperus Pacifex *Volusius* ex Codice *propter admirandam scripturæ vetustatem* (duo vel tria fortè Secula non superantem) suspiciendo, Simplicioribus & Annales *Volusianos* sine omni contradictione suscipientibus, voluit persuasum frustra quamvis &, ut spero, in vanum. Non solùm autē hoc non voluit Augustinus, quod Eum voluisse scripsit *Gratianus,* sed nec id etiam intendit, quod Bellarminus Ei perperam adfingit, quasi statuisset, *judicium de Scripturis Canonicis pertinere ad Ecclesias, & quidem eas potissimum, quæ Apostolicas Sedes vel Epistolas accipere meruerint,* cùm tamen Augustinus Scripturarum Divinarum indagatorem instruxerit tantùm, quales scripturas pro Canonicis habere & agnoscere debeat tum, & illo tempore, ubi recentiora earum Exemplaria adhuc apud illas indagare licuit Ecclesias, ad quas non paucæ ab Apostolis erant scriptæ, & in quibus illi & Successores eorum ad tempus aliquod suam habuêre sedem, unde postmodum dictæ fuerunt Apostolicæ. Quod porrò in alterâ responsi parte Bellarminus ad excusandum aliquatenus *Gratianum* profert, locum quoque habere non potest, utpote contrarium ei, quod *Gratianus* loco Rubricæ præfixit distinctioni vigesimæ, *Decretales Epistolas canonibus Conciliorum pari jure exæquari.*

Lib. II. de Doctr. Christ. cap. 8.

Vid. Dallæj. de usu Patrum, pag. 70.

L. III. c. 5. num. 2.

in Aurorâ Pacis, pag. 122.

CAPVT DECIMVM TERTIVM & seqq.

de Quæstione,

An Concilium sit supra Pontificem Romanum?

L. III. c. 7. mox ab init.

PEtrus de Marcâ hanc Quæstionem dicit *invidiosam*, de eâ in gratiam Romanensium ita disputans, ut libertates Ecclesiæ Gallicanæ hoc axiomate, quod videlicet Concilium

cilium universale vel Oecumenicum, si modò unquam tale fuit celebratum, Romano Pontifice sit superius, non omninò niti velit, quamvis ea hinc indè intermisceat, quæ non multò minus, quam si illud Axioma Recipiendum statuisset, authoritati Pontificis detrahere, videntur, Regiam potestatem omnibus Conciliorum & Pontificum decretis præferens, id quod supra quoque non uno in loco fuit observatum. Nos jam ad Bellarminum, qui in hujus Quæstionis ventilatione per septem capita non-nisi semel Augustini facit mentionem, eamque invitus & coactus, dum ad argumenta sibi opposita respondere debuit; ut adeò ferias hic agere liceret, nisi ex *Launojo*, jurato Bellarmini circa hanc Quæstionem adversario, aliqua breviter notasse non planè nullius operæ videretur pretium, præprimis cum ab Instituto non adeò sit alienum, authoritate argumentinegantis, quoad defectum testimoniorum Augustini, hic etiam, sicut alibi sæpius, non omninò prætermittendâ. Amplissimè autem & pluribus ad diversos Epistoliis Quæstionem hanc tractavit laudatus Sorbonista, nihil fere sicco transmittens pede eorum, quæcunque Bellarminus ad authoritatem Pontificis Romani supra Conciliarem omnibus modis defendendam singulari industriâ, sed non pari fide ex non unius generis Scriptoribus corrasit, id quod per Epitomen quasi exhibebitur. Ante omnia autem in ad *Christophorum Favvæum*, Parisiensem Theologum Epistolâ notanter observavit, *elumbem esse disputandi modum, quo Bellarminus utitur, ut probet, tempore Concilii Pisani, quod anno Seculi post decimum quinti nono habitum est, exortam esse Quæstionem, cujus historiam conficere & Epocham defigere instituit. Quamvis enim Cardinales id tunc fecerint, quod eos fecisse Bellarminus adserit, indè tamen non sequitur, Quæstionem esse novam, an Concilium sit supra Papam? Nam si, Concilium esse supra Papam, nova fuisset opinio, nec Concilium generale Pisanum illam esset amplexum, nec Alexander quintus, Papa, Concilii Acta comprobasset. At comprobavit semel atque iterum*, quod pluribus ibi testimoniis confirmatur. *Nova igitur non erat, sed vetus Ecclesiæ* (Augustini etiam tempore) *imò & Sedis Apostolicæ Sententia, quod Concilium supra Papam esset. Sed novi tunc exorti sunt Doctores,* (quo Concilium illud Pisanum fuit celebratum) *qui veterem Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ Sententiam vocârunt in dubium, imò Pontifices Romanos supra Concilium extulerunt.* Post aliquot Romanorum Pontificum suffragia provocat ad plura, quæ collegerit in aliâ ad *Hieronymum Sambœvvium* Epistolâ, quæ in eodem Tomo septimum occupat locum, demonstrans, *ipsos Pontifices Romanos Sacris Canonibus & Conciliis se subjici credidisse.* Et cum præter aliorum, aliquot etiam *Innocentii* tertii loca ad illud uberius explicandum adhibuisset, hæc de suo adjicit: *Eruditus & Sapiens Pontifex non anteponebat se Ecclesiæ vel Conciliis, quæ repræsentabant Ecclesiam. Id didicerat, quod Augustinus de Spiritu Sancto pronuntiavit:* Spiritus Sanctus si Creatura, non Creator esset, summa esset Creatura, & ideò in regulâ Fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret, in illâ Ejus parte, quæ in Cœlis est. *Quod igitur Augustinus sic de Spiritu Sancto pronuntiat, non posset non de Pontifice Romano pronuntiare, nec ullus esset Pontifex, nec Pontificis adulator tam cœcus, qui contrarium dicere auderet; ut Spiritus Sanctus, qui non Creator, sed summa esset creatura, sic & Pontifex ad Ecclesiam pertineret, & quia pertineret ad Ecclesiam, pars esset illius, & quia pars, toti, videlicet Ecclesiæ subjiceretur. Vndè idem Augustinus:* Universum partibus semper optimo jure præponitur. *Hæc est Veritas, quæ ex omni fluit æternitate, & ut scribit Tertullianus*, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia Personarum, non Privilegium Regionum. *Itaque Bellarminus Quæstionis suæ Epocham hinc frustra in Pisano defixit Concilio, si Iuris; hinc mendaciter, si facti conditio spectetur.* His in genere præmonitis ad Sententiarum de hâc Quæstione varietatem duce Bellarmino progreditur *Launojus*, ostendens, *Eum* in primæ opinionis Expositione, quâ Pontifex Concilio subditur, ex Authoribus Catholicis, ut communiter audiunt tres tantum Gallos, videlicet *Cameracensem*, *Gersonem*, *Almainum*, ex Germanis *Cusanum*, ex Italis *Panormitanum & Cardinalem Florentinum*, ex Hispanis *Abulensem* citasse, cum ubique plures adducere potuisset, nominatim pro tribus Gallis non modò Academiam Parisiensem, sed & Galliam universam, id quod pluribus documentis comprobatum sistit, subjungens, *ad Disciplinam in Galliâ Ecclesiasticam pertinere, ut Academia Parisiensis credat, posse ad Concilium à Romano Pontifice provocari, & quod Concilium sit supra Pontificem.* Et ubi hoc multis Theologorum Parisiensium, imò Hispanorum quoque, Italorum & Germanorum non unius ordinis Scriptorum testimoniis docuit, additis hinc indè variis observationibus, ob præscriptæ brevitatis amorem ibi legendis, præter

Tom. I. Epist. 10.

Echir. cap. 56.

Lib. II. de Bapt. c. 4. de veland. Virgin. mox ab init.

ità opinione circa hanc Quæstionem secundâ, quam Bellarminus Glossatori Juris Canonici & quibusdam Interpretibus ejusdem adscribit, ad tertiam notat, *Bellarminum ideò priori Sententiæ de Concilii supra Papam authoritate tam paucos Authores adtribuisse, cùm innumerabiles ferè potuerit, ut eò facilius contrariam hoc posset proponere modo*: Ultima est communis ferè quod nimirum Papa adeò sit supra Concilium, ut non possit etiam se subjicere Ejus Sententiæ, si propriè de Sententiâ agatur coactivâ. Et hæc Sententia videtur esse omnium veterum Scholasticorum, ut *Alberti, Thomæ, Bonaventuræ, Richardi, Paludani,* & aliorum in quartum Sententiarum, ubi de clavibus agitur, tametsi ex professo de hâc re non disputârint. Expressè autem hoc docet *Antoninus, Cajetanus, Turrianus, alii plures.* Observat ad hæc Launojus, *Qui ante Concilium Pisanum ita, ut Bellarminus, hanc proposuerit Sententiam, hactenus inventum esse neminem; post illius autem Concilii tempus proponi cœpisse, ut de novitate ejus non ambigatur. De cætero, Bellarminum in adducendis pro hâc Sententiâ authoribus leges historiæ non semel, sed iterum & tertiò negligere. Semel quidem, quia Sententiam, quæ communis non est, communem nominat. Iterum verò, cum veterum Scholasticorum, qui magno sunt numero, ne unus quidem Lemma hoc sibi sumsit, Papam adeò esse supra Concilium, ut non possit se coactivæ illius Sententiæ subjicere.* - Tertiò, *Albertum, Thomam, Bonaventuram, Richardum, Paludanum*, & alios veteres in quartum Sententiarum *Lemma illud neutiquam adsumsisse, id quod* in specie tribus Thomæ testimoniis docetur, quæ iis adjungi debent, quibus Thomas Evangelicæ Veritatis confessor vindicatus non ita pridem orbi verè Catholico fuit restitutus. Quoad reliquos Authores à Bellarmino laudatos ostendit porrò Launojus, *in Antonino expressè non reperiri propositionem Bellarmini*, quin imò Eum scribere, *Papam ab Ecclesia judicari posse, si deprehendatur à fide devius*; Cajetanum docere, *Pontificem Romanum observatione Sacrorum Canonum constringi*, Turrianum quoque contra Bellarminum statuere, *Pontificem canonibus Conciliorum & Regulis Patrum Ecclesiasticis, Pontificumque (Antecessorum) decretis, imò omnium consiliis ac dictis salutaribus debere subjectum esse in timore Dei, & eos Pontifices, qui Canones & Decreta non servant, similes esse Principibus illis & Pharisæis, quos Dominus in Evangelio accusans dixit alligare eos onera gravia & importabilia, & imponere in humeros hominum, digito autem ea non movere &c. & Pontifices, cùm Canones Ecclesiasticos non servant, nullâ Oeconomiæ & spiritualis utilitatis Ratione, leges nullâ necessitate solventes, facere, ut reliquis videantur intolerabiles, & omnia facere cum murmuratione contra Apostoli præceptum, adeòque obtestandum esse Pontificem per magni Pastoris & Episcopi animarum Sacramenta & admirabilia Iudicia, ut cum sollicitudine omnium Ecclesiarum Domini præsit, & filios Ecclesiæ habeat subjectos, in timore Dei exemplum & forma gregis factus, ut servet in Domino Canones Ecclesiasticos, & faciat eos ab omni Ecclesiâ servari summo studio, audiatque verba hæc & consilia, ut Dominus sit cum eo, fiatque sicut Petrus ait, ut cùm adparuerit Princeps pastorum, immarcessibilem Gloriæ coronam accipiat.* Placuit hæc prolixius ex *Turriano*, suppeditante *Launojo*, adducere, quia nullo planè modo Lemmati Bellarminiano conveniunt, sed omni potius contrariantur. Idem de cæteris Authoribus, quos Bellarminus adducit, statui posse & debere, non sine causâ nec immerita est suspicio. Constat indè, dum novitii etiam & Sedi Romanæ aliàs addicti Scriptores à partibus Bellarmini non stare videntur, quid de antiquioribus, nominatim *Augustino* sit statuendum, cujus etiam authoritate, ut à principio monui, in prolixissimâ hujus Quæstionis tractatione, ad demonstrandum, *Papam esse supra Concilium*, munire se non potuit, eoque ipso testatus, esse hanc Sententiam, quam suscepit defendendam, omninò novam ac temporibus *Augustini* planè inauditam. Quin &, quod eas attinet Authoritates, quibus in capite post decimum septimo copiosè satis utitur, Scripturæ nimirum Sacræ, Conciliorum, Pontificum Romanorum &c. Ita in earum adductione versatus fuit Bellarminus, ut Sorboniста *Launojus* hæc de Eo scribere fuerit coactus: *Bellarminus hic sibi canit, non Sedi Apostolicæ, non Ecclesiasticæ Veritati. Quæ sibi Lemmata sumit, hæc, cujus antiquitatis, an certa vel incerta, & quo pertineant, non semper attendit, populari trutina contentus. Nam si Aurificum statera expenderet, vereretur, ne quæ ex illis colligit Lemmatibus, non colligeret, sed potius abjicere cogeretur, atqui ita, quod scripturienti magnum esset malum, pagina vacaret.* Non contentus autem in genere hoc monuisse, in specie etiam per totum caput Bellarmini tractationem ita exenterat, ut nihil omninò sani in eo reperiatur. Et à principio quidè non immeritò dignum observatione censet, quod Bellarminus factam à se Propositionem, *quod Summus Pontifex simpliciter & absolutè sit supra Ecclesiam*

Lib. III. de Rom. Pōt. sub fin.

Tom. eod. Epist. 5. pag. 17.

Tom. II. Epist. 6. pag. 30.

siam universam & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se Iudicium agnoscat, dicat esse FERE de fide. Deindè peculiari ad Raimundum Formentinum Epistolæ, quæ primum in secundâ parte occupat locum, hoc summarium præscripsit Launojus, *Bellarminum in ratione, quâ ex Scripturis svadere nititur, Romanum Pontificem simpliciter & absolutè supra Ecclesiam & Concilium esse, præscriptas à Tridentinâ Synodo & Fidei Professione leges sprevisse, & disputando Sophisticen exercuisse*; in cujus probatione inter aliorum Patrum, Augustini etiam aliqua adferuntur testimonia, quæ tamen quia supra jam habuerunt locum, hic cum fastidio non iterantur. Conciliorum Decreta, quæ in subsidium vocavit Bellarminus, non uno in loco expendit Sorbonista Parisiensis, nimirum in Epistola hujus secundæ partis quarta, item in primæ partis nonâ & undecima, in quarum ultima illud inprimis notanter scripsit, *Nullum esse Sanctorum Patrum*, adeòq; nec pag. 22. Augustinum, *qui memoriæ prodiderit, penes unicum Pontificem Romanum esse, Concilia indicere, transferre ac dissolvere*, addo, & eorum authoritatem suæ authoritati subjicere. Ad Pontificum Romanorum testimonia, quorum insignem numerum producit Bellarminus, ut eos Conciliis non subjiciendos, sed anteponendos statuat, quid excipi possit, nemo prudens non videt; & tamen, ubi idem *Launojus* per tres Epistolas, quæ secundo, tertio & quarto in parte secunda leguntur loco, examini eadem submisit rigoroso, tot & tanta ostendit candoris minimè Theologici documenta, ut Cardinalis omninò erubescere debuisset. His si addantur duæ in hac parte secunda Epistolæ numero ultimæ, quibus *Pontificem Romanum Concilio subesse ad Fidem pertinere statuitur ex disputandi methodo, quam Bellarminus & alii Curiales Theologi servant, cùm de confirmatorum à Pontifice Conciliorum authoritate scribunt; & ex ipsis Pontificum Romanorum Scriptis colligitur, à Pontificibus ad Concilium provocari non-nunquam posse*, nihil ad rem ipsam erit super, quod ultra desiderari possit. Exemplum, quod Bellarminus sibimet ipsi opposuit ex Augustino, referente, *quod post judicium Papæ Melchiadis in causa Donatistarum judicârit Episcopus Arelatensis cum suis in Concilio Co-Episcopis*, etsi supra jam fuerit discussum, in specie, ubi de regimine Monarchico & Jure Adpellationum egimus, ne tamen quid subterfugere videamur, quid Bellarminus ad id respondeat, expendemus. Dicit, *causam hanc Donatistarum post judicium Melchiadis iterùm ab Episcopo Arelatensi fuisse judicatam, non quia oporteret, sed quia Imperator voluerit adquiescere Donatistis aliud judicium petentibus, si fortè in duobus Iudiciis condemnati sanarentur.* Præterea, *Augustinum non conferre Papam sine Concilio, cum Concilio, sine Papâ, sed conferre Concilium particulare, cui præsit Papa, cum Concilio generali, cui etiam præsit Papa. Posse autem sine dubio causam à Pontifice in Concilio particulari juditatam ab eodem iterùm judicari in Concilio generali, præsertim in Quæstione facti, quæ ex Informationibus pendet, & in quâ errare possit Ecclesia.* Imò *etiam ordinariè olim fuisse prius Concilia in singulis Provinciis particularia, Romæ etiam, & tum res in illis particularibus Conciliis definitas iterum in Concilio generali tractatas, ac demùm ultimam & definitivam à Pontifice Sententiam Concilio adsentiente datam esse.* Epist. 162. ad Glorium &c. Hæc Bellarminus, sed præter Augustini mentem, & nullo ad causam valore. Nam si jam tum temporis hoc axioma Sedi suæ adnexum *Melchiades* sciviſſet aut existimasset, quod eidem hodie adfingunt Magistri curiales, pro *ratione status*, qui nunc quam maximè observatur, permittere nec potuisset nec debuisset, ut in præjudicium authoritatis Sententia, quam Romæ jam tulit, in gratiam partis adversariæ Donatistarum, in Arelatensi judicio retractaretur, intercedente quamvis authoritate Constantini, Imperatoris Christianissimi. Facilius certè Herculi clavam extorquere licebit, quàm modernis Pontificibus tale quidquam, quod ullâ ratione Authoritatem minuere videtur, quam omnibus modis contra quosvis & pro viribus eunt defensum. Et tamen nulla in Augustini relatione observari datur litera, nedum linea, undè minima oriri posset suspicio, vel ægrè *Melchiadem* illud tulisse, vel eidem quidquam protestando contradixisse. Nimirùm humiliori tum adhuc regebantur spiritu Pontifices Romani, quàm Successores eorum, qui vergentibus Seculis plus ultra semper eundum, adque multiplicanda in annos Authoritatis suæ privilegia laborandum sibi esse duxerunt consultum, donec tandem ad supremum hunc gradum est deventum, quo adhuc altior non est super, Bellarmino cum pluribus aliis strenuè rem hanc juvante, quam ipsi Pontifices mutatis Petri clavibus, accedente Pauli gladio, fortiter egerunt. De cætero, gratis dicit Bellarminus, Augustinum in loco, quem citavit, conferre Concilium particulare cum generali, cui utrique præsit Papa. Non enim Augustinus illi Concilio, quod dicit Ecclesiæ universæ & plenarium, Pontificem Romanum præponit ut Præsidem, sed cum cæteris Episcopis,

qui cum illo Romæ jam in causâ Donatistarum judicaverant, illis jungit Episcopis, qui in illo universali Concilio, quod tot iteratis vicibus dixit plenarium, in dictâ Donatistarum causâ ulterius judicare debebant, ita scribens: *Restabat plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum Sententiæ solverentur.* Apertè, quin & apertissimè, hic & in antecedentibus Verbis Augustinus mentionem facit non solius Melchiadis Papæ, sed in genere Episcoporum, qui Romæ in Concilio, ad mandatum Constantini, in causâ Donatistarum judices fuerunt; neque *Melchiadem* in specie Concilii illius plenarii præsidem facit & supremum Judicem, sed necessarium fuisse scribit, ut in eo cum ipsis Judicibus, qui nimirum in Concilio pridem Romæ celebrato ex authoritate Constantini Judices fuerunt, Donatistarum causa adhuc semel posset agitari; non ut ii iterùm soli Judices sederent, multò minus *Melchiades* solus, eorumque judicium antehàc latum sine omni discussione ulteriori tanquam infallibile comprobaretur, quâ methodo Donatistarum petitioni satis non fuisset factum, quod tamen Constantinum intendisse Bellarminus fatetur & extra dubium est; sed eum in finem, ut si Judices Romani, *Melchiades* cum cæteris in Concilio Episcopis, malè in hâc Donatistarum causâ judicasse convicti essent, eorum Sententiæ solverentur, id quod omninò cum infallibili Pontificis Romani authoritate & summa Ejus supra Conciliorum etiam generalium authoritatem potestate pugnat, de quâ tempore Augustini in mentem nemini venit, quidquid etiam Bellarmino & aliis videatur. Accedit, neque Bellarminum ex ullo sinceræ Antiquitatis monumento docere, vel *Melchiadem* huic Arelatensi Synodo præsedisse, vel Arelatensem hanc Synodum plenariam aut universalem fuisse, eo nimirum sensu, non quo hodie Concilia dicuntur Oecumenica, sed quo olim sub hoc titulo fuerunt celebrata, de quo posteriori suo mox loco contra Bellarminum ex *Launojo* tractabitur. Grati ea inter ingenuam Bellarmini confessionem suscipimus, quâ Pontificem in Quæstionibus facti, & quæ ex Informationibus pendent, cum Ecclesia & Concilio, quamvis generali, errare posse agnoscit, & non semel errasse addere debuit; ex quo præsuppositio annon sequatur, & non infirmiter adeò concludi possit, Eum in Quæstionibus Juris & Fidei etiam ob rationem non ita imparem errandi periculo obnoxium esse, hâcque inprimis ratione Fidei & Religionis Romanæ fundamentum omninò subruatur, omnisq; certitudo, ac indè Conscientiæ tranquillitas cadat, plurimæ videtur operæ pretium esse, ut quam-accuratissimè à quovis inter Papistas æternæ Salutis cupido expendatur.

LIBRI TERTII, DE ECCLESIA MILITANTE,

CAPVT SECVNDVM, De *Ecclesiæ Definitione.*

POst quinque diversarum Opinionum propositionem, inter quas Confessionistarum sive Evangelicorum Sententia quartum occupat locum, suam quoq; tandem Bellarminus exhibet, quâ Ecclesiam dicit esse *cœtum hominum, ejusdem Christianæ Fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris Vicarii, Pontificis Romani.* Hanc Ecclesiæ definitionem sicut aliis omnibus præfert, ita contra quosvis defendendam suscipit, ex tertiâ præprimis parte ejus cunctos Ecclesiæ gremio excludens, qui Romano Pontifici non subduntur, Ejusque monarchicum in Ecclesia regimen agnoscere detrectant. Ut autem Lectori minus attento & perspicaci aliqua ratione persvadeat, non novam esse hanc Ecclesiæ definitionem, sed à Patribus orthodoxis mutuatam, ad Augustini inprimis authoritatem provocat. Quàm fallaciter verò id fiat, patebit, ubi augustum hunc Doctorem, & ipso quidem citante Bellarmino audiemus, qui ex Eo sequentia in rem, non suam, sed nostram producit: *Notandum est ex Augustino, Ecclesiam esse corpus vivum, in quo est Anima & corpus; & quidem Anima sunt, interna Spiritus*

in Brev. Collat.

ritûs Sancti dona, Fides, Spes, Charitas &c. Corpus sunt, externa Fidei professio & communicatio Sacramentorum. Ex quo fit, ut quidam sint de Animâ & de corpore Ecclesiæ, & proindè uniti Christo capiti interius & exterius, & tales sunt perfectissimè de Ecclesiâ, sunt enim quasi membra viva in corpore; quamvis etiam inter istos aliqui magis, aliqui minus vitam participent, & aliqui etiam solum vitæ initium habeant, & quasi sensum, sed non motum, ut qui habent solam Fidem sine charitate. Rursum aliqui sint de Animâ, & non de corpore, ut Catechumeni vel excommunicati, si Fidem & Charitatem habeant, quod fieri potest. Denique sint aliqui de corpore, & non de Animâ, ut qui nullam habent internam Virtutem, & tamen spe aut timore aliquo generali profitentur Fidem & in Sacramentis communicant sub Regimine Pastorum, & tales sunt, sicut capilli & ungues aut mali humores in corpore humano. Hæc omnia Bellarminus ex Augustino, quamvis non ita ad verbum & eodem ordine, quo hic & ibi leguntur; quæ tamen pro se Bellarminum adduxisse, mirum non immeritò videtur, cùm potius contra ipsum militent, & non tantum id omittant, quod in Bellarminianâ Definitione præcipuum est, sed etiam illud præcipuè ad Ecclesiæ definitionem requirant, quod Bellarminus omnimodo prætermisit Silentio; adeòque Confessionistarum definitioni multò melius conveniant, si ea sincerè proponantur, & ad mentem proponentium exponatur, quâ Ecclesia dicitur *congregatio Sanctorum, in quâ Evangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta*, & simul indicatur, quid ratione hypocritarum & malorum in Ecclesia statui debeat. August. Confess. art. 7.

Instituatur nunc collatio inter definitionem Confessorum & Bellarmini cum Augustiniana, & manifestum erit, nil minus, quàm Bellarmini & Augustini, optimè autem Augustini & Confessionistarum definitiones convenire. Deest nimirùm definitioni Bellarminianæ Anima Ecclesiæ, quam Augustinus in internis Spiritûs Sancti donis collocat, & Confessores Augustani in rectâ Evangelii doctrina ponunt, utpotè per quam, tanquam medium Spiritûs Sancti ordinarium, illa in homine excitantur & conservantur. E contrario deest in definitione Augustiniana illa exterior subjectio sub uno capite visibili, Pontifice Romano, quem ex suâ mente Christi vicarium dicit Bellarminus; & quia eadem quoque deest in definitione Confessorum vel Confessionistarum, hactenus consentiunt cum Augustino, qui expressam quidem unionis membrorum Ecclesiæ cum Christo, capite vero, facit mentionem, nullam tamen Vicarii Ejus, quam Bellarminus ante omnia urget, sed absque Augustini calculo. Solum super ergò est corpus, verùm non vivum, vel animatum, quale Augustinus describit, & Confessores Augustani exhibent, ac de jure requiritur; sed mortuum, imò non tam corpus, quàm viliora quædam corporis membra, vel accuratiùs loquendo partes quædam de corpore minus æstimatæ, sicut capilli, ungues & mali humores, ut ipse Bellarminus ex Augustino scripsit, ex quibus an benè compositum corpus formari possit, quod veri corporis definitionem sustineat, Bellarmini cura esto, vel quicunque Ejus suscipiet definitionem, eam quoque impensurus ex debito sollicitudinem, quale caput huic adaptandum sit corpori, ut aliqua saltem inter corpus & membra, tanquam systema integrum intercedat proportio.

Ut autem jam datam ex Augustana Confessione definitionem Ecclesiæ contra Bellarmini depravationem ex Augustino ulterius tueamur, notandum est, injuriam fieri Augustanis Confessoribus, quibus imputatur, quod duas fingant Ecclesias, *unam quidem veram, & ad quam pertineant Privilegia, quæ in Scripturis narrantur, & hanc esse congregationem Sanctorum, qui verè credunt & DEO obediunt, eamque non esse visibilem, nisi oculis Fidei; alteram verò externam, quæ tantum nomine sit Ecclesia, & hanc esse congregationem hominum convenientium in doctrinâ Fidei & usu Sacramentorum, & in hâc bonos inveniri & malos.* Addit Bellarminus antecedenter & in genere de Confessionistarum Sententiâ, *etsi nominetenus damnent Pelagianos, Novatianos & Donatistas, tamen eorum definitionem ex hæresi vel hæresibus esse compositam*, quo nihil iniquius in hâc quidem materiâ dici aut scribi potuit, atque hæc Bellarminum contra Conscientiam scripsisse certum est, utpotè cui ex loco Confessionis Augustanæ citato ignotum esse non potuit, Confessores Augustos & verè Augustinianos, id est, Augustini in hoc etiam Fidei capite Sectatores & Discipulos, non nisi unam agnovisse & publicè confessos esse Ecclesiam, eamque Sanctam, quamvis, quod sequens Articulus apertissime exprimit, cum mixturâ malorum & hypocritarum *in hâc vitâ*, quo ipsomet annon dictis hæresibus & hæreticis sese opposuerint, ac Ecclesiæ unitatem contra iniquissimam hanc accusationem statuerint manifestissimè, cordati Lectoris esto judicium, quem inter ipsos etiam Papæos non omninò defuturum sperarem, si ullus adhuc locus Evangelicorum defensionibus, ob Inquisi-

tionis rigorem & Librorum aliquâ ratione, etiam innocentissimâ suspectorum iniquiss-mam prohibitionem hic & ibi supereſſet. Ea inter insigni est solatio, esse hanc nostram de Ecclesiæ Statu sententiam non novam, non hæreticam, sed antiquam, quin ipsius etiam Augustini, quem nullâ unquam ratione nobis ereptum ire possunt. Possem hic præter aliorum nostræ partis Doctorum enucleatissimas super hoc argumento Lucubrationes iteratò etiam ad alterum *Anti-Ottonem* meum provocare, ubi Augustinum ex asse nobis consentire ex non uno Ejus testimonio ostensum fuit: Sed ne quid his pro Augustino Vindiciis desit, juvat exindè aliqua repetere, utpote ex insolentis antehàc Adversarii silentio adhuc firmiter stantia. Eminet autem inter alia, quod augustus hic Doctor contra secundam Ticonii regulam in rem præsentem optimè notavit, scribens:

lib. III. de Doctrin. Christ. cap. 32. *Non revera Domini corpus est, quod cum Illo non erit in æternum; Imò non solùm in æternum, verùm etiam nunc hypocritæ non cum Illo esse dicendi sunt, quamvis in Ejus esse videantur Ecclesiâ.* Accedunt duo Juris Canonici oracula ex Augustino desumta, quorum prius hunc in modum citatur: *Ille non dicendus est esse in Ecclesiâ, & ad illam Spiritus societatem pertinere, qui ovibus Christi ficto corde miscetur. Neque enim solùm ad Ecclesiam non pertinent, qui aperto separationis Sacrilegio manifesti sunt, sed illi etiam, qui in unitate Ejus corporaliter mixti per pessimam separantur vitam.* Posteriùs ita: *Est unitas Ecclesiæ, quæ latè patet, in Sacramentorum videlicet societate & communione, quæ complectitur cum grauis etiam paleas, quando eas corporaliter mixtas ita partitur, ut neque illas justi vitent, neque ab illis justi vitentur. Sic sunt in Ecclesiâ homines mali, ut in corpore humano humores mali, qui interdum exeunt ex corpore.* Glossa quæ dicitur ordinaria id postremum confirmat, scribens: *Sic sunt ficti in Ecclesiâ, quomodo humores mali in corpore. Quando evomuntur, relevatur corpus, & quando exeunt mali, relevatur Ecclesia.* Et huc quam maximè debet referri *Johannis Hofmeisteri*, Ordinis Augustiniani antehàc in Germaniâ Provincialis & Vicarii generalis ad octavum Augustanæ Confessionis articulum observatio, hunc Articulum de mixtis in Ecclesiâ hypocritis & malis *seriò haud dubiè* Caroli Cæsaris & Principum aliorum nomine Theologos tum ad id delectos probasse, *& meritò debuisse*; & Apologiam quoque, quod hoc attinet negotium, *nihil dissimulasse, sed planè rem exposuisse.* Unde autem hæc adprobatio, mi Hofmeistere? Fortè Augustinus Confessores Augustanos hoc docuit! Est ita omninò. Ubi enim fundamentum hujus adprobationis indicare debuit, ad Augustini consensum provocavit, scribens: *Augustinus docet, esse in domo DEI, seu esse in Ecclesiâ, bifariam dici; uno modo esse in ea tanquam membrum in compage Iustitiæ, particeps videlicet spiritualis vitæ, hoc est, cohærens cæteris membris in spiritu Charitatis. Alio modo esse in Ecclesia, esse adhærere membris Ecclesiæ, sicut palea tritico.* Addit uberioris explicationis gratiâ: *Sic omnes, qui habentur tanquam Sacramento Fidei visibiliter Ecclesiæ adscripti, secundum Pacem quandam corporaliter cum Christiano conversantes populo, dicuntur esse in Ecclesia, donec vel judicio Ecclesiæ seperarentur, vel suâ sponte exeant, ipsam contemnentes & persequentes Ecclesiam.* Subjungit ad Authoritatem dictis conciliandam: *Hæc ex Sententia Augustini, qui eadem multis in locis contra Donati hæresin scripsit.* Posset id ulterius ex ipsâ Bellarmini confessione, quam capite nono ad mentem Augustini exhibet, illustrari, nisi eorsùm boni Ordinis causa reservari deberet, nobis ea inter ad alia progredientibus.

c. De illis, c. 24. qv. 3

c. Est unitas, distin. 4. de Consecr.

vid. Harmon. Confess. p. 184

lib. 7 contra Donat. cap. 51.

A quo tempore hæc scripta sunt, prodiit Parisiis *octava* pars Epistolarum *Launoji*, in quâ legitur Epistola post decimam tertia ad *Nicolaum Gatinæum* scripta, prolixissimè examinans definitionem Ecclesiæ à Bellarmino, & ante Illum à *Canisio*, post utrumque autem à *Dominico Bannesio*, *Gregorio de Valentia*, *Adamo Tannero*, atque aliis pluribus, hos cœcâ quâdam observatione sequentibus propositam, ac amplissima deductione ostendens, esse eam omnibus antiquis & recentioribus Ecclesiæ usque ad synodi Tridentinæ tempora Doctoribus & publicis Scriptoribus, atque sic etiam inter cæteros Augustino præprimis incognitam, omnique Antiquitatis authoritate destitutam, & hinc de ipsâ novitate musteâ suspectissimam. Nos iterùm ex Instituto respicimus Augustinum, cujus diversa *sex* loca adducit *Launojus*, ad veram Ecclesiæ definitionem pertinentia, huc omninò adponenda. *Primus est ex opere de catechizandis rudibus*: Ecclesia est populus Dei per omnes gentes, quod est corpus Ejus, adjunctis atq; adnumeratis omnibus sanctis, qui etiam ante Ejus adventum in hoc Seculo vixerunt, ita Eum credentes, venturum esse, sicut nos venisse. *At, inquit Launojus, populus DEI per omnes gentes fidelium est congregatio.* Secundus *est ex opere de Baptismo contra Donatistas*, Ecclesia, quod est populus Dei, etiam in istius vitæ peregrinatione antiqua res est, in aliis hominibus

cap. 3.

anima-

animalem habens portionem, in aliis verò spiritalem. *Tertius ex eodem opere:* Quod in Cantico Canticorum Ecclesia sic describitur, Hortus conclusus, Soror, Sponsa, Fons signatus, Puteus aquæ viventis, Paradisus cum fructu pomorum, hoc intelligere non audeo, nisi in Sanctis & Justis, non in avaris, & fraudatoribus, & fœneratoribus, & ebriosis, & invidis; quos tamen cum justis Baptismum habuisse communem, cum quibus communem non habebant utique charitatem, uberius è *Cypriani* Literis discimus & docemus. Nam dicat aliquis mihi, quomodo irrepserint in Hortum conclusum & Fontem signatum, quos Seculo solis verbis, & non factis renuntiasse *Cyprianus*, & tamen intus fuisse testatur? Si enim & ipsi sunt ibi, etiam ipsi Sponsa sunt Christi. Itane verò talis est illa sine maculâ & rugâ, & illa columba speciosa tali membrorum parte turpatur? An istæ sunt Spinæ, in quarum medio est illa, sicut Lilium, quod in eodem dicitur Cantico? In quantum ergò Lilium, in tantum & Hortus est conclusus & Fons signatus, in illis videlicet justis, qui in occulto Judæi sunt circumcisione cordis; omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinsecùs, in quibus numerus certus est Sanctorum ante Mundi constitutionem prædestinatus. Illa verò spinarum multitudo, sive occultis, sive apertis Separationibus adjacet forinsecùs super numerum. Adnuntiavi, inquit, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Ergò numerus ille justorum, qui secundùm propositum sunt vocati, de quibus dictum est, *Novit Dominus, qui sunt Ejus*; ipse est Hortus conclusus, Fons signatus, Puteus aquæ viventis, Paradisus cum fructu pomorum. Ex hoc numero quidam spiritaliter vivunt, & supereminentem Charitatis viam ingrediuntur, & cùm hominem præoccupatum instruunt in aliquo, in Spiritu lenitatis, intendunt, ne & ipsi tententur; & cùm fortè & ipsi præoccupantur, reprimitur in eis aliquantulum, non autem exstingvitur charitatis adfectus, rursùs q; insurgens & inardescens pristino cursui restituitur. Et quibusdam interpositis: Ex illis omnibus, qui ut ita dicam intrinsecùs, & in occulto sunt intùs, constat ille Hortus conclusus, Fons signatus, Puteus aquæ viventis, Paradisus cum fructu pomorum. *Hæc Ecclesiæ descriptio, inquit Launojus, etsi longiorem accuratioremque contineat indagationem, eò tamen pertinet, ut fidelium exhibeat congregationem.* Quartus *est ex Enarratione Psalmi post trigesimum quarti*, Ecclesia est multitudo, quæ toto terrarum orbe est diffusa. *Et hoc est fidelium cœtus, scribit Launojus.* Quintus *itidem ex Enarratione Psalmi ordine & numero apud Latinos nonagesimi*, Corpus capitis hujus est Ecclesia, non quæ hoc loco est, sed quæ hoc loco & per totum terrarum orbem; nec illa, quæ hoc tempore, sed ab ipso Abel, usque ad eos, qui nascituri sunt usque in finem, & credituri in Christum, totus Sanctorum populus ad unam Civitatem pertinentium, quæ Civitas corpus est Christi, cui Caput est Christus. *Eadem est Ecclesiæ definitio, monet Launojus, quæ dilatatur.* Sextus *tandem è Commentario in Iohannem*, Hunc cibum & potum vult intelligi societatem corporis & membrorum suorum, quod Sancta est Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & justificatis, & glorificatis sanctis & fidelibus Ejus. *Et hoc est prorsus fidelium Societas*, addit iterùm de suo glossæ loco Sorbonista; qui insuper ostensurus in sequentibus, quod Petro tanquam Ecclesiæ capiti vicario à hodiernis Aulæ Romanensis Sectatoribus adscribitur, ad cæteros etiam pertinere Apostolos, *tribus* iterùm Augustini testimoniis in confirmationem adductis: *Primum est è citato proximè in Iohannem Commentario*, Petrus pastor, Paulus pastor, & cæteri Apostoli pastores, & boni Episcopi pastores. *Secundum ex opere de Agone Christiano*, cum Petro dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, pasce oves meas. *Tertium ex Enarratione Psalmi post centesimum octavi*, sicut dicuntur quædam, quæ ad Apostolum Petrum propriè videntur pertinere, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figurâ personam gestâsse propter primatum, quem in discipulis habuit, sicut est, Tibi dabo claves &c. & si quæ hujusmodi, ut illud, Pasce oves meas: *Launojus indè sic concludit*, Ut ergò Petrus, quando dictum est ei, Tibi dabo claves, in figurâ personam gestabat Ecclesiæ; sic & quando ei dictum est, Pasce oves meas, Ecclesiæ personam quoq; gestabat in figurâ.

L. I. c. 15.
L. V. c. 25.
Conc. II.
Tract. 25.
Tract. 47. c. 30.

CAPUT TERTIVM,

De

Catechumenis non baptizatis.

MIrus hic est disputator Bellarminus, adeò non tantum semetipsum confundit, quò se vertat nescius, sed & Lectorem judicii minus confirmati dubium, & quid de Catechumenis statuat, incertum dimittit. Denegare Catechumenis non baptizatis

æternam Salutem non audet, negare eos esse de Ecclesiâ non potest, & tamen eos verè in Ecclesiâ esse concedere non vult, in quâ hypocritis & aliis pseudoChristianis ultrò locum largitur. Quis antehàc Catechumenorum fuerit status & conditio, præter alios lib. II. cap. 3. pag. 105 seqq. amplissimè docuit *Iosephus ViceComes* in Observationibus Ecclesiasticis. Præsentis Instituti ratio nunc aliud non requirit, quam ut videamus, annon ex eo, quod Catechumenis non baptizatis regni Gloriæ possessio adscribitur, justâ colligatur consequentiâ, eos quoque ad regnum Gratiæ tanquam vera ejusdem membra pertinere, adeòq; verè tanquam fideles in Ecclesiâ esse dici debeant. Posse eos salvari, si moriantur in eo statu, concedit Bellarminus contra authorem Libri de Dogmatibus Ecclesiasticis, quem nimis durum hic videri agnoscit. Et probavit id ipsum pluribus Augustini verbis *Ferdinandus de Mendoza*, nobilis Hispanus, in pro Concilii Illiberitani Confirmatione ad Clementem octavum Discursibus, ostendens, apertè Eum docere contra Donatistas, lib. III. cap. 60. pag. 509. & 510. *Catechumenum, si Baptismi Sacramentum non contemsit, sed repentè absque illo, necessitati naturæ cedens, interiit, gloriâ non carere.* Juvat quædam ex iis huc ponere, ut mens Sancti Doctoris eò clarior evadat, qui hâc de re inter alia tradidit sequentia: lib. IV. de Bapt. c. Donat. cap. 21. *Non dubito, Catechumenum Catholicum, Divinâ charitate flagrantem, hæretico baptizato anteponere; sed etiam in ipsâ intus Catholica Ecclesiâ bonum Catechumenum malo baptizato anteponimus. Nec ideo tamen Sacramento Baptismatis, quo iste nondum, ille jam imbutus est, facimus injuriam, cùm aliquem Catechumenum aliquo baptizato fideliorem melioremque cognoscimus. Melior enim Centurio Cornelius nondum baptizatus Simone baptizato. Iste enim & ante Baptismum Spiritu Sancto impletus est, ille & post Baptismum immundo Spiritu fuit inflatus. Veruntamen Cornelius, si etiam accepto Spiritu Sancto baptizari noluisset, contemti tanti Sacramenti reus fieret.* cap. 22. Et post aliqua: *Baptismi sanè vicem aliquando Passionem implere, de latrone illo, cui non baptizato dictum est*, Hodie mecum eris in Paradiso, *non leve documentum Cyprianus adsumit. Quod etiam atq; etiam considerans invenio, non tantum passionem pro nomine Christi posse, id quod ex Baptismo deerat, supplere; sed etiam finem* (rectius, Fidem) *conversionemq; cordis, si fortè ad celebrandum Baptismi Mysterium in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim Latro ille pro Christi nomine crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum; nec quia credidit, passus est, sed dum patitur, credit.* Rom. 10. *Quantum itaq; valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus,* Corde creditur ad Justitiam, ore autem fit confessio ad Salutem, *in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cùm Mysterium Baptismi non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Multo clarius alibi id ipsum docet, omnium reddens rationem, hisque satisfacere contendens, qui contrariæ adhæserant opinioni, dum lib. 1. de adult. Conjug. c. 26. & 27. ita scribit: *Catechumenis in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo seu aliquo casu sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen sibi Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis, quod in Fide Christianâ eorum jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* His & antecedentibus ubi plura ex Augustino subjunxit *Mendoza*, hæc tandem de suo addidit: *Quæ omnia non levibus conjecturis, sed clarissimis rerum notis comprobant, Augustinum ejus Sententiæ semper fuisse, ut crederet doceretque, Catechumenum, dum Baptismi Sacramentum non contemsit, si sine illo necessitate naturæ decederet, ad æterna conscendere Tabernacula.* Testatur idem *Mendoza* insuper, ita Augustinum intellexisse & interpretatum esse Innocentium hujus nominis Secundum, Pontificem Romanum, de quo etsi fateatur ingenuè, quod in citando Augustini libro, octavo nimirum de *Civitate Dei*, nihil de Catechumeno sine Baptismo decedente habeat Augustinus, nisi quod capite libri post decimum tertii septimo in genere de iis, qui sine Baptismo Aquæ moriuntur, in comparatione cum Baptismo Sanguinis agat; Sententiam Augustini tamen, quam retulit Innocentius Pontifex & probavit, videlicet, *Baptismum invisibiliter ministrari, quem non contemtus Religionis, sed terminus necessitatis excludit*, in opere de Baptismo contra Donatistas eisdem verbis conscriptam extare, ex quo proximè adducta fuit, monet *Mendoza*, hâc cum additâ pro Pontifice Apologiâ: *In citantis Sanctorum & aliorum Authorum vel locis vel nominibus, quis adeò crassi erit Ingenii & recti inops consilii, qui tam strictam fidei rationem à Pontificibus exigat, ac in dubiis Catholicæ Fidei quæstionibus, id quod* ***alibi quoque locum habere potest.*** Et quia in Jure Canonico à Compilatore Ejus *Gratiano* contraria Augustino adscribitur Sententia, quam Bellarminus Authori operis de *Dogmatibus Ecclesiasticis* adtribuit, hinc idem quoque ibidem *Mendoza*, eam omni

prorsus

prorsus authoritate carere existimat, cùm etsi non solùm Augustino, sed & *Tertulliano, Fulgentio, Gregorio, Isidoro*, utut à diversis, tribui soleat, non tamen sit probati alicujus Authoris, sed *Gennadii*, Massilienſis in Galliâ Presbyteri, cui eam *Algerus* quoque & *Lombardus* adscripserint, quamvis apud hunc in recentioribus quibusdam Editionibus audacter nimis & falsò Augustini nomen quidam adscripserint; quin & *Thomam* non Augustini, sed *Gennadii* titulo citare hanc Sententiam, *Platinam* quoque, quamvis illum non rectè nominet Episcopum, cùm Presbyter tantum fuerit, de eâ scilicet Gallorum factione, contra quam *Prosper & Hilarius* scripserint, & contra quam fuerit habitum Concilium Arausicanum ordine & hoc nomine secundum. Ea præter, quod *Gennadius* in illo libro non-nulla à piis Lectoribus scripserit cavenda, sicut & antehàc in Catalogo Virorum illustrium, dudum notasse Canonicos Lovanienses in principio & censurâ ejusdem, monentes, illum non esse Scriptoris Catholici; citatam verò illius capitis doctrinam, non Augustini solùm, sed *Ambrosii* quoque & aliorum Sanctorum sententiæ communi Doctorum consensu receptæ adversari perspicuè, & Innocentio tandem Papæ hujus nominis tertio, apertissimè definienti, *Sine Baptismo Aquæ, sed per fidem Sacramenti, quam habent Catechumeni, posse salvari.* Placuit hæc ideò prolixius ex Authore nov-antiquo adscribere, non quod Bellarminus negaret, Catechumenos fideles etiam sine Baptismo posse salvari, aut Augustino contrariam adscriberet Sententiam, sed partim quia hæc suo infra loco, ubi de Salute Infantum sine Baptismo ex hâc Vitâ decedentium ex Augustini authoritate erit agendum, quam maximè poterunt inservire, hâc occasione quasi in antecessum oblatâ; partim quoque & præprimis, quia simul id in se continent, quod & hic contra Bellarminum usui esse potest, ut nimirum legitimâ evincatur consequentiâ, Catechumenos fideles æternæ Beatitudinis extra omne dubium & ex concesso Candidatos, Ecclesiæ militantis communione excludi non posse, ut dicatur, eos verè & propriè non esse de vel in Ecclesia, nimirum ipso actu, sed potentiâ tantum, cùm ipsa loquendi forma ab Augustino adhibita aliud ostendat, scribente, *In ipsâ intus Catholicâ Ecclesiâ bonum Catechumenum malo baptizato anteponimus.* In ipsa Ecclesiâ, inquam, quo nihil clarius aut apertius Doctor hic Sanctus contra Bellarminum scribere potuisset. Id dum & alibi dixit & scripsit Augustinus, quod negare non potuit Bellarminus, videat Lector Veritatis studiosus & censendi peritus, an satis fiat menti Doctoris augusti, si non actu, sed potentiâ saltem Catechumenos esse in Ecclesia dicatur, ideò præprimis, quia Catechumenos à fidelibus distinxit Augustinus, eos insuper hominibus conceptis, non natis comparans: Quasi verò infantes in utero Matris concepti & justo postmodum tempore animati, antequam in Lucem edantur & nascantur, censu hominum propriè dictorum excludi possint aut debeant; aut ii, qui à fidelibus baptizatis distinguuntur, omninò fideles dicendi non sint, Jus quoad communionem Sacramentorum non quidem in re, sed ad rem habentes, adquisituri videlicet finem, id est, æternam Beatitudinem, adeoq; mediis non destituendi.

CAPUT QVARTVM,
De
Hæreticis.

ALiter planè de his judicandum est. Id tamen ut ita fiat, ne Sententiæ confundantur, in genere significandum venit, qui propriè hic per hæreticos intelligantur, nimirum, non ii, qui qualiter- & à quibuscunque hæretici dicuntur, cùm Eruditis non ignotum sit, plures olim inter hæreticos fuisse recensitos, qui propriè hæretici non fuerunt, ac hodienùm multi dicantur hæretici non absque insigni injuriâ & multo cum Veritatis detrimento; sed qui revera doctrinas Fidei fundamentum evertentes pertinaciter defendunt, aliosque unà secum seducere omnibus modis nituntur, & in publico. *In publico*, inquam; cùm & hic distingui debeant, qui in publico hæresin profitentur, ab iis, qui eam occultè fovent, inque Ecclesiâ visibili manent, utut certo considerandi modo Ecclesiæ, nimirum Veræ membra non sint neque dici debeant, utpotè qui in Ecclesiâ, at non de Ecclesia sunt, id quod paulò ante de quibuscunque in Ecclesia malis, tanquam de malis in corpore humano humoribus dictum est. Hoc si observetur, facillimum erit

ea extricare, quæ Bellarminus suo more intricavit, ideò tantum, ut omnes Pontificem Romanum pro Ecclesiæ capite nolentes agnoscere ac dogmata Tridentinæ Synodi suscipere renuentes Ecclesiæ gremio excludat, & tanquam hæreticos omni ex parte consummatos proscribat. Nobis hic quoque Augustinus tantùm erit vindicandus, ne quid Evangelici in hâc etiam Quæstione Ei contrarium statuere videantur. Duo autem præprimis sunt è sacris Testimonia, ad quorum mentem, Augustinus Ecclesiæ visibili corMatth. 18. pore hæreticos adhuc occultos non omninò legitur exclusisse. Prius parabolam de zizaniis ex ore Summi Ecclesiarchæ exhibet, in quâ per zizania intelligi hæreticos, ex Augustino solet ostendi. Bellarminus respondet, *aliquos intelligere per Zizania non hæreticos, sed homines malos, qui sunt in Ecclesiâ. Ita Cyprianus non semel & Augustinus sæpè, non tam ex suâ, quàm Cypriani mente & Sententia. Quod autem Cyprianus per Zizania non intelligat hæreticos, indè potest intelligi, quod in illis ipsis locis, ubi dicit, Zizania esse in Ecclesiâ, hæreticos non esse in Ecclesiâ dicit; & præterea ex intentione Cypriani patet, qui in illis locis contra Novatianos scribit, qui nolebant admittere lapsos pœnitentes in Ecclesiam, metuentes, ne communicarent peccatis aliorum, quibus ex parabolâ Domini ostendit Cyprianus, in Ecclesiâ non solùm esse homines fortes, sed imbecilles etiam, qui aliquando labuntur, sicut in agro simul cum frumento sunt etiam Zizania.* Bellarminus pergit: *At licet hæc Expositio non sit contemnenda, neque nobis contraria, melius tamen respondetur cum Augustino, per Agrum non significari Ecclesiam, sed Mundum universum. Dominus enim exponens Parabolam, ait,* Ager est Mundus. *Porrò, nomine Zizaniorum etsi rectè intelligantur hæretici, tamen fortè magis ad literam intelligeremus omnes in genere malos, sive hæretici sint, sive non. Scopus enim Parabolæ est, ostendere, semper futuros in Mundo aliquos malos, nec posse ullâ diligentia humana Mundum purgari ante diem judicii. Vndè Dominus ait, Zizania esse filios nequam & illos omnes, qui tandem in ignem æternum dejicientur.* Ita Bellarminus, neque sibi satis constans, neque cum aliis congruens, id quod indè constabit, si, quæ *Esthius* ad hanc Parabolam, similem in modum non usque adeò secum ipso vel cum aliis conveniens observavit, huc etiam pro uberiori Lectoris confirmatione exscribantur: *Ex hâc Parabola tripliciter probatur, esse in Ecclesiâ malos bonis permixtos, per zizania significatos.* Primò, *quia initio Parabolæ dicitur,* simile factum est regnum Cœlorum; *nam per regnum Cœlorum Ecclesia præsentis temporis significatur.* Secundò, *quia dicuntur Zizania in medio Tritici seminata, id est, mali inter bonos, quod solùm est in Ecclesiâ; nam extra Ecclesiam soli sunt mali.* Tertiò, *quia in Explicatione Parabolæ infra dicitur, quod Angeli colligent de regno DEI omnia Scandala & eos, qui faciunt iniquitatem; ergò in regno DEI, id est, Ecclesiâ sunt scandala & facientes iniquitatem.* Addit, *Esthius*, sibi & Bellarmino, quin ipsi etiam Veritati contrarius: *Nec valet in contrarium, quod Augustinus alicubi per Zizania intelligit hæreticos, tum quia Expositio illa est restricta, cum Dominus exponat filios nequam & scandala & facientes iniquitatem, qui multò latius patent hæreticis; tum quia Augustinus intelligit hæreticos, qui in Ecclesiâ latent, donec indè separentur manifestè. Nec rursùm obstat, quod Dominus agrum interpretatur Mundum, non Ecclesiam; nam significatur per hoc, Ecclesiam toto Mundo esse diffundendam. Et quia ante jactum Semen bonum non potest intelligi Ecclesia, quæ constat ex fructu Seminis, id est, Tritico; propterea dicitur Semen jactum in Agrum, id est, Mundum, non in Ecclesiam ex Semine construendam.* Non vacat jam Scriptores hos inter se committere ac contradictiones eorum colligere in fasciculum. Satis erit, si ea tantum excerpantur, quæ in rem nostram esse videntur. Grati nimirum accipimus, per zizania intelligi homines malos, qui sunt in Ecclesiâ. Si enim homines mali esse dicuntur in Ecclesiâ, cur non & hæretici, malis omninò adnumerandi, ii præprimis, qui sicut cæteri in Ecclesiâ hypocritæ adhuc latent, ac proveris Ecclesiæ membris volunt haberi & agnosci. Nec minus placere potest, nomine zizaniorum rectè intelligi hæreticos in specie, etsi Bellarminus putet, fortè magis ad literam omnes in genere malos intelligi, quod tamen ad idem redit, ut dictum est. Inprimis autem huc facit, quod *Esthius* quam optimè observavit, instituisse hâc Parabolâ Christum describere statum Regni Cœlorum, id est, Ecclesiæ temporis præsentis, ut, quamvis in Explicatione dicatur, Agrum esse Mundum, nihil aliud intelligatur, quam Ecclesia per totum Mundum diffundenda. Recipimus etiam id, quod ex Augustino monetur, per zizania tales intelligi hæreticos, qui in Ecclesiâ latent, donec inde separentur
ExMatth. Quæst. 11. manifestè. Juvat verò ipsum audire Augustinum: *De Zizaniis rectè quæritur, utrum hæretici sint, aut malè viventes Catholici? Possunt enim filii mali etiam hæretici dici, quia ex eodem Semine Evangelii & Christi nomine procreati, pravis opinionibus ad falsa conver-*

convertuntur Dogmata. Sed quod dicit eos in medio Tritici seminatos, illi quasi videntur significati, qui unius sunt communionis. Veruntamen, quia Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc Mundum interpretatus est, BENE *intelliguntur hæretici, quia non societate* NB.
unius Ecclesiæ vel unius Fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc Mundo permiscentur bonis; at illi (rectius, ut illi) *qui in eâdem Fide mali sunt, palea potius, quam zizania deputantur, quia etiam palea ipsum cum frumento habet fundamentum radicemq; communem.* Multa hic habet Augustinus notatu digna, quæ & Bellarmino & *Esthio*, aliisque omnibus ex parte adversariâ opponi possunt, ne id, quod volunt, obtineant. Alterum nunc succedat ex Sacris Testimonium, ex cujus mente Augustinus Evangelicorum in hâc Quæstione Sententiam defendisse legitur, quod illo Apostoli nititur Oraculo, *quo in magnâ* II. Tim. 2.
domo Vasa aurea & argentea, & lignea & fictilia esse perhibetur. Ut & ipsum Apostoli oraculum, & Augustini sententiam nobis eripiat, multum laborat quidem, sed parum vel nihil planè proficit Bellarminus, ut ex responso ejus videre licet, quod hunc in modum est conceptum: *Post Cyprianum & Ambrosium Augustinus nomine domûs intelligit Ecclesiam. Et licet Ambrosius & Augustinus per vasa lignea & fictilia velint hæreticos significari, idem Augustinus tamen explicat, quomodo sit intelligendam, eos esse in Ecclesiâ, videlicet, antequam per obstinationem & pertinaciam separentur. Et ad hoc tempus respexit Apostolus, ita, ut non tam hæretici, quàm errantes dicantur esse in Ecclesiâ. Addit etiam, posse dici, eos esse in Ecclesiâ, postquam exierunt, propter Sacramentorum administrationem, quia ipsi etiam Sacramenta quædam verè administrant, quod est dicere, eos esse in Ecclesiâ secundum aliquid, non simpliciter.* Exceptâ hâc posteriori Sententia Augustini, de qua suo forsitan loco, cætera non contra, sed ad Evangelicorum de hac Quæstione Sententiam sunt, quam Augustinus quocunque etiam studio & labore melius exprimere non potuisset.

His de hæreticis in genere ad Augustini mentem contra Bellarminum propositis juvat addere, quæ *Matthias Hauzerius*, Ordinis Franciscí, in posteriori *Epitomes Augustinianæ* Tomo, ad librum Ejus *de Vtilitate credendi*, ad hoc argumentum, quis hæreticus sit ex Augustini sensu, contulit, verba Ejus ex hujus operis principio sequentia adducens: *Hæreticus est, ut mea fert opinio, qui alicujus commodi temporalis, & maximè Gloriæ principatusq; sui causâ, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur; ille autem, qui hujusmodi hominibus credit, homo est imaginatione quâdam Veritatis ac Pietatis illusus.* Ex hoc Epitomator Anatomicus plures resultare difficultates putat, & *primò* quidem, quod alibi, nimirùm in libro de hæresibus scribit: *Non omnis error est hæresis, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo, hæresis esse non possit.* Addit Franciscanus Scriptor: Quid ergo faciat hæreticum, regulari quâdam definitione comprehendi, sicut existimo, aut omninò non potest, aut difficile. *Secundò*, quod hic videantur describi tantum Hæresiarchæ aut hæreseos Ministri, qui indè commodum aliquod temporale vel vanam percipiunt Gloriam. *Tertiò*, quod hic nulla fiat mentio pertinaciæ, quæ tamen proprius sit character hæreseos. *Quartò*, quod hinc plerique excusarentur ab hæresi, quia plerique credunt aliis illusi quâdam imagine Veritatis ac Pietatis. Has ut removeat difficultates *in genere* respondet ex collatione hujus descriptionis cum pluribus aliis ad ejus sensum pertinentibus. Ex opere *Quæstionum Evangelicarum in Matthæum*, ex quo contra Bellarminum quoque de zizaniis testimonium proximè habuimus, hæc habet: *Solet quæri, quid schismatici distent ab hæreticis, & hoc inveniri, quod Schismaticos* cap. 11.
non facit Fides diversa, sed communionis disrupta societas. Nec tamen consequens est, ut omnis hæreticus vel schismaticus corporaliter ab Ecclesia separetur. Si enim falsa de DEO credit, vel de aliquâ parte Doctrinæ, quæ ad Fidei pertinet ædificationem, ita ut non quærentis cunctatione sit tentatus, sed inconcussè credentis, nec omninò scientis opinione ac errore discordans, hæreticus est, & foris est animo, quam vis corporaliter intus videatur. Ex opere contrà Cresconium: *Hæreses non, nisi inter diversa sequentes solent fieri* &c. *Inter nos, quibus idem* lib. II.
Christus natus, mortuus & resurgens, una est religio, schisma factum dicitur, non hæresis. cap. 3.
Et ibidem: *Inter schisma & hæresin magis eam adprobo distinctionem, quâ dicitur schisma* cap. 7.
esse recens congregationis ex aliquâ sententiarum diversitate dissensio &c. hæresis autem schisma inveteratum. Iterùm, *Sacrilegus error est à Christianâ unitate separatio.* Ex Epistolâ post centesimam & sexagesimam secundâ: *Qui sententiam, quamvis falsam atque per-* cap. 8.
versam, nullâ pertinaci defendunt animositate, præsertim quam non audaciâ suæ præsumtionis pepererunt, sed à seductis atq; in errorem lapsis Parentibus acceperunt, quærunt autē cautâ sollicitudine Veritatem, corrigere parati cùm invenerint, nequaquâ sunt inter hæreticos deputandi.

Hoc

Hoc testimonium eò majoris æstimandum, quod à *Gratiano* Corpori Juris Canonici
cap. 25. legitur insertum. E libro de Unitate Ecclesiæ, *Quisquis contra Veritatem, quâ convincitur & arguitur, inimicum gestat animum, jam præscisus est* &c. E citato suprà de Hæresibus libro, *Donatistæ post causam dictam atque finitam, pertinaci dissensione firmatâ, schisma verterunt in hæresin.* In specie ex hujus Textûs, qui sub initium libri de *Vtilitate credendi* legitur, intentione, & cum reliquis collatione, respondeo, inquit Anatomicus, *primò*, Augustinum hinc intendisse sibi conciliare benevolentiam sui quondam Amici, nimirùm *Honorati*, ad quem hoc opus de *Vtilitate credendi* scripsit, seu cavere ab ejus exacerbatione, odiosâ hæreseos criminatione; quod quidem consultissimum est, scribit Franciscanus, quantum salvâ Veritate & absque scandalo potest fieri. *Secundò*, Augustinum hæc non scripsisse ex communi quâdam ac simili de omnibus præsumtione, sed ex singulari sui quondam Amici notitia ac experientia. *Tertiò*, tantam difficultatem illam non esse definiendi ipsam hæresin aut hæreticum in genere, sed vel ita comprehendendi omnes hæreses, ut neq; quid deesset, neque redundaret; vel præcisè comprehendendi ac distingvendi materiam seu doctrinam & errores hæreticos à non hæreticis; vel condemnandi hæreseos certas personas non, nisi ex aliquâ præsumtione meritâ & certitudine morali; vel denique ex familiari quâdam Augustini modestia & humilitate. *Quartò*, videri quidem hic præcipuè definiri Hæresiarchas, eorumque complices ac Ministros, reverâ tamen extendi posse ad omnes hæreticos, quia nullus sit talis, quin sit pertinax; nulla autem videatur esse pertinacia posse, nisi ex vana quâdam Gloria seu complacentia & adfectatione opinionis propriæ. Unde quamvis hæc pertinacia non ita verbatim exprimatur in se, satis tamen exprimitur in suâ hac causa & origine. *Quintò* tandem, quod, quamvis externa præsumtio sit contra plerosque hæreticorum sequaces, spem privatam tamen & internam esse posse pro multis talibus, de quibus locis suprà citatis Augustinus. His, & quæ *Epitomator* amplius subjungit, unicum addo ex opere de *Civitate DEI* testimonium, quod ab Eo prætermissum miror,
lib. 18. cap. 15. cùm tamen ante cætera debebat adduci, quia instar omnium potest esse: *Qui in Ecclesiâ Christi morbidum aliquid pravumque sentiunt, si correpti, ut sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera emendare nolunt Dogmata, sed defensare perstistunt, hæretici fiunt.* Plura qui desiderat, sitim delere potest ex opere *Concordantiarum* Augustini *Parisino*. Hæc autem nunc sufficiat addidisse ad sententiam Patris augustissimi in gratiam Veritatis Evangelicæ defendendam contra Bellarminum & sequaces.

CAPUT QVINTVM,
De
Schismaticis.

vid. P. Marcæ de Conc. Sacerd. & Imp. lib. IV. cap. 8. num. 3. QUia non planè nulla est inter hæreticos & schismaticos differentia, ideò de his quoque, quàm de illis aliter statui debet. Potest esse quis hæreticus in Ecclesiâ occultus, id quod de schismatico quà tali non potest dici. Dum verò & Schismaticorum non una eademque est ratio, non uno etiam eodemque modo considerandi sunt. Attendenda hic præprimis est inter Schismaticos activos & passivos distinctio. Illos propriè, non hos Ecclesiam scindere, nemo non videt. Schisma Paschale, quod olim Ecclesias Orientales ab Occidentalibus scidit, tale non fuit, ut, qui vel his vel illis adhæserunt, extra Ecclesiæ gremium vivere dici potuerint verè. Schisma Anabaptisticum, quod Cyprianum & Stephanum, illum Carthaginensem, hunc Romanum Præsulem non pauco tempore exercuit, neque hunc, neque illum Episcopatu, multò minus Ecclesiâ movit, quamvis utrinque Roma sese duriorem justo exhibuerit, ut sequens caput docebit. Idem hodie etiam esse observandum, res ipsa monet. Dicuntur Evangelici schisma fecisse, seque ultrò ab Ecclesia Romano-Catholicâ separasse, ac ideò pro veris Ecclesiæ membris haberi & agnosci amplius non debere. Sed si Acta Seculi antecedentis cum circumstantiis ritè ponderentur, adparebit, Evangelicos non tam schismatis authores, quam patientes dici posse & debere, cùm illi nunquam se ab Ecclesiâ verè Catholica separaverint, sed ab Ecclesia in specie Romanâ, & quicunque eidem tunc adhæserunt, ob orthodoxæ Veritatis post manumissos errores confessionem, fuerint excluſi ac hodienùm excludantur, quorsum omnis

Bellar-

Bellarmini labor in hoc, ut & antecedentibus & consequentibus intenditur capitibus, ne Evangelici ullâ ratione membra Ecclesiæ dicantur. De cætero nullus est Evangelicorum, qui non cum Augustino & hæreticos verè ita dictos, nimirum manifestos, & schismaticos unitatem Ecclesiæ & Christi tunicam nefariè scindentes, sequemet ipsos ab Ecclesiâ, cui adhæserunt, sine causâ separantes, non à visibili solùm Ecclesiâ excludat, sed & regno Cœlorum æternæque Beatitudinis exclusos fore judicet, nisi seriâ in tempore ducti Pœnitentiâ, ejuratis erroribus ad se, ipsumque redeant DEUM, ac Ecclesiæ de novo reduniantur. Hinc quidquid Bellarminus in hoc Capite ex Augustino adduxit, non contra, sed pro Evangelicis militant, qui, quod repetendum est, verè Schismaticos neque de Ecclesiâ, neque in Ecclesia esse agnoscunt: utut Bellarminus fateri necessum habuerit, non planè nullos (Romano-) Catholicorum de hoc non solùm dubitare, sed & adfirmare contrarium, quod hic tanquam insigne documentum declamatæ Unitatis in doctrinâ ex tam ingenuâ Confessione notari omninò debet.

CAPVT SEXTUM,
DE
Excommunicatis.

ET hic in antecessum non planè nihil observandum venit. Distinguendum enim omninò est inter Excommunicationem, quæ dicitur major, & eam, quæ dicitur minor, quam in Ecclesiis Evangelicorum bene constitutis ex antiquo ritu, juxta præscriptum Christi & methodum Apostolicam adhuc observari, nemo nescit. Ut etiam differentia inter Excommunicationem justam & injustam addatur, non est de nihilo neq; frustraneum. De injusta ipse Bellarminus agnoscit, *posse hominem excommunicatum retinere Baptismum, Fidei professionem & subjectionem Prælatis legitimis debitam, atque adeò esse amicum DEI.* De justa etiam addit, *posse hominem agere pœnitentiam, & hæc tria ante, quàm absolvatur habere, & hinc esse in Ecclesiâ*; hâc tamen cum limitatione, *talem esse in Ecclesiâ non corpore sive externâ communicatione, quæ propriè faciat hominem esse de Ecclesiâ visibili, sed animo saltem sive desiderio, quod sufficere illi possit ad Salutem*, unde annon, sicut paulò ante de Catechumenis dictum, pro excommunicatis etiam possit concludi & per justam deduci consequentiam, eos, inprimis qui minori Excommunicationis gradu sunt puniti, & quibus per Pœnitentiam patet ad Ecclesiam reditus, etsi ab Ecclesiæ externo corpore videantur & dicantur excluſi, & quæ vis vocabuli, extra Communionem Sanctorum & eorum visibilem cœtum rejecti, adeoq; verè excommunicati, adhuc tamen certâ quadam ratione in Ecclesia esse, nullo planè modo dubitandum esse videtur, quidquid etiam aliis videatur. Et si id de justâ Excommunicatione verum est, per se patet, multò magis id de injustè excommunicatis dici debere, quod nimirum rigor ille, cui præter omne meritum subjiciuntur, eos Ecclesiæ gremio non excludat, sicut eis quoad æternæ Salutis adquisitionem nocere non potest. *Irenæus* certè Lugdunensis Præsul suo tempore adeò non laudavit Victoris, Romani Pontificis, in excommunicandis ob Controversiam Paschalem Ecclesiis Orientalibus præcipitantiam, ut potius Eum ob id liberrimè & graviter reprehenderit. Quid in causâ inter Cyprianum & Stephanum Anabaptisticâ sit factum, hactenus occasione non semel oblata constitit. Utut enim Stephanus exemplo Victoris præposterè satis Cyprianum cum suis excommunicârit, cæterasque ab Eo separatas voluerit Ecclesias, non tamen obtinuit, quod voluit, Cypriano nihilominus honorem Episcopatûs, sicut antea, inter suos constanter obtinente, anathemate Stephani tanquam bruto fulmine eluso & eliso. Si recentioribus res hæc exemplis illustrari deberet, Gallia ante cæteras orbis Europæi nationes & regna è proximioribus Seculis non unum suppeditare posset. Instar omnium esse potest, quod *Petrus de Marcâ*, Archi Episcopus non ita pridem Parisiensis, in laudato superius non semel de *Concordiâ Sacerdotii & Imperii* opere, de Bullâ, quæ à die promulgationis annuæ nomen habet, & nonnisi anathemata & Excommunicationis fulmina in universum quà patet orbem Christianum, contra quoscunq; Rom. Pontificii inobedientes aut quacunq; ratione universali Ejus in Spiritualibus simul & temporalibus regimini contrarios, indebita liberalitate spargit & emittit, pro ratione Statûs Ecclesiæ Gallicanæ & prætensarum Ejus libertatum monet, nimirum, *etiamsi in eâ anathema-*

vid. D. Carpzov. Isag. pag. 871.

vid. D. Danuh. Christ. Act. I. pag. 482.

lib. III. cap. 10. pag. 178.

themati addicantur, quicunque rerum Ecclesiasticarum jurisdictionem ad se trahunt, quamvis prætextu gratiarum illis concessarum; Reges tamen Galliæ vel ex mero Iure Regio quamplurima ad suam suorumque Magistratuum cognitionem traxisse, vel ex longissimâ consvetudine & Romanæ Sedis tolerantiâ id sibi juris quæsiviſſe, adeòque primo casu, cùm jure suo utantur, à Bullæ ictibus esse tutos; in secundo autem, etsi daretur, illâ generali formulâ comprehendi Reges Galliæ, cùm scripto damnati, ipso tamen facto & continuato tolerantiæ effectu absoluti sint, rectè sequi, ad summum, minas tantum Excommunicationis injectas, & potius contestationem publicè adhibitam ad repetenda quandoque Iura, à quibus præscriptione fortassis Romana cadere posset Ecclesia, quàm ut Reges Galliæ feriantur anathemate. Accedere regulam generalem, Legibus Ecclesiasticis non obstringi Provincias, in quibus promulgatæ & usu receptæ non fuerint, ut acciderit huic etiam Bullæ, cui exceptio illa apud Gallos objici soleat. Et quamvis ea respondendi ratio sola sufficeret, alio tamen modo ab illis reges Galliæ tutos esse minis, utpotè quibus ipsi Pontifices Romani indulserint, ut nullis Censuris teneantur à Sede Apostolicâ inflictis, quacunque Verborum formulâ sint conceptæ, nisi disertis cautum sit verbis, Reges Francorum iis quoque comprehendi. Sed & præter has rationes aliud quoque & egregium supereſſe remedium, quo omnem hujus Bullæ metum à capite Regio, & qui vice Eorum sacra judicant, liceat arcere. Nempè, Consvetudinis antiquissimæ usum privilegii vim sortiri, etsi nullæ proferri possent Privilegiorum tabulæ. Porrò, etsi disceptetur inter Iurisconsultos, an Privilegium semel à Principe indultum rescindi possit sine causâ, nullum dubitare tamen, quin Privilegia, quæ propter merita conceduntur, in naturam contractûs transeant, ideoq; revocari nullo possint modo. Tot autem tantaque in Sedem Romanam merita esse Regum Galliæ, ut Privilegia consvetudine firmata per Bullam in Cœnâ Domini Regibus Galliæ non adimi profiteantur Bellarminus & Svarez &c. Non præter rem fuit vilum hæc in exemplum adducere ex Authore, quem non in omnium venire manus, certum est, præprimis, cùm ad propositæ Quæstionis illustrationem non planè nihil conferre possint. *Augustinus* nunc prodeat, ut ex Eo audiamus, quid Ille hic suo tempore statuerit. Duo autem inter alia considerari debent ex Eo testimonia, quæ ipse Bellarminus suppeditat. Prius quidem in Sententiam omnino nostram, hoc verborum tenore: *Sæpè Divina sinit Providentia expelli de congregatione Christianâ Viros etiam bonos, quam contumeliam vel injuriam cùm patentissimè (rectius patientissimè) propace Ecclesiæ tulerint, neque ullas novitates vel schismatis, vel hæresis fuerint moliti, docebunt homines, quam vero adfectu & quantâ sinceritate charitatis DEO sit serviendum. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns.* Benè hæc Augustinus, ut non melius potuerit, inque non exiguum eorum solatium, qui se innocentèr à Mundo immundo audiunt excommunicatos, ne per bruta hæc fulmina se à DEO etiam separari metuant. Sed & de iis, qui justè videntur excommunicari ab Ecclesiâ, aliter sensit Augustinus, quam Bellarminus, id quod posterius docet Testimonium Ejus, ita sonans: *Neque à populo DEI separamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus.* Hic locus cùm ita clarus sit, ut nullam planè obscurationem patiatur, Bellarminus nihilo tamen minus suspicione præter omnem rationem conceptâ ductus corruptum esse scribit, ac particulam *Non* expunctam, hoc modo inserendam: *Neque enim à populo DEI non separamus* &c. Et ne sine aliquâ ratione illud videatur fingere, sequentia requirere verba scribit, quæ apud Augustinum hæc sunt: *Et ubi hoc facere Pacis & Tranquillitatis Ecclesiæ gratiâ non permittimur, non tamen ideò Ecclesiam negligimus, sed toleramus, quæ nolumus, ut perveniamus, quò volumus, utentes cautelapræcepti Dominici, ne, cùm voluerimus ante tempus colligere Zizania, simul eradicemus & triticum.* Quia autem Bellarminus non nimiùm se huic suspicioni fidere posse prævidit, ideò ad aliud responsi genus se paratum habuit, porrò scribens: *Quod si locus hic non sit corruptus, responderi posse, per populum DEI hoc loco non intelligi solam militantem Ecclesiam, sed absolutè numerum omnium salvandorum, sive sint in Ecclesiâ, sive possint esse in eâ. Non enim per Excommunicationem intendunt Pastores, separare homines à numero salvandorum, sed potius eâ correptione eorum salutem juvare.* Ipsam Bellarmini suspicionem de corruptione loci quod attinet, eam præter omnem esse rationem adhuc semel dictmus. Quam enim ex sequentibus Augustini verbis adducit, nulla est omninò. Dum enim sanctus Pater suo jam tempore est conquestus, quod non semper Pacis & tranquillitatis Ecclesiasticæ gratiâ hoc fieri permittatur, non de ipsâ separatione à populo DEI, nimirum internâ debet intelligi, quæ Bellarmini est sententia, sed *de degradatione vel excommunicatione*, quâ eos, qui hâc pœnâ adficiuntur, non omninò Ecclesiæ gremio

de Verâ Relig. c. 6.

lib. post Collat. c. Donat. cap. 20.

vid. D. Hülsem. de Corrept.

scribit

scribit ejici Doctor augustus, sed *tantum ad humiliorem pœnitendi locum rediqi*, quod ali- frat. pag. 297. seqq. conf pag. 230. & seqq.
undè etiam ex Disciplinæ antiquorum Ecclesiasticæ circumstantiis plus quam satis est notum. De cætero patet ex Augustini integro Textu illud quoque responsum Bellarmini huc non quadrare, dum responderi posse (an etiam debere?) existimat, *per populum DEI* Augustinum non intellexisse *solam militantem Ecclesiam, sed absolutè numerum omnium salvandorum.* Quamvis enim, hoc etiam concesso, habeamus, quod volumus, dum militantem Ecclesiam non exclusit, etsi solam non voluerit hic intellectam; tamen si sequentia, ad quæ Bellarminus provocavit, Augustini verba ritè ponderemus, luce meridianâ clarius adparebit, Eum omninò hic solùm de militante Ecclesiâ egisse, quod & ipse Bellarminus sine dubio vidit, at agnoscere noluit, dum hanc semel thesin, de exclusione excommunicatorum à corpore Ecclesiastico, omnibus modis defendendam suscepit, nullum alium in finem, quàm ut, quod de hæreticorum & schismaticorum denominatione etiam observari debet, Evangelicos non semel à Jove Capitolino anathematizatos, & fulminibus Dei gratiâ hactenus utplurimum brutis percussos, tanquam Ecclesiæ gremio exclusos, & hinc Orbi Christiano exosos hâc etiam ratione faciat.

CAPVT SEPTIMVM & seqq.

De

Non-Prædestinatis, Non-Perfectis & Magnis Peccatoribus.

COnjungi omninò possunt hi, de quibus in specie tribus distinctis capitibus agit Bellarminus, ideò, quia ex unâ possunt fideliâ dealbari, si modò Æthiops cutem mutare potest. In antecessum verò notari debet, nomina prædestinatorum & reproborum hic non eo sumi sensu, quo apud eos intelliguntur, contra quos Bellarminus hanc proposuit thesin; quin & de perfectis & non perfectis ita agendum est, non quasi ullos verè & in se perfectos esse in Ecclesiâ statui possit, cùm ipse Bellarminus ultrò agnoscat, *excepto Christo, & B. Virgine* (de quâ suo inposterum loco) *nullos esse, quamvis Sanctissimos in hâc Vitâ, qui non aliqua habeant peccata*, quæ Illo suo more & stylo dicit *venialia*, sed quia Scripturæ stylo ii etiam dicuntur perfecti, qui propriæ imperfectionis memores, Verâ Fide in Christi solius merito perfectionem quærentes, in quotidianæ perfectionis & renovationis studio & stadio vi obligationis in Baptismo fœderalis constituti, ad cœlicam pergunt & plenariam in statu æternæ Beatitudinis perfectionem. His opponuntur magni peccatores, qui hoc nomine solent indigitari, etiam dum in viâ conversionis sunt, & quos in peccatis vixisse seriò & cum magno dolore pœnitet. Ambiguitate vocabulorum hunc in modum aliquatenus evolutâ, facillimum est ad quæstiones à Bellarmino propositas respondere. Ita ut non adeò magnum discrimen inter nostram & Ejus Sententiam sit super, præprimis si insuper diversus Ecclesiam considerandi modus, de quo supra jam aliquid dictum est, & infra pluribus agemus, probè attendatur. Nimirum, reprobi etiam, non qui absoluto quodam Decreto reprobantur, sed quos Fidei salvificæ defectus damnat, qui se huic vel illi Ecclesiastico cœtui adsociant, esse & vivere ad tempus in Ecclesiâ dici possunt & debent. Non perfectos si ab Ecclesiastico corpore velimus separare, nescio, qualia Ecclesiæ membra fingere opus esset. Magni etiam, quin & maximi peccatores, dum seipsos per impœnitentiam finalem Ecclesiæ gremio non excludunt, sed seriæ utut seræ etiam pœnitentiæ spem de se faciant, cur omnino excludi, Cœlique janua illis occludi debeat, nondum ita manifestum est. Et quia hic ubique Augustinum habemus consentientem, ipso teste Bellarmino, res amplâ discussione non indiget. Ea nunc tantum breviter ex augusto Doctore juvat adducere, quibus ea, quæ in antecedentibus tractata sunt capitibus, ex parte possunt confirmari. Si enim, juxta Sancti Patris mentem, *multæ foris oves, multi intus lupi* sunt; Si porrò reprobi in Ecclesiâ dicuntur *spinæ propter malignitatem morum, filii propter communionem Sacramentorum*; Si quidam *propter susceptam vel temporaliter gratiam DEI dicuntur filii, nec tamen sunt à Deo*; *Si non semper in uno erunt, qui nunc in uno sunt*; Si ulterius apud eundem augustum Doctorem verè Catholici contra Donatistas *unam & Sanctam Ecclesiam nunc esse aliter, tunc aliter futuram* dixerunt, *nunc malos habere mixtos, tunc non habituram*, id quod in specie contra Confessionistas notandum putat Bellarminus, qui pro Confessionistarum doctrinâ id inservire vix non videre potuit; Præter hæc si itidem ad Augustini Sententiam *nomen filii tribus modis in Scripturâ accipitur*, uno, *ratione productionis, sive illa sit generatio propriè, sive creatio, sive regeneratio*; secundo, *ratione imi-*

Tract. 45. in Joh. Epist. 48. ad Vinc. de Corrept. c. 9. de Doctr. Christ. lib. III. cap. 32 in Brev. Collat. num. III. c. Adimãtum, c. 5.

imitationis; tertio autem *ratione doctrinæ, quo omnes, qui sunt in Ecclesiâ*, (ita notanter ex Augustino scribit & exscribit Bellarminus) *sunt filii Dei & Ecclesiæ, quia tenent veram doctrinam Dei & Ecclesiæ, & tamen possunt esse boni & mali*; nemo non videt, qui oculorum mentis usu pollet, quot argumenta pro hæreticis non ita manifestis, pro Schismaticis contra Fidei fundamentum non errantibus, (ut de Catechumenis ante Baptismi susceptionem morientibus & injustè excommunicatis, vel de hæreticis etiam innocenter damnatis, & iis, qui sine causâ sufficienti Schisma non tam inferunt, quàm inviti patiuntur, nunc non dicam) exindè per justissimam consequentiæ vim contra Bellarminum deduci queant, quæ omnia Lectoris judicio ob præscriptam brevitatem studiosè commendantur. Id solùm restat, ut quoniam ipse Bellarminus suum hâc in re præbuit consensum, eum Lectori tanquam Veritatis confessionem sistamus, & quidem eo magis, quia Augustini authoritatem habet & agnoscit pro fundamento, nobis quoque non ingratam. Inter argumenta nimirùm, quæ sibimet ipsi suæque objicit sententiæ, ordine & numero octavum ex sequentibus Augustini verbis formatur: *Etiam nesciente Ecclesiâ propter malam pollutamq; Conscientiam damnati à Christo jam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus damnata habere membra.* Citantur alia ex Augustino loca, quibus idem docetur, videlicet, quod magni, ut Bellarminus in limine præscribit, peccatores ob prævisam eorum impœnitentiam à Christo damnati vera quidem non sint Ecclesiastici Systematis quoad internum ejus respectum membra, utut sese in exteriori cœtu & visibili Ecclesiâ adhuc præsentes sistant, &, qui hypocritarum mos est, ad communionem Sacramentorum admitti velint. Quid ad hæc Bellarminus? Respondet, *propter hunc locum & similes non Brentium modò & Calvinum, sed aliquos etiam* (Romano-) *Catholicos fingere duas Ecclesias, sed verè fingere. Nam nec Scripturam, nec Augustinum usquam meminisse duarum Ecclesiarum, sed unius tantum. Certè in breviculo Collationum, collatione tertiâ, cùm Donatistæ calumniarentur, Catholicos facere duas Ecclesias, unam, quæ solos bonos, aliam, quæ bonos cum malis contineret; responderunt Catholici, se nunquam duas somniasse Ecclesias, sed tantum distinguere partes vel tempora Ecclesiæ. Partes quidem, quia aliter boni, aliter mali ad Ecclesiam pertinent. Boni enim sunt pars interior & anima quasi Ecclesiæ; mali autem sunt pars exterior & quasi corpus, & dabant exemplum de homine interiore & exteriore, qui non sunt duo homines, sed duæ partes ejusdem hominis. Tempora autem distinguentes dicebant, Ecclesiam aliter esse nunc, aliter futuram post Resurrectionem; nunc enim habet bonos & malos, tunc non habebit, nisi bonos, & ponebant exemplum de Christo, qui cùm semper sit idem, tamen ante Resurrectionem suam fuit mortalis & passibilis, posteà immortalis & impassibilis.* Pergit Bellarminus: *Hanc doctrinam idem Augustinus alibi sæpè confirmat & variis explicat similitudinibus*, dicens, *bonos sic esse in domo Dei, quæ est Ecclesia, ut ipsi sint domus Dei ex vivis constructa lapidibus; malos sic esse in eâdem domo, ut ipsi tamen non sint domus.* Et alibi, *malos esse præcisos ab Ecclesiâ animo, non corpore tamen*, quod est juxta Bellarmini glossam dicere, *malos pertinere ad hominem Ecclesiæ exteriorem, non interiorem.* Et iterum ad Cantici dictum, Nigra sum, sed formosa &c. notans, *non esse dictum, Nigra fui, seu formosa sum, sed, Nigra sum & formosa, quia ipsa una & eadem Ecclesia nunc est nigra, sicut tabernacula Kedar, propter peccatores, quos in se habet, & simul est formosa, sicut pelles Salomonis*, id est, *sicut tentoria Regis, propter bonos, quos in se habet.* Iterum alibi, *malos esse quidem in Ecclesiæ corpore, non ut membra, sed ut humores corruptos, qui manent in corpore & qui reverà sunt in corpore, & tamen sunt etiam verè separati à membris corporis.* Addit ad hæc Bellarminus: *Ex his respondetur, quando Augustinus dicit, malos non esse in Ecclesiâ, intelligi debere, non esse eo modo, quo sunt boni*, id est, *non esse, ut membra corporis viva.* Quia autem alia adhuc supereſt objectio ex Augustino, non uno in loco Operis de Baptismo contra Donatistas docente, *solos Sanctos illam esse Ecclesiam, quæ fundata est super Petram, & cui datæ sunt claves Regni Cœlorum, & de quâ dicitur, si Ecclesiam non audierit* &c. ideò Bellarminus porrò respondet, *Augustinum nihil aliud significare voluisse, quàm, omnia Privilegia, quæ sunt à Deo concessa Ecclesiæ universæ, propter solos Sanctos esse concessa*, id est, *in commodum & utilitatem eorum, qui salutem æternam consequuntur. Nam alioqui eundem Augustinum frequentissimè repetere, malos etiam Christianos utiliter Sacramenta administrare, ac proindè regenerare homines, solvere, ligare &c. Imò eundem conferre malos Ministros canali lapidco, per quem transit aqua ad areolas, & cùm nihil ipse utilitatis adquirat, tamen esse causam, ut herbæ & flores in areolis nascantur & crescant, & idem Eum fusius alibi docere.* Quæ omnia & singula ex Augustino Bellarminus laudabili diligentiâ collegit non contra Evangelicos verè Catholicos, quod in animo habuit, sed ad Sententiam eorundem in Augusta-

lib. II. contra Crescon. c. 21.

lib. 7. contra Donat. c. 57.

De Unit. Eccles. cap. ult. lib. III. Doctr. Christ. c. 32.

Tract. III. in Epist. Joh.

Tract. V. in Johan.

na Confessione expressam ex Augustino confirmandam, quæ supra quoque ad secundum hujus libri caput est defensa.

CAPVT DECIMVM,
De
Infidelibus occultis.

PErpetuis hic iterùm Bellarminus agitur contradictionibus, eaque nobis ex Augustino etiam contra se ipsum præbet arma, quibus nostram sufficienter possumus defendere Sententiam. Concedit quidem, *verissimum esse, ut quis unitus dici possit Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, unione internâ, requiri Fidem,* ***quâ ratione*** Cardinalis de *Turrecrematâ* Sententiam explicare est conatus, quam Confessionistarum Sententiæ proximam statuit: & tamen in sequentibus statim addidit, *se modum loquendi plurium sequi, docentium eos, qui solâ professione externâ conjuncti sunt cæteris fidelibus, esse veras partes,* utut notanter addat, *exteriores,* hâc cum ulteriori limitatione, *esse membra corporis Ecclesiæ, licet arida & mortua.* Posset hæc restrictio aliquem habere locum, nisi in antecedentibus rejiciendam proposuisset Confessionistarum Sententiam, quâ docetur, *eos, qui nec Fidem internam, nec ullam Virtutem Christianam habent,* (quam ex defectu Fidei salvificæ habere non possunt) *& tamen exterius propter aliquod commodum temporale profitentur Fidem Catholicam, & in communione Sacramentorum veris permiscentur fidelibus, nullo* (planè) *modo ad Veram* (NB.) *pertinere Ecclesiam.* Quidquid autem contra hanc ex Augustino inprimis prolixè & copiosè adducit, adeò eam non evertit, ut potius egregiè confirmet. Præter ea, quæ ad antecedens Caput suppeditavit Bellarminus, juvat eodem manuductore adhuc aliqua excerpere, ut res hæc eò manifestior evadat: Ita autem Doctor augustissimus: *Fraternæ Charitatis inimici, sive apertè foris sint, sive intus esse videantur, Pseudo-Christiani sunt & Antichristi; inventis enim occasionibus foràs exeunt. Sed etiamsi occasiones desint, cum intus videntur, ab illâ invisibili Charitatis compage separati sunt.* Bellarminus quidem hunc Augustini locum suæ, quam à Confessionistarum Sententiâ existimat esse alienam, adaptare conatur Sententiæ, sed nihil profert, quod non ambabus amplectamur manibus. Dicit, *Augustinum, cùm de occultis agit hæreticis, eos videri esse in Ecclesiâ, non significare, eos non esse revera, sed non eo esse modo, quo videntur esse.* Explicat suam & Augustini mentem: *Videntur enim esse uniti internâ & externâ conjunctione membris cæteris, & tamen non sunt uniti, nisi conjunctione externâ. Nam si revera nullo* (plane) *modo essent intus, sed tantum esse viderentur, pari ratione non verè exirent, quando se produnt apertè, sed exire viderentur. Augustinus autem dicit, inventis occasionibus foràs exeunt, & addit, eos esse separatos quidem, ante etiam, quàm exeant, sed ab invisibili Charitatis compage, non ab externâ Ecclesiæ communione: Quem admodum intelligi etiam debet, quod idem Augustinus dicit,* hæreticos (etiam) occultos (tanquam) separatos esse judicandos, licet ipsi non exeant; *loquitur enim de separatione internâ, non externâ, neq; proprium hoc est apud Augustinum hæreticis* (tantum) *occultis, sed omnibus* (in universum) *peccatoribus, quos Augustinus adfirmat non esse in corpore Christi.* Videtur quidem Bellarminus ex Augustino distinguere inter Ecclesiæ respectum interiorem & exteriorem, hoc non illo hæreticos adhuc occultos, ac quosvis malos vel hypocritas esse dici in Ecclesiâ; & hinc corrigendam Confessionistarum Sententiam, qui nullo (planè) modo eos, qui Veram Fidem non habent, in Ecclesiâ nimirum Verâ esse, adque Veram pertinere Ecclesiam statuunt. Sed aut ultrò Sententiam Confessionistarum, quæ cum Augustinianâ est eadem, intelligere non vult, aut quæ mentis non rarò impotentia est, intelligere non potest, seipsum quoad interiorem & exteriorem considerandi modum confundens. Si enim humores mali & corrupti, quibuscum malos in Ecclesiâ comparari, ex Augustino ad caput antecedens docuit Bellarminus, etiamsi sint adhuc in corpore, juxta eundem Augustinum, neque ut partes, multò minus ut membra, ad corpus pertinere dicantur, quin potius corpori sint molestissimi, & nisi in tempore ejiciantur, illud morbo sæpius etiam periculosissimo adficiant; cur non idem de quibusvis in Ecclesiâ malis dici debeat & possit, à Bellarmino nondum est indicatum. Stat nimirum, nullo planè modo, qui verus sit dicendi modus, & qui à veritate rei dependeat, malos in Ecclesiâ, nimirum verâ, quæ hoc nomine in considerationem veniat, multo autem minus de Ecclesia esse, adque verum Ecclesiæ Systema, quâ ratione non tantum in oculos corporis incurrit, sed oculis Fidei, quam-maximè oculis Dei, non externam professionem, sed internam cordis sinceritatem attendentis, perspicitur, pertinere, etiamsi ob externam hanc professionem

lib. III. de Bapt. c. 19

Ibid. lib. IV. cap. 16

& Bonorum Ecclesiæ communionem, auditum videlicet Verbi, & Sacramentorum inter alios usum corpori Ecclesiastico inhærere, adque illud cum cæteris pertinere videantur, communiterque, quamvis sensu non nisi æquivoco, in Ecclesiâ esse ab aliis dicantur. Sed alia etiam suppetunt loca, quibus idem clarius ex Augustino doceri potest, Bellarmino & hic laborem collectionis suscipiente. Ita enim porrò Sanctus Pater: *Si zizania sunt dicenda, quæ usq; in finem errore maligno perdurant, & foris multa sunt frumenta, & multa intus zizania.* Horum Augustini verborum hic videtur Bellarmino sensus esse, ut intelligatur, *extra Ecclesiam multos esse hæreticos*, videlicet *manifestos, qui tandem convertantur ad Veram Fidem; & intus in ipsâ etiam Ecclesiâ multos esse occultos adhuc hæreticos, qui nunquam convertantur.* Addi potest, imò debet ad Sensum Augustini ritè exprimendum, eos, qui adhuc extra Ecclesiâ videntur constituti, suo tamen tempore convertendi, in oculis Dei eorum conversionem prævidentis ad Ecclesiam pertinere; eos autem, qui in Ecclesiâ videntur esse, id est, in Ecclesiæ visibili corpore, *solâ nimirum professione externâ*, ut ipse Bellarminus describit, tanquam membra quidem ejus, *sed arida & mortua*, ad Ecclesiam verè non pertinere, sicut zizania nullo planè modo ad Agrum pertinere dici possunt, id quod idem Augustinus alibi quoque luculenter exposuit, ibi inprimis, ubi Christi mentem descripsit ob exitum Judæ turbatam, hæc habens: *Hoc nobis Dominus significare suâ turbatione dignatus est, quod scilicet falsos fratres & illa Dominici agri zizania necesse sit usq; ad Messis tempus ita inter frumenta tolerare, ut quando ex eis aliqua separari etiam ante Messem urgens causa compellit, fieri hoc sine Ecclesiæ perturbatione non possit. Hanc perturbationem Sanctorum suorum per schismaticos & hæreticos futuram pronuncians Dominus quodam-modo præfiguravit in seipso, cum exituro indè malo homine, & commixtionem frumenti, in qua diu fuerat toleratus, separatione apertissima relicturo turbatus est, non carne, sed spiritu.* Alibi adhuc amplius hæc explicavit: *Sunt, qui propterea volunt esse Christiani, ut aut promereantur homines, à quibus temporalia expectant commoda; aut quia offendere nolunt, quos timent. Sed isti reprobi sunt, etsi ad tempus eos portat Ecclesia, sicut areas usq; ad tempus ventilationis paleam sustinet. Si non se correxerint, & propter futuram requiem sempiternam Christiani esse cœperint, in fine separabuntur. Nec sibi blandiantur, quod in aream esse possunt cum frumento Dei, quia in horreo cum illo non erunt; sed igni debito destinabuntur.*

Ibid. c. 10.

Tract. 61. in Joh.

de catech. rudibus, c. 17.

Maximas & solennes Evangelici Bellarmino debent gratias, quod Augustinum tam augustum Evangelicæ Veritatis Confessorem tam multis & illustribus testimoniis sistere voluerit. Quamvis enim ea Evangelicis & quibusdam (Romano-)Catholicis, ut è principio capitis patet, voluerit opposita, suamque Sententiam nostræ contrariam, ipse tamen fateri debuit, differre eam in modo tantum loquendi, quem non potuit ita exprimere, ut non simul modum loquendi Evangelicis usitatum confirmaret; ipsaque hactenus ostenderunt loca, Augustinum & hic planè nostrum esse.

CAPVT DVODECIMVM, & seqq.

De

Ecclesiæ Invisibilitate & Deficibilitate.

VT, quod priorem hujus Controversiæ partem attinet, quid inter Evangelicos & Papistas in Quæstione sit, à principio statim Lectori ob oculos ponatur, sciendum est, Sententiam Evangelicorum non esse, quasi Ecclesia nullo planè modo sit aut dici possit visibilis, sed quod ea possint incidere tempora, in quibus partim ob gravissimas persecutiones, partim ob plerorumque à Verâ Fide Apostasiam, quæ illas sequi utplurimum solet, quandoque etiam antecedere, nullus visibilis eorum cœtus digito indice possit ostendi, qui toto corde & animo per Veram Fidem Deo adhærent, Eumque juxta revelatam in Verbo voluntatem ritè colunt & venerantur. Nostrum jam non est, hanc pluribus confirmare Sententiam, sed Instituti ratio id nunc tantum requirit, ut quæ Bellarminus contra Evangelicos pro Ecclesiæ perpetuâ visibilitate ex Augustino adducit, examini subjiciamus, statumque Ecclesiæ non semel invisibilis contra Romanenses Opticos defendamus. Ad tria autem S. Scripturæ Oracula provocat, quæ Augustinum ad Ecclesiæ visibilitatem perpetuam trahere scribit, ex quibus primum est Davidicum, secundum Propheticum, tertium Evangelicum. Davidicum desumitur ex decimo & nono juxta Ebræos Psalmo, in quo *DEus Soli in Cœlo tabernaculum posuisse* legitur, quod Bellarminus è Vulgatâ, quæ dicitur, Versione ita legit: quasi *DEVS in*

Sole

Sole ſuum poſuiſſet tabernaculum, additque ita exponere Auguſtinum, *quod DEVS in manifeſto poſuerit Eccleſiam, ut ſicut Sol non poteſt omninò latere, ita nec Eccleſia poſſit abſcondi.* Tract. II. in Epiſt. Joh.

Ante omnia hic videndum, an ritè & ſincerè Auguſtinum citaverit Bellarminus, & quid Auguſtinus conſtanter de hoc ſtatuerit Oraculo. Conſtat autem, Eum præprimis tribus in locis illud tractare. Semel quidem in libro de *Cantico Novo*, ſi modo is genuinus cap. V. eſt Auguſtini fœtus, ubi hæc extant: *Si quis Chriſtum prædicat, attende & conſidera, qualem prædicet, ubi prædicet? Chriſtus enim Veritas eſt, per Scripturas Sanctas prædicatur, non in angulis, non occultè, ſed palàm, publicè. In Sole poſuit tabernaculum ſuum, hoc eſt, in manifeſto collocavit Eccleſiam ſuam.* Contra non unos hæreticorum, ſed Manichæos, Arianos, Pelagianos, eorumque varios errores Auguſtinum hæc ſcripſiſſe, patet ex ſequentibus. Secundâ vice ad oraculum hoc Davidicum provocavit auguſtus Doctor eo in loco, quem Bellarminus citavit, ſed aliis omninò verbis, nimirum ſequentibus: *Credamus ante dictis de Chriſto, & videamus impleta eſſe, quæ ante-dicta ſunt in Pſalmo*: Non ſunt loquelæ, neque Sermones, quorum non audiantur voces eorum. *Et ne fortè & ipſæ linguæ venerint ad unum locum, & non potius donum Chriſti venerit ad omnes linguas, audi, quid ſequatur*: In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Quare hoc?* Quia in Sole poſuit tabernaculum ſuum, *id eſt, in manifeſto Tabernaculum Ejus, Caro Ejus*; *Tabernaculum ejus, Eccleſia ejus. In Sole poſita eſt, non eſt in Nocte, ſed in die.* Et in Tractatu ſuper hanc Johannis Epiſtolam antecedente: *Deus teſtes habere voluit homines, ut & homines habeant Deum teſtem.* Vidimus, inquit Apoſtolus, & teſtes ſumus. *Vbi viderunt? In manifeſtatione. Quid eſt autem in manifeſtatione? In Sole, id eſt, in hâc Luce. Vndè autem potuit videri in Sole, qui fecit Solem? Niſi quia in Sole poſuit tabernaculum ſuum, & Ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo exultavit ut Gigas ad currendam viam. Ille ante Solem, qui fecit Solem*; *Ille ante Luciferum, ante omnia ſidera, ante omnes Angelos, verus Creator*; *quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine Ipſo factum eſt nihil. Vt videretur oculis carneis, qui Solem vident, ipſum tabernaculum ſuum in Sole poſuit, id eſt, carnem ſuam in manifeſtatione hujus Lucis oſtendit.* Eandem Sententiam alibi, in ipsâ nimirum Enarratione hujus Pſalmi, his expreſſit verbis: *Dominus ut adverſus regna temporalium errorum belligeraret, non Pacem, ſed Gladium miſſurus in terram, in tempore, vel in manifeſtatione poſuit tanquam militare habitaculum ſuum, hoc eſt, diſpenſationem Incarnationis ſuæ.* Hæc illis in locis ad hoc Oraculum Auguſtinus, ſemel de Eccleſiâ ſolùm, tum de Eccleſia & carne Chriſti conjunctim, iterùm & bina vice de Incarnatione ſeparatim. Notandum verò, Eum ibi, undè Bellarminus citavit, non ſolùm de Eccleſiâ, ſed & ſimul de Carne Chriſti Vatem Regium explicaſſe, vel potius verba Ejus ad præſens Inſtitutum accommodaſſe, quales teſtimoniorum utriusque Teſtamenti accommodationes, ſicut in aliorum Patrum, ita Auguſtini etiam Scriptis, Tractationibus præſertim Homileticis, ſæpius occurrere, neque ad Controverſiarum Fidei diſcuſſionem admitti debere, nemo in hisce verſatus eſt, qui neſciat, aut neſcire poſſit. Et ſi omnia excutiamus loca, nullus erit, ubi non per accommodationem hoc Oraculum inveniatur à Sancto Patre adhibitum. Quia etiam non uno eodemque ſenſu & modo illud, id eſt, non ad unam rem eandemque conſtanter accommodavit, manifeſtum eſt, malè à Bellarmino factum, quod Auguſtini authoritate in hâc Quæſtione ad perpetuam Eccleſiæ viſibilitatem demonſtrandam uti voluerit, præſertim, cùm nullibi in locis jam citatis eam diſertè Auguſtinus adſeruerit, contrarium potius alibi ſatis apertè docens, ut in ſequentibus poſtmodùm ſignificabitur. Poſito autem, Eum ex hoc Oraculo voluiſſe perpetuam Eccleſiæ viſibilitatem adſtruere, nemo tamen ægrius ferre poſſet, ſi, quâ ratione Bellarmino liberum fuiſſe, ſupra vidimus, ut ſcriberet, *Auguſtinum ex ignorantiâ Linguæ Ebraæ fuiſſe deceptum*, hic etiam diceremus, Eum ex eâdem ignorantiâ à Verſione Vulgatâ deceptum & ſeductum fuiſſe, quo minus verum hujus Oraculi Senſum ad normam Textûs Ebræi propoſuerit. Poteſt autem id eò innocentius fieri, quo plures à proximo Sesqui-ſeculo Papæi Interpretes ſunt, qui nobiscum quoad ſenſum Textûs Ebræi conſentiunt, non ſolùm, qui ad totum Syſtema Biblicum ſuas ediderunt obſervationes, *Iohannes Mariana, & Immanuel Saa, Tirinus, Eſthius* & noviſſimè *Carcerius*; vel qui ad præcipuas ejusdem partes Commentaria & Notas ſcripſerunt, *Eugubinus & Cajetanus, Ianſenius & Maldonatus*; ſed & qui Pſalterium in ſpecie explanarunt, interque & poſt plerosque *Muiſius*, quin & ipſe Bellarminus, Sententiam, quam ex Auguſtino propoſuit defendens quidem, at vi veritatis agnoſcere coactus, *in Ebræo haberi, Soli poſuit tabernaculum in eis*, id eſt, *Deus poſuit in Cœlo tabernaculum* lib. I. de Rom. Pontif. cap. 10.

culum Soli, constituit Solem in Cœlo tanquam in tabernaculo. Neque omitti hic debet *Grotius* in plurimis papizans, qui & hic ad Textûs Ebræi sensum provocavit. Pertinet quoque huc, quod *Sixtus Senensis*, de usu & utilitate Expositionis Historicæ ac Mysticæ agens, ex Augustino de Manichæis observavit, *eos, cùm ex imperitiâ Linguæ Ebræa non intelligerent literalem hujus Dicti sensum, convertisse se ad præsidia Allegoricæ Expositionis, dicentes, Christum post Resurrectionem suam sine carne ad Patrem adscendisse, relicto corpore suo intra ambitum Globi solaris, ut à nobis Caro Ejus in Sole, tanquam in tabernaculo Dominici corporis adoraretur; cùm tamen*, ita judicat Sixtus, *genuinus ac proprius ejus literæ Sensus & Expositio sit, Deum posuisse Soli tabernaculum in Cœlo, ex quo Sol ipse summo mane tanquam Sponsus è cubili progreditur, ostensurus splendorem vultûs sui cunctis mortalibus.*

Bibl. S. lib. III. pag. 169. conf. lib. V. Annot. 160. conf. Sixt. ab Amamâ, Anti-Barb. Bibl. lib. 3. pag. m. 451. seqq.

Sufficere hæc possunt ad primum è Psalterio Davidis Oraculum, sequitur nunc Secundum, videlicet Propheticum, de quo Bellarminus ita: *Comparatur Ecclesia Monti magno & conspicuo, qui nullo potest latere modo, juxta communem Hieronymi & Augustini Expositionem.* Tribus hoc oraculum nititur Vaticiniis, adeòque de singulis aliquid dicendum, utut duo priora juxta plerosque Interpretum conveniant, imò & à non planè nullis tertium addatur. Quia verò Bellarminus præter *Hieronymum* inprimis etiam Augustini authoritate militat, hinc audiendus est de primo Esaiæ Vaticinio Sanctus Pater, sequentia suis auditoribus contra Donatistas inculcans: *Esaias hesternâ die lectus est; Quisquis vestrûm vigilabat, non oculis tantum, nec aure corporis, sed aure cordis advertit:* Erit in novissimis diebus manifestus Mons domûs Domini, paratus in cacumine montium. *Quid tam manifestum, quam mons? Sed sunt & montes ignoti, quia in unâ parte terrarum sunt positi. In partibus sunt illi montes. Ille autem mons non sic, quia implevit universam terræ faciem, & de illo dicitur, paratus in cacumine montium. Mons est super cacumina omnium montium.* Dixi, contra Donatistas hæc scripsisse & dixisse ad auditores suos Augustinum, id quod in sequentibus proximè verbis apertissimè significat. Id observasse, sufficiens responsum suppeditat iis, qui controversias inter Catholicos & Donatistas Augustini tempore agitatas non ignorant, præsentique statui Ecclesiæ & Controversiis inter Evangelicos hodiè & Papistas maximo animorum motu ferventibus adplicare nôrunt. Nimirum constanter vel potius pertinaciter statuerunt Donatistæ, Ecclesiam antehàc toto orbe diffusam suo tempore ob crimina Cœciliani, Carthaginensium Episcopi, eorumque, qui Ei adhæserunt, Eundemque contra gravissimas accusationes hic & ibi defenderunt, periisse, inque eâ tantum parte Africani orbis permansisse, ubi Donatistæ suos cœtus contra verè Catholicos collegerunt. Sicut autem in eo graviter errârunt, intolerabili schismate Ecclesiam scindentes, ita ab Augustino inprimis huic errori graviter fuit contra-itum & dictum, ostendente, Ecclesiam Christi nondum ad tam angustos esse redactam terminos, ut non alibi etiam extra Africam, imò in universo terrarum orbe habeat locum, utpote Monti supra omnium montium cacumina posito similem, qui universam terræ faciem impleverit. Potuisse Augustinum hoc Oraculum suo contra Donatistas proposito absque magno Sensûs literalis detrimento accommodare, suo adhuc tempore, qui ejus rei gnarus est, non illibenter fatebitur. An verò idem fieri hodiè etiam posset contra eos, qui Donatistarum premere vestigia videntur, res esset discussione non adeò indigna, si id jam primariò ageretur. Non desunt quidem è Doctoribus Papæis, qui Evangelicos Donatistarum castris adscribere non verentur. Sed si æquâ lance res hæc trutinetur, accusatio hæc propius ad ipsos accusatores propendere observabitur. Ut omnia silentio transmittamus, quæ huc ab aliis dudum observata videbuntur pertinere, placet hic tantum ea Lectori Veritatis studioso propinare, quæ post alios ad parallelum Michææ Vaticinium, ante Annos non adeò multos, *Castaneus*, Pictavorum in Galliâ Episcopus, *Hilarii* elapsis duodecim Seculis Successor, Exercitationibus Biblicis inseruisse legitur: *In novissimo dierum decursu, qui novæ legi dicatus est, erit Mons Vaticanus domus Domini, in quo Rector Ecclesiæ ad Apostolorum limina manssitat, præparatus à DEO in vertice Romanorum montium, & sublimis super alios Vrbis colles, tùm sacrâ veneratione, etsi omnes Templis abundè consiti sint, tùm etiam, quod nullus eorum sit aliquantum Vaticano celsior, & fluent ad eum gregatim piâ Peregrinatione lustrandum populi ex omnibus orbis terrarum tractibus.* Quid putas, Lector optime, si Augustinus hæc suo tempore legisset, annon pullum ex ovo Donati exclusum existimasset, omnia quam-maximè contra hos Montico-

Esa. II. Mich. IV. Dan. II.

Tract. 1. in Epist. Joh.

ticolas ursurus, quæcunque contra Donatistarum Catholicismum particularem maximo cum orbis verè Catholici adplausu Victor gloriosus urgebat. Quidquid autem sit vel fiat de Augustinianæo hujus Vaticinii usu, ne dicam abusu, quo Bellarmini pro Ecclesiæ perpetuâ visibilitate argumentum militat; id certum est, augustum Doctorem eo alibi contra alios & alio sensu uti, ut ex sequentibus patebit. Certè *Leo Castrius*, Doctor Salmanticensis, in suis ad Esaiam Commentariis varia ex Augustino collegit loca, quibus Vaticinium hoc ad longè alia accommodavit, nominatim verò & in specie ad CHRISTUM. Eminet inter ea, quod Sanctus Pater ibi scripsit, undè Bellarminus ad suæ opinionis confirmationem subsidia accersivit, Vaticinium Danielis cum Esaiano notanter conferens: *Lapis apud Danielem præcisus de monte sine manibus est Christus, præcisus de Regno Iudæorum sine opere marituli. Ille Lapis confregit omnia regna terrarum, omnes dominationes Idolorum. Crevit hic Lapis & factus est Mons magnus, id est, obtinuit Ejus Ecclesia omnes gentes, cùm juxta id, quod promissum erat Abrahæ, in Semine Ejus benedictæ sint omnes gentes. Hic est Mons implens universam faciem terræ, de quo Esaias.* Accedit alius Ejusdem alio ex libro locus: *Mons Domini Christus est secundum carnem, paratus super cacumen montium, quòd omnes celsitudines eorum Ejus celsitudo transcendat.* Orat. adv. Iudæos. cap. 7. Addit Commentator: *Nam montes Prophetæ & Patriarchæ appellantur, super quos positus dicitur Dominus, quòd ab his prænuntiatus, & quod tanto intervallo CHRISTVS secundum carnem exsuperavit Mosen, omnium Prophetarum maximum, quanto majorem habet honorem Dominus familiæ, qui fecit ipsam domum, præservo, qui præest familiæ.* Plura ejusdem Sancti Doctoris ad sequentia hujus Vaticinii verba ibidem cum aliorum Patrum testimoniis collecta non adscribo, utpote quæ non in alium, quàm hunc eunt Sensum, quem egregius inter Papæos Scripturæ Interpres *Arias Montanus*, in suo ad hoc Vaticinium Commentario expressit his inter alia verbis: *Quo die Christus, Christianique Evangelii Sermo Ierosolymis, Spiritu Sancto in Discipulos misso, clarificatus est, Civitas ipsa magna omnium gentium & nationum, quæ sub Cælo sunt, celebritate florebat, per quos viso Miraculo rei fama, cùm literis & rumoribus, tùm certis nuntiis ad omnes orbis habitabilis partes emanavit, quâ multi ex omnibus gentibus permoti, Divinam illam Disciplinam & felicitatem optare, sperare, quærere, atque expectare cœperunt, atque ab Apostolis Apostolorumque Discipulis & Sociis Orbem peragrantibus imbuti & instructi magno cum fructu acceperunt.* Et hoc est, quod *Gabriel Alvarez* ad hoc Oraculum breviter & nervosè indicavit, nimirum *illud de fundatione Ecclesiæ & vocatione Gentium intelligendam esse, juxta uniformem Patrum Expositionem, quam & ratio convincat.* Quia etiam Vaticinio huic Esaiano par esse Michæanum supra dixi, hinc de similibus idem esto Judicium, ut ad eorum intelligentiam ex Augustini & aliorum Interpretum orthodoxorum mente nihil amplius superesse videatur, quam ut Bellarmini defensores hoc moniti exemplo discant in posterum cautius mercari, ne quidvis pro quovis vel ex ipsis Scriptoribus Canonicis, vel Ecclesiasticis etiam ad dogmatum suorum obfuscationem Lectori Veritatis orthodoxæ studioso audeant obtrudere. *Ad tertium* secundi hujus Oraculi locum vel partem, videlicet *Lapidem de Monte abscissum* quod attinet, lubet super eo audire *Esthium*, sequentia notantem: *Quid sit Lapis ille abscissus de monte sine manibus, exponit Augustinus, dicitque Christum intelligi, de regno Iudæorum sine virili operâ exortum, qui confregit omnia Idolorum Regna, & factus est Mons magnus, qui est Ecclesia Catholica, quæ universæ faciem terræ replevit.* Dan. II. in Psal. 98. Visibilitatem Ecclesiæ perpetuam hæc secum non trahere, partim ex iis constare potest, quæ ad antecedentia jam sunt dicta, partim quoque ex iis patebit, quæ ad tertium nunc oraculum restant dicenda, quod est *Evangelicum.*

Exhibet illud *Civitatem Montanam* verbis CHRISTI descriptam, quam descriptionem de Ecclesiâ ejusdemque Visibilitate, & quidem perpetuâ, Augustinum intellexisse Bellarminus contendit. Id sicut de ipsâ Visibilitate suo tempore contra Donatistas urgere potuit *Augustinus*, quod ab Ipso etiam occasione antecedentis Oraculi factum esse vidimus; ita demonstratione prolixissimâ opus erit, ut ostendatur, Augustinum ullibi in suis contra quoscunque adversarios Scriptis, vel ex hoc, vel alio utriusque Testamenti Oraculo pro perpetuâ Ecclesiæ Visibilitate pugnasse, aut pugnare efficaciter potuisse, quam tamen Bellarminus hic omnibus modis propugnare conatur. Ipsum verò Oraculum hoc Evangelicum quod concernit, post ea, quæ nuper modò Matth. V.

in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* è præcipuis Papistarum Commentatoribus adducta sunt, illud hic tantum addo, novissimum Sacræ Scripturæ Interpretem *Caricerium*, Minorum ordinis Scriptorem, Antecessorum exemplo coactum fateri, CHRISTUM in Concione hâc Montanâ, undè præsens oraculum est desumtum, *Discipulos instruxisse de Dignitate Apostolatûs*, quæ Explicatio ex asse cum Barradii, Maldonati, Jansenii Gandavensis, Tirini & aliorum Glossis convenit. Quæ enim *Salmero* aliquot argumentis ex hoc Oraculo collectis ad perpetuam Ecclesiæ visibilitatem probandam produxit, & *Conzenius* suo adprobavit calculo, *Spanhemius* in Dubiis, ut vocat, Evangelicis, hic minimè dubiis, ita fecit non tantum dubia, sed omninò incerta, ut iis nullam Civitatem munitam superædificare tutum sit. Indè *Grotius*, in non paucis papizans, cui hæc omnia fuêre quam notissima, examinatis utrinque rationibus, vi Veritatis ductus ita ad hoc Oraculum scripsit: *De Cœtu piorum, qui, dum vixerunt Apostoli, facilius, quam posteà, dignosci potuit, hic directè non agi, & præcedentia & sequentia ostendunt.* Posset forsitan id insuper adjici inter alia, quæ ad Oraculi hujus illustrationem non planè non pertinere videntur, esse hanc de Civitate Montanâ locutionem, sicut aliæ plures in Novo inprimis Testamento, parabolicam, adeoque pro stringente argumento non adhibendam, nisi ad Augustinum præprimis & hic esset respiciendum & attendendum, quæ Ejus super hâc Quæstione constans fuerit Sententia. Is sicut non adeò impertinenter suo, quod semper notandum est, tempore ex hoc & antecedentibus oraculis pro Ecclesiæ verè Catholicæ visibilitate contra Donatistas angulares argumentatus est, multumque hâc methodo obtinuit; Ita si de perpetua Ejus visibilitate interrogatus Sententiam ferre debuisset, nullum planè est dubium, quin à parte Evangelicorum stetisset. Non vanam esse hanc conjecturam, videbit, qui in augustissimi Doctoris hujus Scriptis non plane est hospes. Ea certe hic & ibi inveniuntur hujus rei documenta, quæ de mente Ejus dubitare non sinunt. In prolixissimâ ad Vincentium Epistolâ, in quâ pluribus Ecclesiæ in hoc Mundo militantis faciem depingit, inter alia id etiam de eâ scribit: *Ipsa est, quæ aliquando obscuratur & tanquam obnubilatur multitudine Scandalorum, quando peccatores intendunt arcum, ut sagittent in obscurâ lunâ rectos corde.* In aliâ ad Hesychium Epistolâ, itidem valdè prolixâ, de novissimis temporibus ad ductum non unius Oraculorum agens, sequentia habet: *Quando Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commovebuntur, Ecclesia non adparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum sævientibus, & remoto timore, tanquam arridente Mundi felicitate, dicentibus, Pax & Securitas.* Et iterum in aliâ ad Januarium Epistolâ hæc ad præsens Institutum pertinentia leguntur: *Prius, quàm illud fiat, quod Apostolus dicit,* cùm CHRISTUS adparuerit, Vita vestra, tunc & vos adparebitis cum Ipso in Glorià, *obscura videtur Ecclesia in tempore peregrinationis suæ, inter multas iniquitates gemens.* His si addantur, quæ circa finem libri de Unitate Ecclesiæ, ad quem ipse Bellarminus provocat, ad illustrandum hoc de Civitate Montanâ contra Donatistas Oraculum Augustinus adduxit, quæ item in Enarratione Psalmi decimi circa comparationem Ecclesiæ cum Luna copiosissimè monuit, ut &, quæ in capitibus proximè antecedentibus ipse iterùm Bellarminus ex Augustino circa veram Ecclesiæ membrorum considerationem amplissimè suppeditavit, de mente hujus Sancti Doctoris quoad Ecclesiæ Invisibilitatem juxta Sententiam Evangelicorum ê Sacra Scriptura satis perspicuam dubitare non permittunt, ut adeò trias hæc Oraculorum, ex quibus prælucente Augustino perpetuam Ecclesiæ Visibilitatem ostendere conatus est Bellarminus, ejus invisibilitatem plane non tollat, Augustino tum temporis contra Donatistas id scribente, quod hodie per tot Seculorum experientiam doctior fortè non scriberet, nisi certo quodam cum temperamento, & si fortè cum iis agendum esset, quos hodienùm Donatistarum premere vestigia paulò ante est dictum; quod responsum ad ea etiam pertinet testimonia, quæ Bellarminus post alias Ecclesiæ perpetuò visibilis demonstrationes ex Augustino protulit, utpote unius ejusdemque tenoris.

vid. Zehner. Adag. S. pag. 418.

num. 48.

num. 80.

num. 119.

Ad al-

Ad alteram nunc præscriptæ Quæstionis controversæ partem est transeundum, videlicet *ad Ecclesiæ Visibilis indeficibilitatem*, quam Bellarminus iterùm partim ex Sacræ Scripturæ Oraculis ad mentem Augustini explicatis, partim ex aliis Augustini testimoniis confirmare satagit. Illa sunt duo, unum ex Novo, alterum ex Veteri Testamento. Præcedat autem juxta ordinem à Bellarmino observatum id, quod ex Novo est desumtum Testamento, quo Gentium Doctor Paulus de Christo gloriosè ad Cœlos adscendente scripsit, *quod dederit quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores*, &c. Eph. 4. Ad quod Oraculum Bellarminus observat, *Apostolum docere, mansura in Ecclesiâ Pastorum & Doctorum ministeria & continuam ædificationem corporis Christi, & proindè visibilem Ecclesiam, usq; ad diem Iudicii.* Addit illustrationis & illationis causâ: *Nam quando in Mundo sola esset Ecclesia invisibilis, non invenirentur illa ministeria, quæ non possunt exerceri, nisi se Pastores & oves agnoscant.* Et quia Lectorem Augustini authoritate hic etiam ad suas trahere partes studuit Bellarminus, quasi eadem mens esset hujus augusti Patris, indè sequentia, quamvis non adeò pertinenter, subjunxit: *Notandum, quod licet Veteres intelligant hunc locum de spirituali mensurâ corporis mystici, recentiores autem de corporali mensurâ corporum beatorum, quæ dicunt futura tantæ magnitudinis, quantæ fuerunt vel fuissent in perfectâ ætate suâ; omnes tamen intelligunt de novissimis diebus, quando complebitur numerus electorum. Augustinus utramq; explicationem tangit.* lib. 22. de C. D. cap. 15. Fraudulenter hic & cum Augustino & cum Lectore Veritatis studioso Bellarminus egit, cum videlicet Augustini locum Lectori exhibens, qui huic Instituto planè non inservit, & alterum silentio involvens, quo ex professo quasi hoc Oraculum tractavit, interrogatus nimirum super legitimo ejus intellectu à Co-Episcopo Paulino, qui hæc ad Augustinum scripsit: *Hoc opto distinguas mihi in hâc diversitate nominum quæ sit cuiq; nomini officiorum vel Gratiarum proprietas, quid proprium sit Apostolorum, quid Prophetarum, quid Evangelistarum, quid Pastorum, quidve Doctorum, in omnibus enim his nominibus diversis simile & propè unum Doctrinæ officium video fuisse tractatum. Hos autem Prophetas, quos post Apostolos posuit, non puto illos esse, qui ordine temporum ante Apostolos fuerunt, sed illos, quibus jam sub Apostolis per gratiam donabatur aut interpretatio Scripturarum & inspectio mentium, aut prædictio* (aliàs, prædicatio) *temporis secuturi, ut Agabus cernebat, qui & famem prædixit instantem, & quæ B. Paulus in Hierosolymis passurus esset, & verbo denunciavit, & signo Zonæ Ejus ostendit.* seqq. Epist. 58. Nemo non videt, Paulinum hoc Apostoli Oraculum intellexisse de eo præprimis tempore, quo illud scriptum fuit. Neque contrarius hic fuit Augustinus, sequentia Co-Episcopo rescribens: *De Prophetis hoc ita intelligo, quod Ipse scripsisti, Prophetas eos dictos isto loco, ex quibus erat Agabus; non illos, qui venturum in carne Dominum prophetaverunt; Evangelistas verò invenimus, quos fuisse Apostolos non legimus, sicut fuerunt Lucas & Marcus. Pastores autem & Doctores, quos maximè ut discernerem voluisti, eosdem puto esse, sicut & Tibi visum est, ut non alios Pastores, alios Doctores intelligamus, sed ideò cum prædixisset Pastores, subjunxisse Doctores, ut intelligerent Pastores, ad officium suum pertinere doctrinam.* Hoc si ita sit, Augustino unà cum Paulino Oraculum hoc de initio prædicationis Evangelicæ post Adscensionem Dominicam factæ, id est, de initio Ecclesiæ N. T. intelligente & explicante, omne id cadit, quod Bellarminus exindè pro Ecclesiæ perpetuò visibilis indeficibilitate ausus est concludere. Et quamvis concederetur, quod concedi potest sine ullo Veritatis Evangelicæ detrimento, insinuare simul Apostolum voluisse perpetuam Statûs Ecclesiæ Rationem quoad nunquam in eâ desituram Pastorum inprimis & Doctorum seriem & perpetuò mansura Eorum ministeria, ita exercenda, ut Pastores & Oves se cognoscant; non tamen ritè sequitur aut indè concluditur, fore ideò Ecclesiam semper visibilem & ita conspicuam, ut nunquam non possit digito monstrari & dici, hæc est Ecclesia, ad quam omnes æternùm vivere cupientes decet congregari, contra quam Inferorum portæ non prævalebunt, cum ea in utroque Testamento non semel inciderint tempora, quibus hæc demonstratio non solùm difficilis, sed & omninò impossibilis fuit. Ut Novi Testamenti tempora, quæ hic præsertim attenduntur, respiciamus, durantibus per tria ferè Secula Persecutionibus, si quis de æternâ Beatitudine sollicitus ad Ecclesiam Romæ subterraneam eumq; Cœtum se contulisset, cujus Adseclæ in tenebris & occulto latitantes, ad singula quævis momenta, acerbissima à Tyrannicis hostibus tormenta certissimamq; mortem expectare debuerunt, næ is pro stultorum maximo habitus fuisset. Alia etiam posthæc fuerunt tempora, hæreticis ita universum orbem inundantibus, ut miratus sit ac dolenter ingemuerit, quod à Fide orthodoxâ se-

seduci se passus fuerit, perpaucis in residuo manentibus, qui tamen ob numerum ferè nullum pro nullis fuêre habiti, undiquaque graviter pressi & tantum non planè oppressi. Successêre non unius generis Scandala, eas inferentia tenebras, ut oculatissimum esse eum oportuerit, qui Ecclesiam Christi Sponsam videre & ab aliis distinguere voluisset, adeò ut Christus amisisse Sponsam multis non planè cœcis fuerit visus. Gloriantur quidem Optici Romanenses, ea se videre & indice digito ostendere posse, quæ aliis, cœcis præsertim Lutheranis, invisibilia esse solent, utentes forsitan Micro- vel potius Macroscopiis, quæ non tantum minima quævis, & ob parvitatem vix conspicienda, oculis exhibere solent, sed & majora, & quod proverbio dicitur, ex Muscâ, imò quod adhuc minus, ex pediculo Elephantum facere possunt, rerum naturalium rimatores curiosissimi. Concedamus Physicis Speculatoribus hasce delitias, non planè nullo usu beatas, & multorum Experimentis in publico comprobatas. At ut in Theologicis rebus persuaderi nobis patiamur, esse genus hominum singulare, qui soli recto oculorum usu præditi, aut instrumentis artificialibus instructi, ea videant, quæ aliis, etiam oculatissimis, minus sunt perspicua, hactenus impetrare à nobismet ipsis non potuimus Evangelici. Nimirum oculatiores sunt hodierni Ecclesiæ perpetuò visibilis & ideò indeficibilis Defensores Eliâ Prophetarum maximo, & nisi quid Laudis debitæ ei velimus detractum, perspicacissimo, qui, ut de septem in Israelitico regno solius Dei Trinunius-colarum millibus Ei, quamvis non Deo, incognitis nunc nihil dicam, si in Regno Judaico meliorem cultûs Divini & Religionis avitæ statum esse sciviſſet, non in Eremum itinere tam prolixo Exul iviſſet, solum se Dei-Trinunius cultorem sincerum super adhuc esse existimans.

Vid. Ephem. Erud. Tom. II. pag. 483.

Sed ad Augustinum, quem porrò testem adducit Bellarminus & Interpretem illius Oraculi, quod ex Veteri Testamento ad probandam Ecclesiæ perpetuò visibilis indeficibilitatem in medium attulit, desumtum ex Psalmo post quadragesimum septimo, vel juxta Ebræos octavo, quo *Deus fundasse in æternum*, juxta Interpretum Vulgatum, & quæ ex Augustino est Bellarmini observatio, *Ecclesiam*, id est, *Civitatem suam* dicitur, hâc cum Bellarmini notatione, *rem ipsam clamare, totum Psalmum esse de fundatione Ecclesiæ Christianæ tanquam visibilis & novæ Civitatis.* Repeti hic responsionis loco debet, quod *Sixtum Senensem* de Augustini in Psalterium Enarrationibus monuisse alibi jam, & nisi fallor, superius quoque est dictum, *Genus Expositionis ubiq; allegoricum esse & morale, literalis intelligentiæ parum attingens, & videri Hieronymum in Epistola ad Augustinum hos Commentarios taxare tanquam nimis obscuros, & in nonnullis etiam à rectâ linea, & à sua Græcorumque omnium Tractatorum mente discrepantes.* Addit Sixtus, *suspicor Hieronymum desiderasse in his Enarrationibus explicationem Psalmorum juxta Ebraicæ Veritatis puritatem, & Græcorum Expositorum Sententiam. Sed cùm Augustinus Ebraici Sermonis esset ignarus, & in Græcis Literis non esset sic instructus, ut Græca Commentaria evolvere potuisset liberà manu, necesse fuit Illum sæpè ex inopia literalis intelligentiæ à vero ac proprio literæ sensu ad extortas deflectere Allegorias.* Hinc Bellarminus ipse, quamvis citatum Regii Psaltis Oraculum de Civitate Dei *non de terrenâ Hierusalem*, utpote per Titum juxta Christi Vaticinium evertsa, *sed de Ecclesia* velit intellectum, inque argumento Psalmi observet, *eum pertinere ad Ecclesiam juxta Augustini mentem*; negare tamen non potuit, *Interpretes Græcos, Chrysostomum, Theodoretum & Euthymium existimasse, ad literam tractari de reædificatione Hierusalem post reversionem è Captivitate Babylonica.* Et utut fieri posse contendat, *ut Spiritus S. utrumque intenderit sensum*, de quo nunc disputandi locus non est, agnoscit tamen contra seipsum, *magis intendisse posteriorem*, videlicet, de Civitate Hierusalem, *quia constet, eam Civitatem Ecclesiæ Christi gessisse figuram.* Post plerosque alios Interpretes *Musius*, non attenta Authoritate humana, & in argumento Psalmi notat, *Ex contextu patere, fuisse decantatum hoc Carmen post ingentem Exercitum aliquem à mœnibus Hierosolymorum Divinitus repulsum, inque eo Authorem probare, DEVM esse firmum Vrbis Hierosolymæ præsidium, utpotè cujus solius nutu & potestate ejus obsidio soluta sit*; & in ipsa citati ex Eo Oraculi expositione, Verba juxta Editionem Latinam Eucharistica, *DEVS fundavit eam in æternum*, ad normam Textûs Ebræi, mutavit in Votiva vel Optativa, & ut ita dicam vel scribam sperativa, *DEVS firmabit vel firmet eam in æternum*, pro uberiori mutatæ Versionis intellectu addens, *Sensum esse, sicuti illam nunc defendit ac firmavit, sic, speramus, deinceps porrò firmabit. At fefellit eos Spes. Nam Manasses Ezechiæ filius, qui post Patrem regnavit Hierosolymis, quod à Patre degenerasset, & relicto Domino culturas impias exercuisset, compedibus catenisque vinctus Babyloniam abductus est, unde tamen post aliquantum temporis spatium Hierosolyma reversus, & in pri-*

Bibl. S. lib. IV. pag. m. 257.

pristinum Principatum restitutus est. Verùm sextus à Manasse Hierosolymorum Rex Sedechias (ut alios omittam, sub quibus Iudæorum res non parum adflicta) effossis oculis Babyloniam translatus est, & cum Eo *universus ferè populus: Templo atque Vrbe incensis. Hoc igitur,* DEUS firmabit eam in æternum, *non tanquam certa prædictio sumi debet, sed ex solâ spe dictum, aut tanquam aliquod Votum, ut verti debeat,* Deus firmet eam &c. *Hæc ille,* de quo in præfixis ordinariorum Censuris illud cum Elogio habetur, *quod nunquam à sincerâ Ecclesiæ Romanæ fide vel latum unguem deflexerit, & quod opera Ejus,* inter quæ Commentarij in Psalmos eminet, *Fidem Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ, & Salem Charitatis in explicandis Divini Verbi Mysteriis sic exprimant, ut sacræ inspirationis Spiritu plenum, dolosam Iudæorum doctrinam sub nomine Dei blasphemam, sub prætextu religionis impiam, sub Veritatis specie fallacem, genuinâ atq; authentică Expositione sic confutasse, nemo sit, qui non admiretur.*

Ad cætera Augustini testimonia, quæ Bellarminus pro ulterius demonstrandâ Ecclesiæ perpetuò visibilis indeficibilitate adducit, prolixiùs respondere non est opus, cùm ejusdem sint argumenti cum iis, quæ suprà jam contra Donatistas agere, nobisque Evangelicis nihil planè cum illis esse negotii, ostensum fuit, hoc saltem nunc addito, pervertere Bellarminum sententiam Donatistarum, quasi totam *visibilem* Ecclesiam, paucis quibusdam in Africâ exceptis, periisse docuerint, cùm tamen distinctio Ecclesiæ visibilis & invisibilis planè non attenta fuerit ab illis, de Ecclesiâ in universum absque hoc respectu visibilitatis vel invisibilitatis distinctivo docentibus, quod exceptis quibusdam in Africa locis ubique aliàs in universo terrarum orbe defecerit, contra quos num Augustinus ritè potuerit disputare, ad eorum visibilem cœtum provocando, qui verè Catholici erant, ii judicent, quibus Polemosophiæ sacratioris studium curæ & cordique. Aliis nimirum armis pugnavit augustissimus disputandi Magister, Oracula videlicet Sacra gnaviter urgendo, quibus Ecclesiæ Christi perpetuitas extat promissa, atque Notas Ecclesiæ, ex quibus Vera cognosci debet à falsâ, ei, cujus doctrinam Ipse cum aliis professebatur, adplicando, & Donatistarum latibulis utpotè impertinentes detrahendo. Id si observasset Bellarminus, quod omninò contra hæreticos, quos vocat, ex Augustino disputaturus debuit, non toties tamque turpiter impegisset, Augustinum invitissimum contra eas trahendo partes, quibus tamen defendendis eum promtiorem esse ex jam dictis constat, & ex porrò dicendis constabit uberius, præprimis ubi jam ad ipsam Quæstionem controversiam de Ecclesiæ vel visibilis vel invisibilis errabilitate vel errandi possibilitate est deventum, contra quam Bellarminus suam his verbis proponit Sententiam: *Ecclesia absolutè non potest errare, nec in rebus absolutè necessariis, nec in aliis, quæ credenda, vel facienda nobis proponit, sive habeantur expressè in Scripturis, sive non:* Et *cùm dicimus,* Ecclesiam errare non posse, *id intelligimus tam de universitate fidelium, quàm de universitate* Episcoporum, *ita ut sensus sit ejus propositionis,* Ecclesia non potest errare, id est, *id quod tenent omnes fideles tanquam de Fide, necessariò est verum & de Fide, & similiter id, quod docent omnes* Episcopi *tanquam ad Fidem pertinens, necessario est verum & de Fide.* Jungit quidem Bellarminus in hac Sententiæ, quam suscepit defendendam, explicatione fideles Laicos Episcopis, sed, quod ex tota Ejus tractatione adparet, non nisi secundariò, primariò respiciens Episcopos, quos in Concilio congregatos Ecclesiam dicit repræsentativam, à quorum Sententia fideles Laicos tanquam Ecclesiæ subditos pendere justum sit & æqvum. Quid Evangelici hic sentiant, non est ita obscurum aut incognitum. Videlicet sicut Ecclesiam universalem & verè Catholicam vi Promissionum Divinarum in Fidei fundamentum impingere posse negant, ne Inferorum portæ contra eam prævalere videantur; Ita totam, quâ patet orbis, visibilem Ecclesiam, & hinc quamvis particularem multò magis hic & nunc posse in Fidei etiam fundamento errare, & à Veritate salvifica recedere, Exemplo non uno docti adfirmant, inque Romana in specie Ecclesia id factum, documentis & rationibus undiquaque probatissimis constantissimè tuentur, id quod hæ etiam Vindiciæ ex Augustino satis manifestè ostendunt, qui nunc etiam Arbiter erit, quid de hac Quæstione controversa in genere sit statuendum, cujus testimonia à Bellarmino citata contra Evangelicos non esse, patebit, si ritè inspiciantur. Dum enim augustissimus Doctor scribit, *Cultum Dei consistere præprimis in Fide, Spe & Charitate*, non video, qua ratione id ad Ecclesiæ quocunque respectu consideratæ inerrabilitatem vel errandi impossibilitatem demonstrandam possit inservire, cùm id, quod fieri debeat, ab Augustino indicetur, non quid fieri soleat aut in consideratione imbecillitatis humanæ possit. Dum ea præter Sanctus Pater contra Donatistas scripsit: *Scripturarum à nobis tenetur Veritas, cùm id facimus, quod*

Enchir. cap. III. lib. I. contra Crescon. c. 33

quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas; ut quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate Quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ullâ ambiguitate Sacra Scriptura commendat &c. suprà jam, ubi de Judice Controversiarum egimus, ostensum fuit, agere Augustinum in his verbis de eâ Quæstione controversâ, quæ antehàc inter Orientales & Occidentales circa hæreticorum Anabaptismum fuit agitata, quam ad fundamentales Fidei salvificæ articulos non pertinuisse, à nemine vocatur in dubium. De cætero, quid Augustinus de Ecclesiæ, vel potius de Ecclesiæ Doctorum infallibilitate, ad quam Bellarminus hic utpotè Ecclesiam repræsentativam tam audacter provocat, senserit, in eodem opere satis luculenter ostendit, scribens: *Non debet Ecclesia sese Christo præponere, quùm Ille semper veraciter judicet, Ecclesiastici verò Iudices ut homines plerunque falluntur.* lib. II. cap. 21. Dum porrò idem Augustinus contra eosdem Donatistas in eodem argumento & controversiâ decretum Concilii generalis vocavit *universæ Ecclesiæ consensum*, lib. 1. de Bapt. c. 18 non semel hactenus dictum fuit, ad quæstionem Facti, non Fidei id pertinere, neque ad Conciliorum vel Episcoporum in iis congregatorum, tanquam Ecclesiæ repræsentativæ infallibilitatem trahi debere. Id quod ad ea etiam verba antehàc aliquoties fuit observatum, quibus Doctor ille Sanctus graviter monuit, *disputare contra id, quod universa sentit Ecclesia, insaniæ esse insolentissimæ*; Epist. 118. ad Januar. cùm integer illius loci contextus doceat, augustissimum Patrem ibi non de Fidei salvificæ capitibus, sed de Ecclesiasticis ritibus hic & ibi differentibus egisse. Et ne videamur Evangelici ab Augustino ita deserti, ut in hâc etiam Quæstione controversâ tantum defensivè nobis agendum sit, atque solum respondendi onus ad testimonia ex Eodem objecta nobis incumbat; ideò juvat addere insigne aliquod documentum Confessionis Augustinianæ, quod præter Ivonem *Gratianus* in Jure Canonico nobis suppeditat, ad præsens Institutum quam-maximè accommodum: *Quod interrogavimus, credis Sanctam Ecclesiam, Remissionem Peccatorum, Carnis Resurrectionem; non eo modo interrogavimus ut quomodo in Deum creditur, sic & in Ecclesiam Sanctam Catholicam, quæ propterea Sancta & Catholica est, quia rectè credit in Deum. Non ergò diximus, ut in Ecclesiam, quasi in Deum credueretis, sed intelligite, nos dicere & dixisse, ut in Ecclesiâ Sanctâ Catholicâ conversantes in Deum credueretis; credueretis etiam resurrectionem carnis, quæ futura est.* c. Prima igitur, de Consecr. dist. 4. Benè observat ad hunc locum, cujus Notæ jussu Gregorii XIII. ad hoc opus Decretorum sunt adscriptæ, *Lectum fuisse olim, credis IN Sanctam Ecclesiam; inductam verò esse hanc particulam IN ex aliquot vetustis* (codicibus) *& Ivone, atque ita loquendum docuisse Augustinum sæpè.* Prodesse id potest contra *Caramuelem*, qui post *Tannerum* hanc particulam IN Articulo Symboli de Ecclesiâ omni modo non ita pridem ivit defensum, scribens Apologiam pro Ex-Rabbino quodam Christiano, *Iohanne Baptistâ Ionâ*, Theol. Intent. pag. 323. Viro, quod Elogium ei adtribuit, docto & pio, &, quod quam-maximè attendendum venit, de Ecclesiâ Romanâ benè merito, quod nimirum in Doctrinæ Christianæ Ebraicâ translatione (in gratiam, nisi fallor, Ecclesiæ Romanæ) dixerit & scripserit, *Credo IN Ecclesiam Catholicam* &c. Ut enim non dicam vel opponam, hanc particulam & in Græca & in Arabica Fidei Christianæ Translationibus, quas ante hos triginta & amplius annos horum Idiomatum periti in Gallia, cum *Privilegio Regis*, itidemque in gratiam & promotionem Fidei Romanæ ediderunt, notanter omissas esse; ea, quæ *Caramuel* ex Ebraismo adducit, juxta eum idem esse, sive dicatur, *credo Deum, credo Deo, vel credo in Deum*, vid. D. Dannh. Hodos. p. 863. Edit. Pr. vel si loco Dei substituatur Ecclesia, aliàs & aliâ occasione pluries ex Augustino discutiuntur. Addere nunc saltem placet Versus, quos ad citatum ex Augustino locum Glossa Juris Canonici non sine causa adposuit:

Crede Deo, credasque Deum, plus credo valere,
Si credas in Eum, quàm quod Ei vel Eum.

Supereſt nunc, ut ea breviter quoq; excutiantur, quæ contra Evangelicorum argumenta perpetuam Ecclesiæ visibilitatem & indeficibilitatem, & quæ huic est conjuncta vel adnexa, errandi impossibilitatem impugnantia Bellarminus respondere est conatus. Quamvis enim in primi & tertii membrorum tractatione Augustini nulla fiat mentio, eaq; ex Augustino testimonia, quæ pro Ecclesiæ Invisibilitate & errandi possibilitate solent adduci, silentio prætermiserit, impotens nimirum ad quidquam reponendum; quia tamen in secundi etiam membri excussione circa Ecclesiæ perpetuò visibilis indeficibilitatem ea occurrunt, quæ ad cætera quoq; aliquem videntur habere respectum, ideò Bellarmini vestigia prementes intra terminos ab Eo observatos nunc etiam manebimus, cæteris Augustini testimoniis extra omnem contradictionis aleam & in salvo positis,

Ante

Ante omnia autem observari debet, ponere Bellarminum aliquod in acie argumentum, & quidem Augustini authoritate munitum, quod, nescio, num ex Evangelicorum scriptis ostendi possit. Bellarminus id hunc in modum proponit: *Quod Ecclesia, nimirum* visibilis, *possit deficere & aliquando deficiat, probant*, videlicet Ecclesiæ Romanensis adversarii, *primò ab initio Mundi, ubi in solis Adamo & Evâ tota consistebat Ecclesia, saltem in virtute, utroque tamen amittente fidem & apostatante à Deo, ut patet post alios etiam ex Augustino.* Sed quia exinde sequeretur, non visibilem modò Ecclesiam, sed omnem simul atque totalem per apostasiam posse à Deo & verâ in Deum fide recedere, quod nullus Evangelicorum hactenus docuit, inque probando, quod Ecclesia visibilis possit deficere, nunquam ad statum hominis ante Lapsum fuerit adcensum, ideò hujus argumenti vindicias in se suscipere Evangelici non tenentur. Ad quia verò modum Bellarmino non insolitum fuit, ea adversariis adfingere argumenta, quæ pro suis non agnoscunt; ita in hujus etiam Quæstionis tractatione pleraque & potiora omisit, quæ ex Augustino inprimis ad demonstrandam Ecclesiæ visibilis deficibilitatem possunt adduci. Eminet inter alia ejus testimonia huc pertinentia brevis illa recensio Status Ecclesiastici ab Adamo ad Mosen, de cujus tempore secundum Bellarminus proposuit argumentum, quam enarrationi suæ in Psalmum centesimum & vigesimum octavum, vel juxta Ebræos nonum, inseruit his verbis: *Aliquando in solo Abel erat Ecclesia, & expugnatus est à fratre malo & perdito Cain. Aliquando in solo Enoch erat Ecclesia, & translatus est ab iniquis. Aliquando in sola domo Noe erat Ecclesia, & pertulit omnes, qui diluvio perierant, & sola natavit in fluctibus Arca, & evasit ad sinum. Aliquando in solo Abraham erat Ecclesia, & quanta pertulit ab iniquis, novimus.* Accedat locus ferè parallelus, ex lib. 16. c. 12. opere de Civitate Dei desumtus, de tempore Abrahami Patriarchæ agens: *Apud Chaldæos jam tunc etiam superstitiones impiæ prævalebant, quemadmodum per cæteras gentes. Una igitur Tharè domus erat, de quâ natus est Abraham, in quâ unius Verè Dei cultus, & quantum credibile est, in quâ jam solâ etiam Ebræa remanserat lingua, quamvis & Ipse, nimirum* Abrahamus, *sicut jam manifestior Dei populus in Aegypto, ita in Mesopotamiâ servisse Diis alienis, Iesu Nave Narrante refertur, cæteris ex progenie illius Heber in linguas paulatim alias & in alias Nationes defluentibus. Proindè, sicut per Aquarum diluvium una domus Noe remanserat ad reparandum genus humanum, sic in diluvio multarum Superstitionum per universum Mundum una remanserat domus Tharæ, in quâ custodita est plantatio Civitatis Dei.* Uterque quidem hic Augustini locus aliqua videtur exhibere, quæ ad Ecclesiæ visibilis indeficibilitatem pertinere possent; verùm si ritè expendantur, non nisi Evangelicorum sententiam rectè intellectam sistunt. Addantur, quæ non ita pridem *de Origine & progressu Antitheismi* circa hanc & sequentem temporis periodum ex non uno Authorum partis adversariæ sunt collecta, & non parum Lucis huic Instituto commodabunt. Cætera, quæ Bellarminus sibimet ipsi de Idololatriâ populi Israel tempore Mosis, ut & de Apostasiâ decem tribuum, & corrupto simul Statu in Regno Juda, tempore Prophetarum celeberrimi Eliæ objicit, utpotè visibilem in puritate cultus Ecclesiam non solùm in dubium vocantia, sed eam planè ex oculis subducentia; quia ex Augustino infirmare non potuit, in suo manent pretio. Quod autem contra Esaiæ & Jeremiæ gravamina, quibus de universali totius populi Apostasiâ suis temporibus sunt conquesti, ex Augustino objicit Bellarminus, docenti, *Prophetas & Apostolos universum quandoque populum reprehendere, quasi nemo bonus ibi sit, cùm tamen multi supersint boni; & è contrario interdum consolari omnes, quasi omnes sint boni, cùm constet, multos ibi malos esse*, Evangelicorum non ferit Sententiam, quibus hæc synecdochica Scripturæ locutio incognita non est, à cujus observatione tamen adeò nullum Ecclesiæ invisibili timent detrimentum, ut potius insigne momentum ei exindè existiment accedere, nimirùm nullo planè modo negantes, semper inter malos super adhuc aliquos esse & manere bonos, sicut inter bonos nunquam ferè non aliqui etiam reperiuntur mali, ad minimum hypocriseos larvâ tecti, exterius saltem & coram hominibus aliquam pietatis speciem præ se ferentes. Quod verò pauci inter malos boni latentes aliquam visibilem constituant Ecclesiam, Augustinus neque dixit, neque dicere potuit, nisi & is Eliâ oculatior esse voluisset. Oraculum cap. 9. Danielis de cessatione sacrificii Judæorum juxta Augustinum & alios Patres intelligi debere, Evangelici ultrò largiuntur.

Ad verba Christi autem, quibus tempore Adventus sui fidem vix in terrâ in-

ventum iri prædixit, ex Augustino & aliis Interpretibus aliquid amplius erit observandum. Duobus modis intelligi ea posse Bellarminus putat, uno, si dicat, *Dominum non loqui de Fide simpliciter, sed de eximia quadam fide, quæ in paucis reperiatur, & in paucissimis reperienda sit in ultimis diebus, juxta expositionem Hieronymi & Augustini*, altero, si dicatur cum Theophylacto, *loqui Dominum absolutè de Fide, & velle dicere, paucos tempore Antichristi fideles futuros, non tamen nullos, nec tam paucos, ut non faciant Ecclesiam.* Sicut autem altera explicatio nobis opposita non est, ita utramque conjunxit Augustinus, dissimulante quidem Bellarmino, *Consenio* tamen ingenuè id agnoscente, dum incommentario ad h. loc. sequentia Augustini verba exhibuit: *Id nos intelligimus vel propter ipsam Fidei perfectionem, quæ ita difficilis est in hominibus, ut in ipsis quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso Mose, inveniatur aliquid, ubi trepidaverint vel trepidare potuerint; vel propter iniquorum abundantiam & bonorum paucitatem.* Dicat nunc Bellarminus ex Augustini mente, quam non totam expressit, an paucitas bonorum præ iniquorum abundantia magis conspicua esse soleat, & annon potius hi utplurimum illos premere adque extremas quasvis angustias adigere conspiciantur, hic & ibi latibula quærere coactos? Non pro singulari argumento hic adlegabo eam quorundam explicationem, qua Christum *de fide Politica* ultimis temporibus valde manca, si non plane nulla, vaticinatum fuisse existimant, utut *Didacus Stella* quoque eam suis inseruerit enarrationibus, verbis, quæ hic legantur, non indignis, utpote præsentis seculi genium egregiè describentibus: *Si loquamur de fide, qua homo homini fidem vel habet vel servat, neque illa suo habetur loco, sed tanta est hominum hujus seculi vanitas, ut merito illud Ethnici locum habeat:* Nusquam tuta fides! *Quocunque enim te verteris, vix invenies, cui tutò fides, nec qui sibi fidere ausit. Sicut enim Deo neque fidimus, neque fidem servamus, ita & homines aliquando nec nobis fidem vel servant vel habent, ut sic par pari reddatur. Iam sinceritas antiqua periit, abierunt aurea illa secula, modo nemini fidere audemus. Olim omne æs alienum sine testibus, & sine chirographo probatissimum erat; nunc è converso etiam testibus & chirographo ipso fidem facientibus audent debitores debitum negare creditoribus, tanta est in hominibus perfidia & nequitia. Qua de causa nec amicissimis nec notissimis jam fidem facimus sine jactura.* Neque etiam rigoroſe urgebo sententiam eorum, qui hæc Christi verba de primo ejus adventu intelligunt, à *Guilielmo Estbio* sequentibus verbis expressam: *Hoc non ineptè referri potest, ad primum Christi adventum, cui & Ecclesia adcommodat Feria secunda ante Vigiliam Nativitatis Domini, ad laudes antiphona secunda. Omnes enim illæ antiphonæ sonant primum Christi adventum, & sensus est: Christus, quem vos expectatis venturum, cum venerit, numquid fidem inter homines inveniet, maxime in populo Iudaico*, q.d. *non inveniet, non recipietur, juxta illud:* In propria venit, & sui tum non receperunt. *Loquitur autem Dominus de se tanquam adhuc venturo, respiciens ad eorum expectationem, quibus loquebatur, sicut & hoc dictum est:* Tu es, qui venturus es, *id est, qui venturus expectaris à Iudæis.* Sed & ei non inhærebimus sensui, quem à Christo intentum *Iansenii* Gandavensis existimavit, scribens: *Non tantum significat defectum & paucitatem fidei in hominibus, qui vivi reperientur in novissimo die, sed etiam in hominibus cujuslibet temporis. Et tamen sic loquitur, quasi tantum significet defectum fidei in hominibus, qui in adventu ipsius reperientur in terra vivi, propterea, quod sic semper loquatur de suo adventu, ut cum velit quovis tempore à fidelibus expectari, quasi ipsorum sit futurus tempore.* Has inquam & alias horum Christi verborum interpretationes, non unam eandemque fidem, vel etiam temporis periodum respicientes, pro decisionis fundamento jam non habebo, quamvis exinde constet, authores earum Augustini sententiæ non ita adhæsisse, ut non liberum sibi esse putaverint, ab ea aliquatenus secedere, & propriam Lectori exhibere; solam nunc *Cajetani* notationem ex abundanti adhuc adscribam, qui sui temporis, id est, seculi superioris aliquam rationem esse habendam in hujus Textus enucleatione observavit, sequentia animose inculcans: *Non sum Propheta, neque Prophetæ filius, sed video viam valde frequentatam ad verificationem hujus Textus. Magna siquidem mundi pars Mahumetana est, & parva pars Christianis relicta tot hæresibus & schismatibus ac pravis usibus est repleta, ut exiguus verè fidelium numerus jam adparere videatur. Verè autem fideles dico professores Christianæ fidei verbis & factis.* Judicet hinc Lector, an cœtus fidelium tam exiguus dici possit aut debeat visibilis, & magis quidem, quàm magna pars infidelium, numero semper major & illustrior? Locus Pauli de Apostasia, tem-

Luc. 18.

de Unit. Eccles. cap. 15.

vid. Erasm. Schmidt, h. loc.

Conc. Evang. cap. 124.

2. Thess. 2.

sia, tempore illius futura, qui homo peccati dicitur, ex iis, quæ supra de Antichristo sunt dicta, explicari possunt, unde patebit, Augustinum quoad hoc quoque punctum Evangelicis non adversari. Illud verò Augustini testimonium, quod ex epistola ejus quadragesima & octava Bellarminus opponere ausus est Hilario, egregie contra Ecclesiæ visibilitatem disputanti, illustrari debet per aliud, quod paulò ante ex eadem epistola fuit adductum.

LIBRI QVARTI, De ECCLESIA MILITANTE

CAPUT SECUNDUM

De *Ecclesiæ Notis in genere, & Evangelicorum in specie.*

QUid de Notis vel rerum signis in abstracto & in antecessum sciri debeat, ut eo facilius postmodum in concreto de Ecclesiæ notis & signis agi possit, alias & alibi ostenditur, nobis nunc in eo tantum occupatis, an Augustinus Evangelicorum, an verò Romanensium notas agnoscat magis evidentes, per quas vera à falsa discerni possit Ecclesia. Non autem opus habuisset Bellarminus, Lutherum cum Augustana Confessione ejusque Interpretibus committere, quod ille septem, hi verò duas tantum Ecclesiæ notas habeant, cum facillime hæc inter se concilientur, iis, quæ *Lutherus* recensuit specialius, ad generaliora reductis; non ita facilis è contrario res sit, diversas Romanensium opiniones componere, quorum studio numerum Ecclesiæ signorum & Notarum ad centenarium usque, insigni liberalitate vel potius prodigalitate, multiplicatum esse, spissum & crassum *Thomæ Gozii* sub hoc titulo opus ostendit, Ecclesiam tanta signorum & Notarum mole non parum gravans. Quæ Augustinus in contra epistolam fundamenti libro adduxit, eum non pro notis vel signis Ecclesiæ perpetuis, ex quibus Ecclesia agnosci possit & debeat, sed pro Motivis saltem habuisse, quibus se tum, suo nimirum tempore, inductum & ex turpi Manichæismo ad Ecclesiam verè Catholicam fuisse adductum & insuper motum testatur, ut in eadem constans maneret, proxime in speciali Notarum Romanensium examine ex ipso ostendetur Augustino. Nunc cum inter notas, quas Evangelici paucis contenti ad Ecclesiæ agnitionem putant sufficientes, emineat sincera verbi ex S. Literis & scripturis Canonicis prædicatio, juvat audire, quid Augustinus de ea statuerit, locis ab ipso Bellarmino suppeditatis. Ita autem Doctor Augustinus: *In scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiam.* Addit contra Donatistas: *Has scripturas communiter habemus, quare non in eis & Christum & Ecclesiam communiter retinemus?* Posteriora hæc verba tunc Bellarminus omisit, eomet ipso testatus est, Pontificios exemplo Donatistarum id omittere, quod ex Augustini consilio quammaximè debebant observare. Sed alia ex iisdem Augustini epistolis sunt loca, quibus hæc Evangelica veritas de Ecclesiæ è scripturis cognitione confirmatur. Egregia certè sunt, quæ contra eosdem Donatistas alibi scripsit: *Quomodo confidimus ex divinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam?* Et post aliqua ibidem: *Non quisque nostrum in justitia sua, sed in scripturis divinis quærit Ecclesiam.* Qualia ferè sunt, quæ Epistola (una tantum interposita) sequente monuit: *In sanctis libris, ubi manifestatur Dominus Christus, ibi & Ecclesia declaratur.* Ubi simul eosdem Donatistas porrò graviter perstringit: Isti *autem mirabili cæcitate, cùm ipsum Christum præter scripturas* (id est, nisi ex scripturis) *nesciant, ejus tamen Ecclesiam non divinarum literarum authoritate cognoscunt, sed humanarum calumniarum vanitate confingunt.* Eosdem Ecclesiæ Christi & sacræ scripturæ hostes in alia iterum Epistola hunc in modum adloquitur, vel potius adscribit: *Attenditis falsa, quæ vobis dicuntur ab hominibus aut mentientibus aut errantibus de traditione Codicum divinorum, ut in hæretica separatione moriamini; & non attenditis, quod vobis ipsi Codices dicunt, ut in Catholica pace vivatis.* In aliis quoque Augustini scriptis non pauca leguntur, quæ ad præsens institutum facere possunt, ea præprimis, quæ sub initium undecimi libri de *Civitate Dei* extant rationem status ejusdem insigniter describentia: *Civitatem Dei dicimus, cujus ea scriptura testis est, quæ non*

vid. D. Calov. Metaph. Div. part. 1. p. 625. & seqq.

Epist. 165. contra Donatistas,

Epist. 48. ad Vincentium,

Epist. 50. ad Bonifacium.

Epist. 128 contra Donatistas.

fortuitis animorum motibus, sed plane summa providentiæ dispositione, super omnes omnium gentium literas, omnia sibi genera Ingeniorum humanorum, divina excellens authoritate subjecit. Et quia sancti Patris hujus enarrationes in Psalmos non semel Bellarmino in suis controversiis placuerunt, non impertinens videbitur, si exinde etiam aliquod adscribamus testimonium. Illustre autem præ aliis est, quod Psalmo post sexagesimum nono, vel juxta Ebræos septuagesimo adscripsit: *Si quæris eum, qui prior quæsivit te, & ovis facta es ejus, & audis vocem Pastoris tui, & sequeris eum, vide, quid tibi de se ostendit, quid de corpore suo, ne in ipso errares, ne in Ecclesia errares, ne quis tibi diceret, Christus est, qui non est Christus; aut Ecclesia est, quæ non est Ecclesia.* Et post pauca: *Audi vocem ipsius Pastoris, qui indutus est carne, ut quæreret carnem perditam. Ostendit se tibi, vocem ejus sequere; ostendit & Ecclesiam, ne quis te fallat nomine Ecclesiæ.* Verùm neque ea prætermittamus testimonia, quæ Bellarminus non ex largo, sed parco valde penu ulterius exhibet, & quidem aliquanto prolixiora, iis nimirum additis, quæ Bellarminus tanquam nimis clara & perspicua duxit omittenda. Extant autem eo in libro, quem ad exemplum & imitationem Cypriani *de Ecclesiæ unitate* contra Donatistas scripsit, in quo plurima leguntur orthodoxam Veritatem illustrantia. Videamus potiora, & quæ quam maximè nobis profutura videbuntur. Ita autem hujus Controversiæ telam orditur sanctus Pater: *Inter nos & Donatistas quæstio est, ubi sit Ecclesia? Quid ergo facturi sumus?* cap. 2. *In verbis nostris eam quæsituri, an in verbis Capitis sui, Domini nostri Iesu Christi? Puto, quod in illius verbis potius eam quærere debemus, qui Veritas est, & optimè novit corpus suum.* Addit Bellarminus ex capite sequenti sequentia: *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis; sed audiamus, hæc dicit Dominus.* Omisit autem ea, quæ statim immediatè sequuntur, & antecedentia quam commodissimè explicant: *Sunt certe Libri Dominici, quorum authoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus. Ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Magis perspicuè in gratiam Evangelicorum scribere non potuit Augustinus, ut mirum videri non debeat, si hæc Bellarminus Lectorem Veritatis orthodoxæ studiosum latere voluit, ut & sequentia non pauca, quæ in eundem ferè sensum ibi leguntur. Augustino ulterius scribente: *Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.* Et post aliqua iterum: *Si Christi Ecclesia Canonicarum scripturarum divinis & certissimis Testimoniis in omnibus gentibus designata est, quidquid attulerint & undecunque recitaverint, qui dicunt, ecce, hic Christus, ecce illic; audiamus potius, si oves ejus sumus, vocem Pastoris nostri dicentis, nolite credere. Singulæ quippe hæreses in multis gentibus, ubi ista est, non inveniuntur, hæc autem, quæ ubique est, etiam, ubi illæ sunt, invenitur. Ergo in scripturis sanctis Canonicis eam requiramus.* Insignis est locus, qui porrò sequitur: cap. 4. *Quia cum Donatistis quæstio nobis est non de capite, sed de corpore, id est, non de ipso Salvatore Iesu Christo, sed de ejus Ecclesia, ipsum caput, de quo consentimus, ostendat nobis corpus suum, de quo dissentimus, ut per ejus verba jam dissentire desinamus. Ille est autem unigenitus Filius & verbum Dei, & ideo nec Prophetæ sancti vera loqui potuissent, nisi ab ipsa Veritate, quod est verbum Dei, manifestaretur eis, quod dicerent, & juberetur, ut dicerent. Proinde prioribus temporibus per Prophetas sonuit verbum Dei, deinde per seipsum, cùm verbum caro factum est, & habitavit in nobis; deinde per Apostolos, quos misit ad se prædicandum, ut esset salus usque ad fines terræ. In his igitur omnibus quærenda est Ecclesia.* Et quia, quæ in scripturis Canonicis leguntur, non unius sunt modi & tenoris, hinc sequentia observari vult Augustinus: cap. 5. *Quoniam multa in alios vel ob aliud dicta, in quos volunt & ad quos volunt, maledici plerunque convertunt, multa etiam propter exercendas rationales mentes figuratè atque obscure posita per ænigmatis imagines vel ambiguitatis ancipitem sensum, fallaci aliquando interpretationi consonare & convenire creduntur, hoc etiam prædico atque propono, ut quæq; aperta & manifesta deligamus; quæ si in sanctis scripturis non invenirentur, nullo modo esset, unde aperirentur clausa, & illustrarentur obscura.* Et iterum post aliqua: *Sic & illa interim seponenda sunt, quæ obscurè sunt posita, & figurarum velaminibus involuta, & secundum nos & secundum illos possunt interpretari. Est quidem acutorum hominum, dijudicare atque discernere, quis ea probabilius interpretetur; sed nolumus in has ingeniorum contentiones in ea causa, quam populus tenet, nostram disputationem committere.* Prosequitur augustissimus Doctor hanc observationem suam his verbis: *In hac disputatione nostra pareamus talibus Interpretationibus, & apertum aliquid, quo manifestetur Ecclesia, requiramus.* Et porrò: *Prorsus, quæ alicujus interpreta-*

pretationis indigent, interim seponamus, non quia falsa sunt, quæ de talibus tanquam involueris interpretando solvuntur; sed quia interpretem quærunt, nolo in eis nostra ingenia comparentur, sed aperta veritas clamet & luceat, in obturatas aures irrumpat, dissimulantium oculos feriat. Nemo in eis latebris quærat falsæ suæ sententiæ locum, omnem conatum contradicendi confundat, omnem frontem impudentis elidat. Multa prætereo, quæ in sequentibus huic Instituto accommoda habet sanctus Pater, ne Lector multitudine testimoniorum obruatur aut tædio adficiatur. Ea tamen adhuc legi par est, quæ in libri hujus capite post decimum sexto, tanquam sede propria augustus Doctor gravissimè contra Donatistas scripsit: *Remotis ergo omnibus, Ecclesiam suam demonstrent, si possunt, non in sermonibus & rumoribus Asiorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet Disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini præparati & cauti sumus reddi-ti; sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsis Pastoris vocibus, in Evangelistarum prædicationibus & laboribus,* hoc est, *in omnibus Canonicis sanctorum librorum authoritatibus. Nec ita, ut ea colligant & commemorent, quæ obscurè, vel ambiguè, vel figurate dicta sunt, quæ quisque, sciat voluerit, interpretetur secundum sensum suum; talia enim rectè intelligi exponique non possunt, nisi prius ea, quæ apertissimè dicta sunt, firma fide teneantur.* Et post aliqua: *Omissis ergo istis morarum tendiculis, ostendat, quisquis respondere parat, Ecclesiam vel in sola Africa tot gentibus perditis retinendam, vel ex Africa in omnibus gentibus reparandam atque adimplendam, & sic ostendat, ut non dicat, verum est, quia ego hoc dico, aut quia hoc dixit ille Collega meus, aut illi Collegæ mei, aut illi Episcopi vel Clerici vel Laici nostri, aut ideo verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant & exaudiuntur, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille frater noster aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta hominum mendacium, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quæ dicuntur, aut si aliqua hæreticorum facta sunt mira, magis cavere debemus, quod, cum dixisset Dominus, quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans & ait, ecce prædixi vobis.* Ad quem verò modum hæc è numero notarum, quibus vera cognosci possit Ecclesia, removit augustus Doctor, rationes in sequentibus prolixissimè adducens, ita ad ipsam iteratò & quidem expressissimè provocavit scripturam, hæc porrò addens: *Ad ipsam salutem ac Vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum caput in scripturis sanctis Canonicis debemus agnoscere, non in variis hominum rumoribus & opinionibus, & factis, & dictis, & visis inquirere.* Et iterum post aliqua: *Vtrum Donatistæ Ecclesiam teneant, non nisi divinarum scripturarum Canonicis libris ostendant, quia nec nos propterea dicimus credere nobis oportere, quod in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam, quam tenemus, commendavit Milevitensis optatus vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostræ Communionis Episcopi, aut quia nostrorum Collegarum conciliis ipsa est prædicata, aut quia per totum orbem in Locis sanctis, quæ frequentat Communio nostra, tanta mirabilia vel exauditionum vel sanitatum* (forte sanationum) *fiunt. Quæcunque talia in Catholica fiunt Ecclesia, ideo sunt adprobanda, quia in Catholica fiunt Ecclesia; non ideo ipsa manifestatur, quia hæc in ea fiunt.* Ne autem contra hanc quasi peculiarem Augustini sententiam, excipere quidquam possent Donatistæ, exemplo Christi ad scripturam provocantis se munit, dum hæc proximè subjungit: *Ipse Dominus, cum resurrexisset à mortuis, & Discipulorum oculis videndum, manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallaciæ se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis* (Mosaicæ) *Legis & Prophetarum & Psalmorum confirmandos esse judicavit, ostendens, ea de se impleta, quæ fuerant tanto ante prædicta. Sic & Ecclesiam suam commendavit, dicens* (vel jubens) *prædicari in nomine suo Pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. Hoc in lege & Prophetis & Psalmis esse scriptum ipse testatus est, hoc ejus ore commendatum tenemus. Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta.* Apostolorum quoque exempla in subsidium adfert: *Legimus in Apostolorum actibus de quibusdam credentibus dictum, quod quotidiè, scrutarentur scripturas. Quas scripturas, nisi Canonicas Legis & Prophetarum? Huc ad-*

cesserunt Evangelia, Apostolicæ Epistolæ, actus Apostolorum, Apocalypsis Iohannis. Penna languescit antequàm omnia hujus sancti Patris in rem præsentem testimonia ex unico hocce libro adscribantur, qui ita compositus videtur, ac si Doctor augustissimus in antecessum Evangelicis arma pro hac Ecclesiæ nota principali contra hostes suos fabricare & liberaliter insigni numero & copia suppeditare voluisset, ita quævis aptissimè contra modernos scripturæ contemtores adhiberi possunt, ut nihil plane ad plenissimam hujus Controversiæ tractationem desiderari posse videatur. Cautissimè hinc & in partis suæ commodum utilissimè (nescio tamen, an etiam sincerè?) egit Bellarminus, dum paucis quibusdam, iisque truncatis valdè Augustini testimoniis contentus, cætera quævis, eaque clarissima silentio prætermisit, ne, quia sufficiens ad ea responsum in promtu non fuit, Lectorem dubium relinqueret, vel ansam ei præberet ad Veritatem penitius agnoscendam. Illud certe responsum, quod ad citata à se augusti Doctoris testimonia parce satis dedit, tale est, quod nullo plane modo satis potest facere, aut mentem sancti Patris omni ex parte perspicuam intervertere. Dicit, *ex scriptura probari quidem, ubi sit Ecclesia, sed non tanquam ex nota Ecclesiæ, sed quia doceat scriptura, quæ sint notæ, nimirum, qualis illa sit, ubi cœperit, & quomodo creverit?* Sed si Augustini sententias, prout jacent, exque universo contextu sensum habent, ritè attendamus, nihil aliud eum voluisse adparebit, quam ut ideò Ecclesia ex scriptura demonstretur, quia ex ea solùm constare potest, qui cœtus inter eos, quorum causâ hæc agitur controversia, doctrinæ sinceritatem tueatur, ita ut ex S. Literis fiat judicium de Doctrina, exque eadem fieri possit judicium de Ecclesia, ordine ista naturali, ut, nisi in transversum agerentur Lucifugæ, non possent non sibi commendatissimum habere. Verùm nec dum adquiescere potuit Bellarminus, ut non plus ultra tentaret, annon quidquam super adhuc sit, quò Augustinum aliqua saltem ratione Evangelicis fisteret adversarium. Anteà circa Notas in genere observavit inter alia, *Notas debere esse notiores eare, cujus sint notæ; alioqui enim non esse notas, sed ignotas.* Contra hanc observationem ex mente Evangelicorum sibimet ipsi objecit, *scripturam esse notiorem, quàm Ecclesia sit, quandoquidem inde probetur Ecclesia.* Respondet, *simpliciter Ecclesiam esse notiorem & priorem, quàm sit scriptura, cum Ecclesiâ fuerit ante scripturam, & ipsi data sit à Deo scriptura, & ipsa eam aliis tradat & explicet; ex hypothesi tamen scripturam aliquando esse notiorem, quando videlicet est recepta, & clarè loquitur, & oritur quæstio de Ecclesia, sicut interdum & è contrario Ecclesia est recepta & nota, & quæstio oritur de scriptura, & sic unum probatur ex altero*, v. gr. *Quando disputabatur de Baptismo hæreticorum, quia obscurè loquitur scriptura, & Ecclesia erat nota, Augustinus probabat secundum scripturas, ratum esse Baptismum hæreticorum, quia Ecclesia illum habuit pro rato.* Contra, *cum disputabatur de Ecclesia, an esset in sola Africa, quia scripturæ erant receptæ & claræ, inde Augustinus probabat.* Si Bellarminus judicium, quo non planè nullo fuit præditus, ex debito hic adhibere voluisset, aut saltem cogitasset, lectorem hæc à se scripta cum judicio examinaturum, non tam imprudenter ac contra seipsum scripsisset. Ut enim priorem responsi partem non tanquam, utpotè huc impertinentem, quæ in posteriori scripsit, in gratiam Evangelicorum scripsisse, quamvis invitum & fortè inscium, patet apertissimè. Non enim hic alius est Controversæ quæstionis status, quàm quæ sit vera Ecclesia, neque laudata Augustini testimonia aliorsum tendunt, quàm ut ostendatur, sanctum Patrem contra Donatistas pro eâ militasse Ecclesia, quæ ducem sequeretur scripturam, vocem scilicet Pastoris optimi, quam oves ante omnes alias agnoscere, libenter audire & constanter sequi tenentur. Quæstionem facti circa Anabaptismum hæreticorum à Cypriano primùm, tum ab Augustino etiam luculenter tractatam, quod attinet, supra jam non semel ejus mentio est facta, & infra ex occasione plenius enucleabitur, quia & in sequentibus proximè, ut aliquid de ea dicatur, Bellarminus ansam præbet, alteram videlicet Notam ex sententia Evangelicorum ad Ecclesiæ Veritatem ex legitimo Sacramentorum usu demonstrandam examinans, quam iisdem argumentis refutari posse existimat, quibus antecedentem oppugnare est conatus, inde præprimis, quia Notas *à vera Ecclesia inseparabiles* esse contendit, & tamen de Ecclesiis tempore Cypriani Africanis scribit, quod juxta sententiam Augustini *veræ fuerint Ecclesiæ, utut non sincerè sacramentum baptismi tractaverint*, eodem teste Augustino. Atqui illud quidem in loco Augustini, ad quem Bellarminus provocat, legere datur, mansisse Cyprianum cum Collegis Anabaptismum defen-

defendentibus & exercentibus *in unitate Ecclesiastica*, neque semet ipsos per aliquod schisma activum ab ea separasse, id quod Augustinus omni elogio dignum censet adque imitationem proponit; sed quod non sincerè tractaverint sacramentum Baptismi Cyprianus & cæteri tum temporis in Africa Episcopi, illud ibi Augustinus non habet, neque potuit habere, cum probe sciverit, Cyprianum virtuti hujus sacramenti nihil detraxisse, id solùm contendisse, ab hæreticis malè id possideri & usurpari, quod sit Bonum soli Ecclesiæ verè Catholicæ proprium, nullo autem modo cum quibusvis hæreticorum conventiculis commune, & tanto id quidem fervore & zelo, ut ipsi Augustino & aliis quibusdam ad alterum deflexisse extremum fuerit visus, etsi forte non desint, quæ pro Cypriani sententia rite intelligenda non inutiliter possent moneri, si id jam ageretur, & non aliorsum differri deberet. Id jam constat, malè ad Augustinum hic provocasse Bellarminum in removendo ex Notarum Ecclesiæ numero sacramentorum usu, eodemque legitimo, quod quammaximè venit attendendum; cùm ipse Augustinus alibi contra Donatistas agens eleganter sacramentum Baptismi cum nota & charactere militari comparaverit, eo ipso tanquam characterem & notam militiæ cœlestis hoc sacramentum commendans, quo nihil insignius & ad præsens Institutum accommodatius fieri potuit.

lib. 6. de Bapt. c. 7.

vid. D. Hülsem. de Concept. fiat. p. 226: seqq.

lib. II contra Epist. Parmen. cap. 13.

Quæ ad cæteras observat Notas Bellarminus, quas *Luthero* eum adscribere supra vidimus, prætermittere innocenter licet, hoc solùm excepto, ubi Augustini intercedit authoritas, nimirum quod ipsam Ecclesiæ persecutionem attinet, unde etiam Martyrii honor eidem accedit, utut *Lutherus* utrumque hoc non pro Ecclesiæ nota propriè dictâ haberi voluerit, sed pro accidente quodam, quo tamen utpote rarius absente, Ecclesiâ verè Catholicâ à quibusvis hæreticorum & schismaticorum cœtibus non male discerni possit, Bellarmino quamvis contradicente, & utrobique ad Augustini in contrariam partem testimonia provocante, ibi quidem significantis, *Ecclesiam & in principio & in fine magnas esse passam & adhuc passuram esse calamitates, in medio tamen juxta prædictiones fuisse florentissimam*; hic autem contra Donatistas urgentis, *eos vivere ut latrones, & honorari ut Martyres*. Quia uterque augusti Doctoris locus aliquid notatu dignum exhibet, silentio id involvi non debet. Quoad prius, etsi cum sancto Patre non negemus, habuisse Ecclesiam Christi in medio temporis & aliàs etiam non semel halcyonia, ita ut post graviores persecutionum æstus respirare potuerint aliqua ex parte fideles, variis Martyriorum generibus pressi & tantum non plane oppressi; id tamen simul certum est, nunquam ita floruisse Ecclesiam, ut non remoto Tyrannorum metu externo, ab internis hostibus, hæreticis nimirum & schismaticis, semper aliquis superfuerit timor, isque non inanis aut contemnendus, ut adeò Ecclesiæ nunquam fere defuerint Martyres, si non cruenti, saltem incruenti, & quibus perpetuò cum falsis Doctoribus fuit pugnandum, inter quos Augustinus ipse magnum semper nomen fuit, non unius hæreticorum pila, quamvis nunquam non Deo bonam & propriam juvante causam victor evaserit arma contra quosvis hostes glorioßissimè gerens, quibus hodienum in multum orthodoxæ veritatis commodum Evangelici, non absque adversariorum ægritudine utuntur. Et dum persecutio non unius tantum est modi, sed ea etiam non rarò illos tangit, qui aliis varia persecutionum genera & sine causa quidem intentant, inde Augustinus notanter distinguit persecutionem justam ab injusta, loco priori ita scribens: *Si verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio injusta, quam faciunt impii Ecclesiæ Christi; & est justa persecutio, quam faciunt impiis Ecclesiæ Christi. Ista itaque beata est, quæ persecutionem patitur propter Justitiam; illi verò miseri, qui persecutionem patiuntur propter injustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi sæviendo; ista ut corrigat, illi ut evertant; ista ut revocet ab errore, illi ut præcipitent in errorem. Denique ista persequitur inimicos & comprehendit, donec deficiant in vanitate, ut in veritate proficiant; illi autem retribuentes mala pro bonis, quia eis consulimus ad æternam salutem, etiam temporalem nobis conantur auferre.* Et in paulò antecedentibus: *Veri Martyres illi sunt, de quibus ait Dominus*, Beati, qui persecutionem patiuntur propter Justitiam. *Non ergo qui propter iniquitatem & propter Christianæ unitatis impiam divisionem, sed qui propter Justitiam patiuntur persecutionem, hi martyres veri sunt.* Satis apertè, opinor, augustus Doctor suam de persecutione explicavit sententiam, quâ nimirum ratione persecutores justi ab iniquis dignosci queant, ne hi contra illos obtineant, illique ab his plane opprimantur. Gemina fere his sunt, quæ posteriori loco sanctus Pater nomine Cleri

Epist. 50. ad Bonif.

Epist. 68. ad Januar.

Hipponensis ad Januarium, primæ sedis apud Donatistas Episcopum scripsit: *Consideret gravitas tua, quàm multi vestrûm, imò vos omnes, qui vos pati dicitis persecutionem, sub ipsis quasi terribilibus Imperatorum Catholicorum legibus, in possessionibus vestris & alienis securi sedeatis, & nos à vestris tam inaudita mala patiamur. Vos dicitis pati persecutionem, & nostræ domus ab armatis vestris compilando vastantur. Vos dicitis pati persecutionem, & nostri oculi ab armatis vestris calce & aceto extinguuntur. Insuper etiam, si quas mortes sibi ultrò ingerunt, nobis volunt esse invidiosas, vobis autem glorioſas. Quod nobis faciunt, sibi non imputant; & quod sibi faciunt, nobis imputant. Vivunt ut latrones, moriuntur ut Circumcelliones, honorantur ut Martyres.* Mirum verò posset videri, qui factum, quod Bellarminus persecutionem, videlicet passivam, quam Ecclesia vere orthodoxa in membris suis nunquam ferè non sustinere cogitur, unde Martyrii gloria, tanti olim æstimata, eidem solet accedere, pro Nota Ecclesiæ noluerit agnoscere; nisi in subsequentibus inter alias plures Notas Felicitatem Ecclesiæ temporalem ab eo fuisse adscriptam docendi essemus, quam pari passu cum persecutione vidit ambulare non posse, adeoque tutius judicavit, ut hæc locum habere possit, illam excludere, utpote minus gratam, & quæ hodiernam Ecclesiæ Romanensis faciem dedeceret, non cruore sanguineo, ut antehac, sed rubore purpureo superbientem. Ne tamen omnis Martyrii honor q. in exilium missus videatur, dum præsens *Romæ*, & qui eam ut Matrem venerantur, status ejusque ratio ad quævis alia respectum habet, ac illo tempore, quo sanguine fundatam esse Ecclesiam ac insigniter crevisse è Martyrologiis notissimum est; sunt hodiè, qui de novo Martyrii genere solliciti singulare ex eo elogium reportare studuerunt, interq; eos *Theophilus* ille *Raynandus*, qui præter alia Ingenii ad novi quid excogitandum non adeò sterilis inventa, etiam *Martyrio per Pestem* à se miris laudibus commendato inclarescere laboravit, prolixissimè à *Thoma Hurtado* in opere Resolutionum Moralium refutatus, quod tamen Martyrium, socio laturus suppetias, *Andreas de Mendo*, non ita pridem, in statera opinionum nimis benignarum, suo adprobasse suffragio duodecim Academias, & inter eas aliquot in Hispania gravissimas, nec non tredecim eminentissimos Cardinales, duodecim sapientissimos Antistites, nec non ducentos sexaginta quatuor Doctores & Magistros, Hispanos, Gallos, Germanos, Polonos, Italos, Anglos, Belgas, & inter hos numero Hispanos excedere alios, demum quinquaginta tres scriptores alios, ut adeo pauperis non amplius sit numerare pecus, hæcque de *Martyrio per Pestem* sententia, utut antiquis Ecclesiæ Doctoribus ignotissima, non simpliciter tantum probabilis, ad cujus valorem unius etiam Doctoris authoritas ex mente *Caramuelis* sufficit, sed probabilissima ex tot Doctorum & Universitatum Academicarum suffragiis videri posset, nisi ipsum *Raynandi* de hoc argumento librum Censores Romani, suis sine dubio rationibus ducti Indici prohibitorum inseruissent, omnem eomet ipso probabilitatem & authoritatem novæ huic opinioni, quantum in ipsis fuit, detrahentes.

conf. Casal. in Candore lilii, p. 580.

Dissert. 1. Quæst. 13. num. 151.

conf. Apopomp. p. 219. & seqq.

CAPUT QUARTUM & seqq.

De

Notis Ecclesiæ Romanensis.

INter quas dum primo Bellarminus loco ponit nomen & elogium Catholicismi causas prægrandes, ut habuerit, opus est, cur, cum capite antecedaneo Augustini laborem & studium in enumerandis & commendandis sex Ecclesiæ Notis, vel potius ex ipsius Augustini sententia motivis, laudaverit, non in numeri solùm augmento ab ejus ductu fecesserit, sed & ordinem plane interverterit, ut quod ultimum augustissimo Doctori fuit, ipse omnibus aliis anteponeret. Ut hoc in limine observetur, ipse Bellarminus occasionem præbuit, ad id S. Patris testimonium in adscribendo Ecclesiæ hoc Catholicismi elogio provocans, quod hoc ipsum apertissimè nobis exhibet, sequenti videlicet verborum tenore: *Tenet me in gremio Ecclesiæ Catholicæ* nempe post & præter consensionem populorum atq; gentium, post & præter authoritatem Miraculis inchoatam, spe nutritam, charitate auctam, Vetustate firmatam; post & præter successionem sacerdotum ab ipsa Petri Apostoli sede, cui Dominus pascendas oves suas post resurrectionem commendavit, usque ad præsentem Episcoparum; post & præter hæc postremò tenet me etiam *ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista sola Ecclesia obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholi-*

contra Epist. Fund. c. 4.

cam

cam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere. Quia hic locus Augustini à plerisque scriptoribus Papæis contra Evangelicos solet urgeri, ejusque membra hic exposita in sequentibus à Bellarmino ad illustrandas Ecclesiæ notas multis cum observationibus exhibeantur, juvat semel pro semper ea hic breviter & per compendium repetere, quæ prolixius non ita pridem in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* fuerunt tractata. Certum est *primo* & ante omnia notandum, agere hic Augustinum contra Manichæos, cujus argumenta num contra Evangelicos hodiè cum fructu adhiberi possint, & num Evangelicis quidquam cum Manichæorum erroribus commune sit, qui Bellarmini partes susci pere voluerit defendendos, demonstrare ad oculum tenebitur. *Deinde* illud etiam ex attenta verborum Augustini lectione constat, eum de elogio Catholicismi, & cæteris omnibus motivis, vel, ut Bellarminus putat, Ecclesiæ Notis, ita locutum esse, non quasi earum respectu primum ad Ecclesiæ Catholicæ gremium pervenerit, sed quod per eas vel ea, accedentibus & antecedentibus aliis, in Ecclesiæ Catholicæ gremio ita retineatur, ut ad Manichæos, à quibus semel per Dei gratiam secesserat, redire salva conscientia non posset. *Porrò* quam-maximè observari debet, augustissimum Doctorem huic & cæteris motivis non potest sed omninò præposuisse illam Ecclesiæ verè Catholicæ notam, quam Evangelicos hujus sancti Patris exemplo præprimis etiam attendere, ex antedictis sufficienter patet, videlicet *sapientiam* in ea *sinceriſſimam*, quam tamen se hic ideo omittere, id est, contra adversarios primariò non attendere scripsit sanctus Pater, ad hominem more non insolito disputaturus, quia Manichæi eam in Ecclesia verè Catholica dari non credant, de qua etiam insequentibus contra antagonistas Manichæos gravissimè monuit: *Apud vos nihil horum est, quod me invitet & teneat. Sola personat Veritatis pollicitatio, quæ quidem, si tam manifestè monstratur, ut in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica Ecclesia teneor. Si autem tantummodo promittitur & non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus Christianæ religioni adstringit.* Notatu in his Augustini verbis digniſſimum est, quod magni quidem æstimet motiva à se enumerata, quibus se non ad Ecclesiam veniſſe, sed in Ecclesia teneri scribit, neque nos diffitemur, quin Augustini tempore non parum habuerint momenti, ea non plane nullo hodienum habituri loco, nisi tempora per duodecim hæc secula nimis quantum fuissent immutata, atque Ecclesia aliam omninò faciem ea inter induisset, vix de ne vix quidem agnoscenda, si Augustinus eidem sisteretur redivivus, longe aliter nunc quam olim de ea scripturus; at nihilo tamen minus iis omnibus anteponat sinceriſſimam in Ecclesia verè Catholica sapientiam, id est, ut in posterioribus mentem suam apertius explicavit, ipsam fidei Veritatem in S. Literis revelatam, ad quam contra alios quoque hæreticos, nominatim Donatistas sæpissimè provocavit, ut prolixissimè ad caput antecedens ex illustri præprimis opere ejus de Unitate Ecclesiæ fuit ostensum. Ipsum nunc Catholici sui elogium in specie quod attinet, quod Bellarminus in acie ponit de Notis Ecclesiæ acturus, ut non repetam hic, quæ de eo generatim in citatis modò *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* ex recentioribus quibusdam scriptoribus, nominatim *Launojo*, Sorbonista Eruditissimo nuper observavi, uberius illustranda per ea, quæ *Salmasius* inde primatu Papæ congessit; id nunc præsertim ex Instituti ratione attendendum venit, quid Augustinus alibi de eo senserit, & num id pro Ecclesiæ nota habuerit, ita ut ex eo, tanquam signo cognosci possit & de jure debeat. Dum verò augustissimus Doctor eo in loco, quem ipse Bellarminus præscripsit, eoquemet ipso usum ejus nobis commendavit, testatur, *omnes hæreticos se dici velle Catholicos*, satis luculenter ostendit, rem ipsam non in eo sitam esse, ut aliquis dicatur vel dici velit Catholicus, sed ut verè sit, ipsaque res cum nomine conveniat. Hinc ipsi teste eodem Patre sancto hæretici, ubi de Catholica verè Ecclesia interrogantur, in conscientia convicti conventiculis suis illud elogium adscribere non audent, neque etiam si id facerent, quidquam Ecclesiæ verè Catholicæ inde auderet in præjudicium. Eleganter alibi Augustinus: *Qui vocantur filii Dei, & non sunt, quid illis prodest nomen, ubi res non est? Quam multi vocantur Medici, qui curare non norunt, quàm multi vocantur Vigiles, qui tota nocte dormiunt. Sic multi vocantur Christiani, & in rebus non inveniuntur, quia hoc, quod vocantur, non sunt, id est, in Vita, in moribus, in Fide, in Spe, in Charitate.* Neque impertinenter hic extabunt, quæ idem Augustinus circa hoc nominis Catholici elogium antehac inter verè Catholicos

cap. 14. pag. 210. & seqq.

Tract. 4. in Epist. Ioh. conf. Tract. 5. in fine.

licos & Donatistas, qui idem sibimet ipsis adserebant, in collatione dici tertiæ ultrò citroque pro & contra fuisse proposita memorat: *Cum Donatistæ factâ mentione* cap. II. *nominis Catholici dicerent, apud se potius Catholicam esse Ecclesiam*, quàm alios, qui se hoc nomine à Donatistis separabant, *interlocutus est cognitor, illos, quanto magis se Catholicos esse dicerent, tanto magis ipsam causam remotis morarum interpositionibus agere debere, in qua probare possent, se potius esse catholicos.* Addit in sequentibus, *cum Donatistæ dicerent, catholicum nomen non ex universitate gentium, sed ex sacramentorum plenitudine institutum, atque peterent, ut probarent catholici, omnes sibi communicare gentes; Catholicos gratissimè id accepisse, & petivisse, ut hoc probare permitterentur, id tamen non impetrasse, Donatistis à causa Ecclesiæ iterum resilientibus, utpotè in ea se nihil habere, quod dicerent, probe scientibus.* Quamvis autem Catholici tempore Augustini, quo hæc agebantur, hoc etiam sensu, quo Donatistæ volebant, Elogium Catholicissimi præ aliis sibi competere facillimum demonstratu judicarent, paratissimi id adversariis ita ob oculos ponere, ut satis desiderio eorum facerent ex asse; alibi tamen Augustinus contra eosdem scribens Donatistas id non ita putavit necessarium, ut non consultius duxerit, hoc etiam remoto ad S. Scripturæ authoritatem provocare, cuidam ex hæresi rogatiana, quæ propago Donatisticæ hæreseos erat, & ut Augustinus loquitur, brevissimum de majore frusto frustum, sequentia ad animum vocans: *Acutum aliquid dicere videris, cum Catholicæ Ecclesiæ no-* Epist. 48. ad Vincent. *men non ex totis orbis communione interpretaris, sed ex observatione præceptorum omnium divinorum atque omnium sacramentorum; quasi nos etiam (si fortè hinc sit Ecclesia adpellata Catholica, quod totum veraciter teneat, cujus Veritatis nonnullæ particulæ etiam in diversis inveniuntur hæresibus) hujus nominis testimonio nitamur ad demonstrandam in omnibus gentibus Ecclesiam, & non promissis Dei & tam multis tamque manifestis oraculis ipsius Veritatis.* Hinc alio iterum loco contra eosdem Donatistas multa cum observatione monuit, *neque Catholicis Episcopis esse consentiendum,* de Unit. Eccles. cap. 10. Quæst. ex Matth. num. 11. *sicubi fortè fallantur, ut contra Canonicas Dei scripturas aliquid sentiant.* Huc quoque referri debet discrimen illud, quod inter bonos & malos statuit Catholicos, ut inde simpliciores præmuniri possint aliquatenus: *Illi Catholici mali rectè deputantur, qui quamvis vera credant, quæ ad veram fidei doctrinam pertinent, & si quid fortè nesciunt, quærendum existimant, & salva pietate discutiant sine aliquo ipsius Veritatis præjudicio, & bonos, vel quos putant bonos, ament atque honorent, quantum possunt; tamen flagitiosè ac facinorosè vivunt, contra quàm vivendum esse credunt. Boni autem Catholici sunt, qui & fidem integram sequuntur, & mores bonos.* Quod *ad fidei doctrinam pertinet, ita quærunt, si quid quærendum habent, ut absit concertatio periculosa vel quærenti, vel ei cum quo quæritur, vel eis qui differentes audiunt; ita autem docent, si quid docendum habent, ut usitata & confirmata securissimè & fidentissimè & lenissimè insinuent, ut possunt, inusitata verò, etiamsi Veritatis manifestatione liquidissima perceperunt, quærendi potius quàm præcipiendi aut adfirmandi modo propter audientis infirmitatem.* Ut cætera quævis omittam, quæ ex his Augustini testimoniis in rem præsentem possent observari, illud ante omnia ex iis manifestum est, sanctum Patrem Ecclesiæ Veritatem non ex hoc Catholicismi elogio, sed id potius ex scripturæ & Veritatum in ea contentarum consensu probari consultum duxisse; qui insuper, dum se hoc nomine in Ecclesiæ verè Catholicæ gremio teneri, & ut in ea maneat moveri scripsit, non de nudo nomine, sed ipsa re intelligendus venit, nisi mentem ejus non uno in loco satis clarè expressam pervertere velimus.

Sed ad cæterarum Ecclesiæ Notarum à Bellarmino propositarum examen progrediamur, quatenus nimirum vel Augustinus est vindicandus, vel pro Evangelicorum sententia laudandus. Ad *secundam* igitur notam, quam sub antiquitatis elogio sistit Bellarminus, illud præsertim pertinere censet, *quod scripturam sacram ipsis gentilium diis, & Ecclesiam omnium paganorum conventiculis antiquiorem post Tertullianum demonstret Augustinus*, & præterea ipsam antiquitatem loco ante citato inter Ecclesiæ notas ponat. Et quia ex parte Evangelicorum, quibus à tempore reformationis novitas doctrinæ & Ecclesiæ nuper demum natæ objicitur, ad vindicandam utriusque antiquitatem ostendi & demonstrari solet, non novam proponi in Evangelicorum cœtibus doctrinam, sed antiquissimam in scriptis Apostolorum & Prophetarum fundatam, proximis quidem ante Lutherum seculis ita corruptam & traditionibus humanis obrutam, ut in totum ferè oppressa fuerit, at hujus Megalandri cœlitus ad id animati opera ita restitutam

& re-

& restauratam, ut ante-actorum insciis & ignaris nova plane visa fuerit, Ecclesia, quæ Romani Præsulis decreta per aliquot seculorum decursum fuerat amplexa, antiquum obtinente quidem, sed non antiquissimum, id quod ex sola Pauli ad Romanos Epistola quoad pleraque Fidei capita non semel hactenus est ostensum. Ut verò id cludat Bellarminus, argumentum aliquod ex Augustino opponit, quod eum donato antehac opposuisse scribit, sequentibus verbis, sed Bellarmini magis, quàm Augustini propositum: *Aut ista Ecclesia, quæ nunc adparuit, antea perierat, & nunc resurrexit; aut non perierat, sed tantum latuerat, & nunc extulit caput. Non primum, quia tunc non potuissent, renasci, si Mater perierat. Si periit, unde ergo Donatus adparuit*, de qua terra germinavit, ex quo mari emersit, de quo cœlo cecidit? *Et præterea falsæ erunt promissiones Christi*, Portæ inferi non prævalebunt, &c. Ego vobiscum, &c. *Non secundum, quia tunc vel ista latens Ecclesia suam profitebatur fidem, vel non profitebatur. Si profitebatur, ergo non erat latens, sed manifesta; & si manifesta, quomodo nemo advertebat, quomodo non capiebantur & coercebantur ab Inquisitoribus, qui longo tempore ante Lutheri ætatem esse cœperunt in Ecclesia? quomodo nullum vestigium, nulla eorum memoria extat? Si autem non profitebatur fidem, sed verè & propriè latebat, quam partem ipsi defendere coguntur, ergo illa non fuit Ecclesia, ac proinde nulla fuit vera in mundo Ecclesia; nam ut ipsi dicunt, confessio fidei est nota veræ Ecclesiæ, & ore fit confessio ad salutem.* In genere ad hujus notæ præscriptionem, prætensumque hoc à Bellarmino jactatæ antiquitatis elogium responderi posset, quod author quæstionum ex utroque Testamento (quem Bellarminus & alii scriptores Papæi non semel sub Augustini nomine commendarunt, ipso quamvis Bellarmino & aliis iterum scriptoribus Papæis contradicentibus) ad præsens institutum pertinentissimè suppeditavit, contra gentilium superstitiones agens: *Subtilitate & astutia Satanæ factum est, ut per traducem antiquitatis commendaretur fallacia.* Et post aliqua: *Pagani antiquitatis causa verum se tenere contendunt, quia quod anterius est, inquiunt, falsum esse non potest. Quasi antiquitas aut vetus consuetudo præjudicet veritati.* Dum verò Author hic sub Augustini, nomine veterem antiquitati consuetudinem jungit, utrique veritatem anteponens, referri huc etiam possunt ea Augustini testimonia, quæ post *Ivonem* Gratianus corpori Juris Canonici, ejusdemque partis primæ distinctioni octavæ inseruit, hoc ordine: *Veritate manifestata cedat consuetudo Veritati. Plane respondeo, quis dubitet, veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere?* Item, *Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.* Iterum: *Qui contemtâ veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est & malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, cujus inspiratione Ecclesia ejus instruitur.* Et infra: *In Evangelio Dominus inquit, ego sum veritas; non dixit, ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata cedat consuetudo veritati.* Iterum infra: *Revelatione facta veritatis cedat consuetudo Veritati: quia & Petrus, qui prius circumcedebat, cessit Paulo Veritatem prædicanti.* Adhuc infra: *Cum Christus Veritas sit, magis Veritatem, quàm consuetudinem sequi debemus, quia consuetudinem ratio & Veritas semper excludit.* Porrò, *Frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis objicinnt, quasi consuetudo major sit Veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit à Spiritu Sancto revelatum.* Insuper, *Hoc plane verum est, quia ratio & Veritas consuetudini præponenda est; sed cum consuetudini Veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.* Libuit hæc ex Augustino, collectore post *Ivonem* Gratiano, exscribere non quasi antiquitatis aut laudabilium in Ecclesia consuetudinum hostes essemus, sed quia exinde patet, Augustini, imo *Cypriani* (ex quo Augustinus pleraque hæc in suos derivavit usus, sibiq; propria vel potius communia fecit) tempore jam fuisse, qui veritate victi antiquas prætenderent consuetudines, ab utroque autem ad veritatis normam revocatos, quod dum Evangelici hodienum contra antiquitatis jactatores observant, exemplo Augustini id faciunt, quem sibi in iis etiam, quæ Bellarminus ex eodem opposuit, nullo plane modo agnoscunt contrarium, sed per omnia egregiè consentientem. Noster est Augustinus, quando Ecclesiam, videlicet Dei, omnium paganorum conventiculis, & scripturam sacram ipsis gentilium Dei, hincque etiam quibusvis Ethnicis scriptoribus antiquiorem scripsit. Provocamus nimirum & nos Evangelici ad antiquitatem & scripturæ & Ecclesiæ Mosaicæ, inde fundamenta fidei deducentes. Ipsius scripturæ Mosaicæ antiquitatem omnium antiquissimam contra Præadamitarum novissimum conditorem præter

vid. Roberti Cocii Cens. p. 345. num. 114.

vid. lib. 18. de Civ. Dei, cap. 37. seqq.

præter alios defendit non ita pridem B. *Vrsinus*. Ecclesiæ autem non quidem Mosaicæ, sed Mosaicâ antiquioris, nimirum Adamicæ & Noahicæ genuinam antiquitatem, ac Evangelicorum cum iis consensum nuper exhibuit *D. Bæbelii*, submissurus suo tempore Abrahamicam quoque & Mosaicam, quia & fortè Davidicam, & his succedentem Propheticam, omnes egregiè in Fidei fundamento Evangelicis correspondentes. Ut adeò neque in hoc Augustini subterfugiamus authoritatem, dum se inter cætera teneri in gremio Ecclesiæ verè Catholicæ scripsit *authoritate Miraculis inchoatâ, spe nutritâ, Charitate auctâ, Vetustate firmatâ*; cùm & nos verè fateamur teneri in gremio Ecclesiæ, non nominetenus saltem, sed re ipsa Catholicæ, doctrinâ non novâ, non aliquot, sed omnium ab orbe condito seculorum authoritate firmatâ, verè antiquâ, imò omnium antiquissimâ, etsi ad tempus non omninò quidem extinctâ, at multis tamen errorum tenebris obscurata, ut aurum à scoriis secernere artis & summæ difficultatis fuerit. Evanescit hinc illius Dilemmatis vanitas, quod non ex Augustini, quem quidem nominavit, sed sui malesani cerebri promtuario infelici conatu Bellarminus finxit, cum in finem, ut Evangelicos ad absurdum deducat, agnoscere videlicet coactos, vel Ecclesiam Matrem omninò periisse, vel filios ejus fidem publicè non fuisse professos, adeoque ea caruisse Nota, qua tanquam verè Ecclesiæ filii ab aliis cognosci & distingui potuissent & debuissent. Prius, quod extorquere conatur absurdum, Evangelicos non ferit, nunquam, & nullibi docentes, Ecclesiam omninò periisse, quam contra Inferorum portas ob summi Protectoris & capitis gratiosam & potentem omnipræsentiam ad Mundi finem iri conservatum è Promissionum veritate docti sunt & indubii. Hinc quicquid ex Augustino adfuit, contra adversæ partis *ducem & authorem* scribente : *Vndè Donatus adparuit, de qua terra germinavit, ex quo mari emersit, de quo Cælo cecidit*, &c. ad Evangelicos non pertinet ante, quàm eos Donatianæ hæreseos ostenderit participes, suæque partis adsectas ab ejusdem reatu absolverit, quicunque post Erbermannum defendere voluerit Bellarminum. Neque posterius Evangelicorum sententiam de Ecclesia per aliquot secula latente facit absurdam, nisi ejusdem absurditatis ream facere velimus Ecclesiam per tria priora post Christum secula latentem & ferè subterraneam. Latuerunt quidem Confessores hominibus, sed non Deo. *Confessores*, inquam, non muti & taciti, sed clamantes, publici Veritatis testes, ubi testimonium dicere & Veritatem profiteri fuerunt permissi; & ita quidem constantes, ut confessionem non uno genere cruciatuum, morte etiam variis ex ingenio persecutorum modis illatâ obsignarint, Martyres verè cruenti & sanguine proprio purpurati. De anterioribus seculis prostant non unius gentis Martyrologia, quanquam non unius fidei vel authoritatis. De posterioribus ipse Bellarminus, qua est ingenuitate, testatur, quod Inquisitores, sanguinarii certè, & non nisi crudelissima inferentes supplicia, *longo tempore ante Lutheri ætatem* fuerint in Ecclesia; hoc tantum miratus, quod non omnes Evangelicæ Veritatis Confessores in eorum manus inciderint truculentas, mirari destiturus, si ex ante-actis observasset, olim quoque multos Confessores persecutorum oculos fugisse, eum videlicet in modum, quo tempore Prophetarum maximè Eliæ non centum Prophetæ tantum, sed & septem millia Dei Trinunius cultorum Ahabo & conjugi Isabellæ, curiosissimis verò fidelium inquisitoribus & persecutoribus gravissimis ignorabantur, quibus nomen Confessorum denegare esset res omni ex parte indignissima. Nimirùm noluit vel tum, vel postmodum Deus omnes sui Nominis confessores in manus venire hostium, Martyriique coronâ ornari, ne videlicet in totum cœtus fidelium pereat, nemoque superstit Ecclesiæ verè Catholicæ filius, quam promissionibus egregiis fultam esse & niti, ex utriusque Testamenti oraculis scimus. Est autem insignis malitiæ, vel ut mollissimè dicam, inscitiæ argumentum, quod Bellarminus in Dilemmatis à se propositi tractatione non erubuit effutire, *Confessorum ante Lutheri tempora nullum esse vestigium, nullam exstare eorum hic vel ibi memoriam*, cùm solus testium Veritatis Catalogus & Memorabiles *Wolfii* Lectiones per sex & decem secula deductæ contrarium orbi verò Catholico ob oculos ponant, de quibus scriptis etsi injuriosè satis antehac judicaverit Antimartyres Papæi, hodie tamen Dei gratia per Bibliothecarum tam singularium, quam publicarum incrementa in eum res devenit statum, ut quæcunque testimonia dubiæ vel nullius etiam authoritatis videbantur, protractis in lucem documentis Authorum nunc supra omnem suspicionis statum posita videantur. Præterito quidem seculo jam fuerunt, qui ab adversaria parte Catalogos Catalogis opponere sunt donati,

contra Epist. Fund. c. 4.

Lib. III. de Bapt. c. 2.

donati,neque hoc seculum ita sterile videri voluit, ut non Indicibus publicis similes librorum titulos insereret, scriptoribus Antievangelicis in eo quoque operam collocantibus, ut *Catalogis testium Veritatis* superbire possint; quibus tamen non inspectis facilè licet divinare, talem esse eorum laborem, quo Authores tanquam minus necessario supersedere, tempusque studio utiliori impendere potuissent, nemine ex Evangelicis in dubium vocante, quod per aliquot secula plerique Doctores à Veritatis Evangelicæ via devii ea publicè docuerint & scripserint, quæ hodienum à Romanensibus doceri & defendi seriò dolemus, hoc tantum ostendentes, nunquam ita errores obtinuisse, ut non mediis in tenebris aliqui semper veritatis radii fuerint observati,quos Ecclesiam non omninò interiisse testatos adseveramus.

Ad *tertiam* nunc accedimus Notam, quæ à secundâ hac non adeo multum distat. Eam Bellarminus dicit esse *Durationem diuturnam nec unquam (hactenus) interceptam vel interrumpendam, cum Ecclesia dicatur Catholica, non solum quia semper fuit, sed & quia semper erit.* Quem verò ad modum hanc durationem perpetuam dicit esse Ecclesiæ verè Catholicæ notam, ita è contrario subintelligit, Ecclesiæ falsæ notam esse durationem minus diuturnam. Hunc in finem Augustini. utitur vel potius abutitur authoritate, in enarratione Psalmi post quinquagesimum septimi, vel juxta Ebræos octavi, verba, ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens, hunc in modum explicantis: *Non vos terreant fratres quidam fluvii, qui dicuntur torrentes. Hiemalibus aquis implentur. Nolite timere. Post paululum transit, decurrit aqua; ad tempus perstrepit, mox cessabit. Diu stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt. Cucurrerunt in rivis suis, quantum potuerunt; decurrerunt, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint.* At nihil in his verbis Augustinus habet de nota Ecclesiæ vel Veræ vel falsæ,qui tantum auditores suos solatur contra impetum sui temporis hæreticorum, ne minis eorum terreri nimirum se patiantur. Et quamvis dicat, *multas hæreses jam emortuas esse*, non tamen id de omnibus omnium temporum hæresibus dicit neque etiam dicere potuit,nisi sibimet ipsi contradicturus vel scripturus. Si enim, quæ alibi augustus Doctor de Ecclesia falsa Ecclesiæ verè Catholicæ opposita scripsit, diligenter perpendamus, eum hanc Ecclesiæ notam, quam Bellarminus hic exhibet, durationem videlicet perpetuam, pro Ecclesiæ verè Catholicæ notâ, quâ ab Ecclesiâ falsâ discerni possit & debeat, non agnovisse videbimus. Ita autem sanctus Pater in enarratione Psalmi post sexagesimum primi, vel secundum Ebræos secundi, ad verba, *Honorem meum cogitaverunt repellere*, de utriusque Ecclesiæ statu & duratione loquitur: *Una civitas & una civitas, unus populus & unus populus, Rex & Rex. Quid est una civitas & una civitas? Babylonia una, & Hierusalem una. Quibuslibet aliis etiam mysticis nominibus adpelletur, una tamen civitas & una civitas; illa Rege Diabolo, ista Rege Christo.* Et post aliqua: *Illa in terra quasi major est tempore, non sublimitate, non honore. Civitas illa prior nata, civitas ista posterior nata; illa enim incipit à Cain, hæc ab Abel. Hæc duo corpora sub duobus Regibus agentia, ad singulas civitates pertinentia, adversantur sibi usque in finem seculi, donec fiat ex commixtione separatio, & alii ponentur ad dextram, alii ad sinistram.* Iterum post multa: *Mala civitas ab initio usque in finem currit, & bona civitas mutatione malorum conditur; & sunt duæ civitates istæ interim permixta, in fine separandæ, adversus se invicem confligentes, una pro iniquitate, alterâ pro Justitiâ, una pro vanitate, altera pro Veritate.* Et quia totum de Civitate Dei opus hoc præprimis argumentum & prolixissimè quidem transeat, ideò operæ erit pretium, simile ex eo adscribere testimonium, ut constans sancti Doctoris & Patris augustissimi sententia eo manifestior evadat, quæ hunc in modum ibi exprimitur: *Genus humanum in duo genera distribuimus, unum eorum, qui secundum hominem, alterum eorum, qui secundum Deum vivunt, quas (vel quæ) etiam mysticè adpellamus civitates duas*, hoc est, *duas hominum societates, quarum est una, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo, altera æternum subire supplicium cum Diabolo. Sed iste finis est earum, nunc autem mihi adgrediendus videtur earum excursus, ex quo illi duo generare cœperunt, donec homines generare cessabunt. Hoc enim tempus universum sive seculum, in quo cedunt morientes succeduntque nascentes, istarum civitatum excursus est.* Ante etiam, quam operi huic manum admoveret Augustinus, ita hoc de argumento mentem suam proposuit: Duo *amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter privatus, alter communi consulens utilitati propter supernam societatem, alter etiam rem communem in propriam redigens potestatem propter arrogantem domi-*

lib.15.c.1.

lib. II. de Gen. ad lit. cap.15.

nationem; alter subditus, alter Deo æmulus; alter tranquillus; alter turbulentus; alter pacificus, alter seditiosus; alter veritatem laudibus errantium, præferens, alter quoquo modo laudis avidus; alter amicabilis, alter invidus; alter hoc volens proximo quod sibi, alter subjicere proximum sibi; alter propter utilitatem proximi regens proximum, alter propter suam; præcesserunt in Angelis, alter in bonis, alter in malis, & distinxerunt conditas in genere humano Civitates duas, sub admirabili & ineffabili providentia Dei, cuncta quæ creata sunt administrantis & ordinantis, alteram Iustorum, alteram injustorum, quarum etiam commixtione quadam temporali peragitur seculum, donec ultimo separentur judicio, & altera bonis Angelis conjuncta in Rege suo Vitam consequatur æternam, altera malis Angelis conjuncta in ignem cum Rege suo mittatur æternum. Et ne hæc doctioribus solùm præscripsisse videatur, similia & eadem ferè alibi simplicioribus etiam inculcavit, scribens: *Duæ civitates, una iniquorum, altera sanctorum, ab initio generis humani usque in finem seculorum perducuntur, nunc permixtæ corporibus, sed voluntatibus separatæ, in die Iudicii verò etiam corporibus separandæ.* Satis inde sufficienterque patet, quæ Augustini de hac Ecclesiæ Nota fuerit constans sententia, ut frustra fuerit Bellarminus, dum ea, quæ Augustinus de sui temporis hæreseon brevi duratione suis auditoribus pro consolatione inculcavit, ad omnes omnium temporum hæreses, omnemque Ecclesiam falsam, Augustino invitissimo traxit, mentem ejus apertissimè pervertens, quem Ecclesiæ falsæ eandem cum Ecclesiâ verâ in hoc seculo durationem adscripsisse, ex adductis manifestum est. Illud Augustini dictum, quod Bellarminus sub finem capitis de hac Nota agentis laudat, quia ad successionem Episcoporum provocat, de qua proximè in examine peculiaris Notæ sententia erit dicenda, eorsum reservatur.

de cath. rudibus c. 19.

Intercedit nunc Nota numero *quarta*, sistens amplitudinem sive multitudinem & varietatem credentium. Ut id ritè intelligatur, hæc statim explicationis loco subjungit: *Ecclesia enim verè Catholica non solum debet amplecti omnia tempora, sed & omnia loca, omnes Nationes, omnia hominum genera.* Addit præterea ex Augustino observanda duo, *primum* ex sexto capite libri de Unitate Ecclesiæ, *ut Ecclesia sit Catholica, inprimis requiri, ut non excludat ulla tempora, loca vel hominum genera*, utpotè *in quo distinguatur à synagoga, quæ fuerat Ecclesia particularis, non Catholica, adligata nimirum uni tempori, id est, usque ad Messiæ adventum, item uni loco, id est, templo Salomonis, extra quod non poterant sacrificare, & uni familiæ, id est, filiis Iacob.* Hæc uti audacter Augustino adscribit Bellarminus, ita si ipsum evolvas locum ab eo citatum, nihil his simile ibi invenies. Quamvis enim, quæ de ratione Catholicismi ac ejusdem denominatione hic leguntur, neque Augustino, neque Evangelicis sint contraria; tamen quæ de differentia Ecclesiæ Veteris Testamenti ab Ecclesia Novi addit, quasi hæc ab illa tanquam Catholica & universalis à particulari sit distinguenda, ac Ecclesia Veteris Testamenti ab omni elogio Catholicismi removeri debeat, nescio, an ex Augustino ostendi satis luculenter possit. Is certè locus, ad quem Bellarminus provocat, Catholicismum satis apertè eidem adscribit, verba Dei Abrahamo Patriarchæ multiplicationem posterorum, in quibus Ecclesia Veteris Testamenti fuit conservata, promittentis ita explicans: *Erit semen tuum sicut arena terræ, & multiplicabitur super Mare, & in Africam, & in Aquilonem, & in Orientem.* Post quæ Donatistas angulares ita adloquitur: *Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est, ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc semine benedici.* Ubi Doctor augustissimus expressè Ecclesiam utriusque Testamenti sub uno eodemque Catholicismi elogio comprehendit & conjungit, nullo autem modo separat vel sejungit. Clarius alibi hoc deduxit sanctus Pater, contra Porphyrium defendens universalitatem Viæ vel religionis Catholicæ, ad utriusque Testamenti fideles pertinentem: *Hæc est liberandorum credentium universalis via, de quâ fidelis Abraham divinum accepit Oraculum*, in semine tuo benedicentur omnes gentes. *Qui fuit quidem gente Chaldæus, sed ut talia perciperet promissa, quod ex illo propagaretur semen dispositum per Angelos in manu Mediatoris, in quo esset ista liberandæ animæ via universalis*, hoc est, *omnibus data gentibus; jussus est discedere de terra & de cognatione sua & de Domo Patris sui. Tunc ipse primitus à superstitionibus Chaldæorum liberatus unum verum Deum sequendo coluit, cui hoc etiam promittenti fideliter credidit.* Et post aliqua, in quibus varia de hujus viæ Catholicismo ex Prophetarum Oraculis collegit testimonia, hæc notanter subjunxit: *Via ergo ista non est unius gentis, sed universarum gentium, & lex verbumque Domini non in Sion & Hierusalem* remanen-

lib. 10. de Civ. Dei, cap. 32.

remansit, sed inde processit, ut se per universa diffunderet. Quæ ultima Augustini verba etsi ad Catholicismum Novi tantum Testamenti pertinere videantur, in antecedentibus tamen ita utriusque Ecclesiæ & religionis tanquam viæ universalis connexio ostenditur, ut idem elogium ad Augustini mentem neque Veteris Testamenti Ecclesiæ omninò denegari possit. Ut adeò falsum sit, quod Bellarminus, quasi ex Augustini sententiâ, scripsit, Ecclesiam Veteris Testamenti, quam dicit falsò particularem, adligatam fuisse *uni tempori, loco & familiæ,* cum utrobique in Novo & Veteri Testamento, doctore Augustino, eadem sit Via, & universalis quidem, id est, Catholica; id quod Bellarminus facile potuisset agnoscere, si quæ ex Dei Instituto fuit Veteris Testamenti Ecclesiæ, diverso tempore & loco, addo, & in familiis extra-Jacobæis, præsertim quoad Proselytorum conditionem status, ex Antiquitatibus Biblicis discere studuisset. Equidem diffiteri non possum, in *Ludovici Vivis* ad citatum caput Commentariis sequentia legi: *Hæc est pietas nostra, quæ ideo Catholica nominatur, quod non certo alicui populo tradita est, ut Iudaica, sed toti humano generi, nec ullum excludit, omnibus per hanc salvis esse licet, & sine hac nulli.* Et fatendum insuper est, citari hæc Verba hinc inde, quasi ipsius Augustini essent; cum ut monui, sint *Ludovici Vivis*, eruditissimi aliàs in Augustinum Commentatoris, qui tamen paris cum Augustino authoritatis non est, neque hic in parem cum eo censum venit. Sequitur nunc *secundum*, quod circa quartam Ecclesiæ Notam Bellarminus observandum monet ex Augustino, ejusque octogesima ad Hesychium Epistolâ, *Ecclesia ut sit Catholica, non requiri, ut sit in omnibus locis totius Mundi, sed tantum, ut innotescat omnibus Provinciis, & in omnibus fructificet, ita ut in omnibus Provinciis aliqui sint de Ecclesia.* Verùm & hic Bellarminum non usque adeò Augustinum ritè suis addixisse partibus, si non aliunde, certè ex argumento Epistolæ, quam laudavit, constare potest. Tractavit in ea non de Statu vel Notis, sed de fine Ecclesiæ militantis vel de die novissimo; in cujus argumenti explicatione prolixissima etsi quædam intermisceat, quæ ad illustrandum Ecclesiæ Catholicismum non impertinenter adduci posse videantur, nihil tamen omninò ibidem legitur, quod exinde ad particularem aliquam Ecclesiæ Notam ex amplitudine vel multitudine & varietate credentium, ut Bellarminus scribit, ostendendam referri jure queat, quamvis, quæ Bellarminus, quasi essent Augustini, & tanquam singulariter observanda, Lectori commendat, neque Augustino iterum, neque Evangelicis sint contraria, præprimis si *tertium* accedat, quod porrò ex *Driedone* ad uberiorem hujus Notæ intellectum Bellarminus observandum censet, nimirum *ad Ecclesiæ Catholicismum vel amplitudinem ejus demonstrandam non requiri, ut hoc fiat simul, ita ut uno tempore, in omnibus Provinciis, necessario esse oporteat aliquos fideles; satis enim esse, si fiat successivè.* Ex quo id sequi existimat, *quod si sola una Provincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Ecclesia Catholica, dummodo ostenderetur clarè, eam esse unam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore vel diversis in toto Mundo.* Ut enim non dicam vel prolixè urgeam, hac ratione Ecclesiæ Veteris Testamenti nomen & elogium Catholicismi nullo planè modo denegari posse, nisi diversum ei fundamentum Fidei non sine grandi absurdo adscribere velimus; Evangelici certè palmam circa Catholicismi verè ita dicti possessionem Papæis non solum juxta hanc observationem facient dubiam, sed & omninò eis præripient, utut invitissimis, eamque sibimet solis pertinaciter, quamvis contra jus omne & debitum adscribentibus. Tertiò quidem huic observationi obstare putat Bellarminus, *quod videatur per eam incidi in errorem Donatistarum, docentium Ecclesiam fuisse quidem in toto orbe, sed postea ex omnibus Provinciis periisse, & in sola mansisse Africâ, quos Augustinum* Concione in Psalmum centesimum & primum, vel juxta Ebræos secundum, secunda *reprehendere scribit*, addens, *Donatistas in duobus errasse*, primo, *quod vellent, Ecclesiam eo tempore in Africâ tantum fuisse, quo manifestè in toto adhuc Mundo fructificabat*; secundò, *quod suam in Africâ Ecclesiam non poterant continuare cum illa, quæ in toto fuerat orbe, &c.* Sed cum supra jam sæpius fuerit demonstratum, Evangelicis nihil omninò, quoad Donatistarum de Ecclesia in solo Africæ angulo latitante errorem sibi proprium, imputari posse aut debere; neque hic quidquam ex illatione Bellarminianâ eis accedit periculi, aut quoad Ecclesiæ Catholicismum vel jactatam amplitudinem detrimenti. Non enim Ecclesiam verè Catholicam ulli adscribimus angulo, dicentes, hic vel ibi est Christus tanquam caput cum suo corpore, id est, Ecclesia, utut non rarò incidisse tempora sciamus, quibus Ecclesia verè Catholica in arcto fuit, quor-

sum pertinet illustris Augustini locus paulò ante è Commentario in Psalmum centesimum & vigesimum octavum vel secundum Ebræos nonum laudatus, ubi de Ecclesiæ invisibilitate actum fuit, & ipse Bellarminus in tertia hac observatione ex *Driedone* agnoscere & fateri coactus fuit; neq; etiam deest nobis, quo minus nostrarum, ubiubi sunt, Ecclesiarum ab Ecclesiis Apostolicis derivationem & cum iis quoad fidei capita continuationem, ipsam videlicet Doctrinæ successionem ostendere possimus, quidquid etiam sit de successione locali & personali, cujus gloriam omni modo sinceram & interruptam, num Papæi verè sibi possint adscribere, & si id, num exindè veritas Doctrinæ tanquam ex singulari Nota possit agnosci, in proxime sequentibus videbitur. Nunc id breviter addimus, quod Bellarminus *quarto & ultimo* circa hanc Ecclesiæ Notam à se tanto-opere jactatam amplitudinem videlicet, sive multitudinem & varietatem credentium, quæ non parum cum elogio Catholicismi videtur convenire, observata dignum judicavit, *quod nimirum, etsi Ecclesia non necessariò debuerit simul esse in omnibus locis, hoc tempore tamen debeat necessariò vel esse vel fuisse in majori parte orbis terræ, quia omnium, hæreticorum quoque consensu Ecclesia jam senuerit, quæ, si in adolescentia & juventute sua non crevisset, vix nunc in senectute cresceret; oportere igitur, ut jam creverit atque occupaverit, si non totum orbem terrarum, at magnam certe partam.* Quid ad observationem hanc possit vel debeat responderi, ex antecedentibus manifestum satis est. Id solùm nunc sub censuram vocari debet, quod ad hujus illustrationem ex Augustini etiam authoritate porrò adducit, scribens: *Nostram Ecclesiam occupasse orbis partem maximam & esse verè Catholicam, ita probatur; nam tempore Apostolorum in toto Mundo fructificare cœpit, ut*
Coloss. 1. *Paulus testatur, item tempore Irenæi erat sparsa per totum orbem, id est, per omnes Provincias tunc cognitas, id quod ipse refert. Idem posteà refert de suo tempore Tertullianus, idem posteà Cyprianus, idem posteà Athanasius, idem posteà Chrysostomus, Hieronymus & Augustinus,* &c. Ego ad hæc præter alia tantum Bellarmini contradictionem nunc attendo, supra quoque, ubi de Antichristo nondum revelato agebatur, notatam, qui, ubi Antichristum in S. Literis descriptum adhuc nondum venisse probare voluit, inter Notas ejus & signa, ex quibus eum venisse possit constare, primo posuit loco universalem Evangelii in toto terrarum orbe prædicationem, quam Augustini tempore nondum fuisse factam, ex eodem loco demonstrare fuit conatus, ex quo hic Catholicismum & amplitudinem Ecclesiæ verè Catholicæ, Augustini etiam tempore manifestam ostendit, ante à se scriptorum quam-maximè immemor, & sibimet ipsi hac etiam ratione contradicens & scribens, quod hic iterato notandum fuit.

Succedit jam Nota ordine *quinta*, exhibens successionem Episcoporum in Ecclesia Romana deductam ab Apostolica usque ad tempora præsentia, quo argumento tanquam evidentissimo omnes Veteres ad Ecclesiam veram ostendendam usos esse scribit Bellarminus, exque eorum numero Augustinum quoque, eum in finem Pontifices Romanos enumerantem è Petro usque ad Anastasium, qui tunc sedebat, in ad *Generosum* Epistola post centesimam sexagesima & quinta; alibi etiam, videlicet in Psalmo contra partem Donati ita scribentem: *Numerata Sacerdotes vel ab ipsa sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ Inferorum portæ.* Accedit locus non semel hactenus ex oblata
contra Epist. Fund. c. 4. occasione examinatus, quo Doctor augustissimus se in Ecclesia inter alia etiam *successione Sacerdotum ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum* teneri scripsit; quorsum insuper pertinet testimonium, quod Bellarminus ad tertiam Ecclesiæ Notam retulit, quo idem sanctus Pater alibi scripsisse legitur: *Dubitabimus, nos illius Ecclesiæ condere gremio, quæ*
de Util. cred. c. 17. *ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustrà hæreticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit?* In genere circa hujus Notæ discussionem observari debet, quod ipse Bellarminus ad quartam objectionem secundò notari voluit, *Argumentum à successione legitima adferri præcipuè ad probandum, non esse Ecclesiam, ubi non sit successio; ex eo tamen non colligi necessario, ibi esse Ecclesiam, ubi sit successio.* Augustini authoritatem quod attinet, quem hic & ibi ad Episcoporum in Ecclesia successionem provocasse excitatis manifestum est testimoniis, eum tamen non tam neque solùm ad personalem & localem, quàm potius & inprimis ad doctrinalem respexisse succesionem, accuratior locorum à Bellarmino laudatorum inspectio & ponderatio nunc docebit. Et *primus* quidem ab Augustino ita conceptus est, ut non sub absolutâ, sed conditionata quadam significatione intelligi debeat. Verba autem,

quibus

quibus in citata ad Generosum Epistolâ usus est Augustinus, & quæ huc inprimis pertinent, hæc sunt: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait,* super hanc Petram &c. Data scilicet opera Bellarminus & singulari studio hæc Augustini verba citare omisit, ne fraus pateret ac nullitas hujus suæ demonstrationis manifesta fieret. Nimirum ad hominem disputavit Augustinus, ostendens, si Donatistæ hoc argumento uti & gloria successionis Episcoporum superbire vellent, tunc paratam sibi & verè Catholicis esse victoriam, qui tum cum sede Romanâ communicabant, ob successionem videlicet Episcoporum sibi invicem ibi à Petro succedentium, ipsis Donatistis non negandam, utut inter tot Episcopos, qui ad illud tempus sedem Romanam occuparant, nullum Donatistam invenire & nominare potuerint. De cœtero hoc Augustinum primariò non attendisse, ipse in cursu Epistolæ satis clarè ostendit, notanter scribens, *Nos non tam de istis documentis præsumimus, quàm de scripturis sanctis, ubi hæreditas Christi usque ad terminos terræ promissa est in omnibus gentibus.* De secundo Augustini testimonio ex Psalmo ejus contra partem Donati desumto supra jam aliquid dictum fuit, ubi de Petra Ecclesiæ mentem ejus ex non uno locorum studiosè investigavimus. Nunc illud solum addere necessum est, inde præprimis patere, sanctum Patrem non tam localem & personalem, quàm doctrinalem hic etiam attendisse successionem, quia ad eam provocavit promissionem, quæ non locum & personam, sed ipsum Ecclesiæ corpus respexit, ut ex citatis ibidem pluribus testimoniis manifestum est. Quoad *tertium* ejusdem augusti Doctoris locum valde vexatum & non semel hactenus tractatum illud insuper notari debet, quod sicut loco Motivi cum aliis pluribus contra Manichæos non impertinenter successio Episcoporum ab Augustino fuit commendata, qua se in Ecclesiæ gremio teneri, ne ad Manichæos redeat, falsus est; ita eum suo adhuc tempore ad hanc Episcoporum successionem potuisse contra eosdem provocare, utpote melius longe, quam hodie post duodecim ex hinc secula florentem, utut nec hujus per se gloriam Augustinus se quæsiturum ingenuè agnoverit, si veritatis elogio quidquam apud pertinacissimos antagonistas impetrare potuisset, suæque communionis statum ipsis commendabilem reddere. Idem ferè dici debet ad *quartum* sancti Patris testimonium, quo contra eosdem hæreticos successione Episcoporum se munivit, nulla certè alia ratione, quam qua in antecedentibus eum observavimus adversarios ex propriis q. & domesticis argumentationibus & principiis convincentem. Vidit id, quod proximè diximus, & prævidit Bellarminus, dum hanc *quintò* adjecit objectionem, Veteres Patres, interque eos Augustinum, qui ostendunt, Ecclesiam ex successione Pontificium, id facere, *quia illis temporibus constabat, non fuisse mutatam Fidem & religionem in Ecclesia Romana; at nunc contrarium constare.* Sollicitus hinc etiam fuit, ut objectioni huic satis posset facere, Dilemma iterum proponens & reponens: *Vel intelligi, constitisse eo tempore Catholicis tantum, vel Catholicis & hæreticis simul, quod in Romana Ecclesia nondum esset mutata religio. Si primum adsumatur, nihil dici; nam hoc tempore etiam constare Catholicis, non esse in Romana Ecclesia mutatam religionem. Si secundum adseratur, apertum committi mendacium; nullos enim fuisse hæreticos, si semper omnes putassent, in Romana Ecclesia esse veram fidem.* Sed ut Dilemmatis hujus futilitatem nemini non conspicuam mittamus, operæ pretium erit videre, quid ad ejus confirmationem ex Augustini promtuario conferat, hæc ejus contra Petilianum Donatistam verba proferens: *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in quâ nunc Anastasius sedet? cur Cathedram Apostolicam adpellas cathedram pestilentiæ?* Ubi notandum est, omittere Bellarminum in hujus testimonii citatione aliquid, quod si non omisisset, ad suas partes testimonium trahere non potuisset. Integer autem textus ita habet: *Si omnes per totum orbem* Ecclesiæ vel Cathedræ *tales essent, quales vanissimè criminaris, Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in quâ Petrus sedit, & in qua hodiè Anastasius sedet; vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in quâ Iacobus sedit, & in quâ hodiè Iohannes sedet, quibus nos in Catholicâ unitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis?* Latere voluit Lectorem Bellarminus, quod Augustinus Ecclesiæ Hierosolymitanæ idem elogium cum Romana quoad successionem Episcopalem attribuit, ac utrique in unitate Catholica se connecti professus est, quod non nisi ob successionem doctrinalem credere par est factum esse. Addamus ex eodem loco sequentia, quæ ad alia porrò observanda manu quasi nos ducent. Ita autem in proximè sequentibus Petilianum Donatistam

lib.II. contra liter. Petil. c.51.

tistam porrò adloquitur sanctus Pater: *Quare Cathedram Apostolicam adpellas cathedram pestilentiæ? Si propter homines, quos putas Legem loqui & non facere, numquid Dominus Iesus Christus propter Pharisæos, de quibus ait,* dicant & non faciunt, *Cathedræ, in qua sedebant, ullam fecit injuriam? Nonne illam Mosis cathedram commendavit, & illos servato cathedræ honore redarguit? Ait enim,* Cathedram Mosis sedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. *Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, Cathedram blasphemaretis Apostolicam, cui non communicatis.* Non repeto hic, quæ sæpius jam inculcavi, nullum omninò Evangelicis cum Donatistarum erroribus, contra quos egit Augustinus, esse commercium, adeoque nullo planè modo ea, quæ augustus Doctor iis opposuit, nobis officere; ea tantum nunc addo, quæ idem alibi ad laudata Christi contra Pharisæos verba notavit, scribens: *Audite mercenarios ab ipso Domino demonstratos.* Scribæ & Pharisæi, *inquit,* super Cathedram Mosis sedent; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. *Quid aliud dixit, nisi per mercenarios vocem Pastoris audite; sedendo enim super Cathedram Mosis legem Dei docent, ergo per illos Deus docet.* Videntur hæc quidem in rem esse Papæorum, ac Cathedræ Romanensis authoritati non parum inservire. Sed si sequentia perpendamus, mutanda erit sententia, Augustino hæc subnectente: *Sua verò illi si velint docere, nolite audire, nolite facere; certè enim tales sua quærunt, non quæ Iesu Christi.* Quem ergo ad modum ex Augustini sententia Christus suo tempore Judæos ad Pharisæos in Cathedra Mosis sedentes ablegavit, mandans, ut eos audirent iisque obtemperarent, quando Dei legem docerent & populo ritè explicarent, secus, si sua, id est, vel Patrum vel proprias traditiones proponerent, nullo tum modo audiendi, tanquam non Christi, sed sua & propriam quærentes gloriam; ita quamvis suo adhuc tempore Augustinus & cæteri tum Ecclesiæ Doctores cum suis auditoribus quoad fidei doctrinam in unitate Catholica cum Ecclesia Romanensi, non quidem solâ, sed & aliis, nominatim & in specie Hierosolymitanâ, (de cæteris supra vidimus) connectebantur, eosque partim pro hæreticis, partim pro schismaticis habebant, qui ab hac unione Ecclesiastica (de qua proximè pluribus videbitur) separati singulares facerent cœtus, ac corpus Ecclesiasticum eomet ipso miserrimè lacerarent, esse tamen debet indubium, si Augustino hodie Romanensis Ecclesiæ faciem & statum accuratius contemplari concederetur, ac videre, quantum à se duodecim seculorum intervallo esset mutata, aliter longe eum de ea judicaturum, & sepositâ successione personali & locali, quæ tamen non unis deformata conspicitur Lacunis, plus respecturum ad successionem doctrinalem, atque æstimaturum majoris eam Ecclesiæ Notam, quæ ab eo alias tam insignibus elogiis fuit commendata, scripturarum dico sacrarum harmoniam & consensum, quas tum quoque certum est ad Augustini mentem prævalere, cum Bellarminus porro nunc ad *sextam* provocat Ecclesiæ Notam, quam esse dicit conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua. *Vera enim Ecclesia dicitur Apostolica,* inquit, *non solum propter successionem Episcoporum ab Apostolis, sed etiam propter doctrinæ consanguinitatem, quia videlicet doctrinam retinet, quam Apostoli tradiderunt.* Benè hæc & ad sententiam non Tertulliani solùm, quem laudat, sed & Evangelicorum, quos in hoc etiam puncto Augustini vestigia premere, ex antecedentibus claret. Quæ autem subjungit Bellarminus ad uberiorem hujus Notæ illustrationem, non æquè probari possunt, cùm à prioribus longissimè abeant. Id nunc solum observo, Bellarminum entia præter necessitatem multiplicare, dum sicut peculiarem paulò ante Notam dixit esse amplitudinem sive multitudinem & varietatem credentium, quam sub Catholicissimi Nota comprehendere potuisset, eam non-nisi per verum ejus sensum explicans; ita hic quoque peculiarem Notam constituit conspirationem cum Ecclesia antiqua, quæ tamen nihil aliud, quam ipsam exhibet antiquitatem, supra jam examini subjectam, ubi ex Augustini testimoniis à Gratiano collectis ostensum fuit, quid de antiquis consuetudinibus, ad quas Papæi Doctores non rarò provocare solent, haberi debeat. Addo, quia Bellarminus pro certo haberi vult, *antiquam Ecclesiam primis quingentis annis veram fuisse Ecclesiam, & proinde Apostolicam retinuisse doctrinam,* quid Augustinus statuerit circa authoritatem Ecclesiæ Doctorum, ex quo idem Gratianus sequens testimonium Juri Canonico inseruit: *Quis nesciat, sacram scripturam Canonicam tam Veteris quam Novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omninò dubitari & disceptari non possit, utrum verum vel utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit;*

Tract. 46. in Joh.

conf. supra lib. III. de verbo Dei, cap. 3. & seqq.

vid. Vindic. Evang. Thomist. sect. IV. cap. 10.

distinct. 9. c. quis nesciat.

Episco-

Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem authoritatem doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à Veritate deviatum est. Alia lubens & brevitatis causâ prætereo hujus sancti Patris testimonia, quæ vel *Gratianus* collegit, vel supra jam ad scripturæ authoritatem demonstrandam sunt adducta, quibus non tantum sibimet ipsi, sed quibusvis etiam scriptoribus aliis hanc detraxit authoritatem, ad solam scripturæ Prophetico-Apostolicæ antiquitatem semper provocans, inque ejusdem solius authoritate spem victoriæ contra omnes fidei & veritatis hostes collocans. In hoc dum Augustino consentimus, nihili ducimus, quidquid Bellarminus ad qualemcunque antiquitatem & exinde authoritatem Romanensi Ecclesiæ & in ea doctrinæ conciliandam, omnemque Ecclesiis & in iis doctrinæ Evangelicorum omnibus modis denegandam prolixissimè adducit, sibi & suis non Musis canens, atque cum variis hæreticorum larvis pugnans, quibuscum Evangelicis in aperta luce per Dei gratiam versantibus nihil unquam fuit commercii, aut erit. Facillimum esset ex jure talionis agere, & ex solo Augustini de hæresibus libello ostendere, si antiquæ hæreses, quod suum est, ex Ecclesia Romanensi auferrent, parum in eâ relictum iri; nisi id dudum ab aliis præstitum esset, justo nominatim Commentario *de Apostasia Ecclesiæ* Romanensis à Theologo celebri *Nicol. Hunnio*, quam à suis partibus removere, innocentiamque causæ contra graves hasce adcusationes testari hactenus nondum potuerunt, quorum inter-omninò-fuit, ne tot hæresiarcharum filii & successores videantur, quos aliàs in scriptis non-nisi gravissimè detestari solent.

vid. D. Gerh. de Eccles. num. 207. seqq. conf. D. Dannh. Hodom. Phant. II. pag. 495. seqq.

Ad *septimam* nunc Ecclesiæ Notam nos vocat Bellarminus, unionem videlicet membrorum & cum Capite & inter se. Illam dicit subjectionem, hanc verò Concordiam. Utramque Ecclesiæ notam esse, ex Augustino contendit. Multa iterum hic observanda essent, nisi ratio Instituti solius Augustini authoritatem attendere nos juberet. Videamus ergo, num aliquid novi ex eo Bellarminus adferat, & quid sanctus Doctor de utraque hac unione statuerit. Et primam quidem, videlicet unionem membrorum cum Capite, duobus augusti Patris probare tentat testimoniis, quorum prius desumtum est ex secunda post centesimam & sexagesimam Epistola, in qua de Cœciliano, Ecclesiæ Carthaginensis Episcopo, contra quem, utut innocentem, Donatistæ plurimos concitarunt motus, sequentia Augustinus scripsit, causam ejus non parum adjutura: *Posset non curare conspirantem inimicorum multitudinem, cum se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, per communicatorias literas esse conjunctum.* Ita quidem Bellarminus citat Augusti verba. Sed si ipsum Augustini locum, unde ea Bellarminus citavit, evolvamus, cur citantis fidem quam-maximè iterùm desideremus, in manifesto habebimus. Prolixè is suprà occasione oblata fuit productus & vindicatus, ubi de Regimine Pontificis Romani Monarchico fuit agendum. Nunc ad ea tantum est respiciendum, quæ huc propriè videntur pertinere. Ita autem verba Augustini integra habent: *Posset non curare conspirantem inimicorum multitudinem, cum se videret* ET *Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus*, ET cæteris terris, undè Evangelium ad ipsam venit Africam, *per communicatorias literas esse conjunctum, ubi paratus esset suam dicere causam, si adversarii ab eo illas alienare conarentur Ecclesias.* Ut fraus mutilatæ citationis à Bellarmino factæ eo apertior sit, notandum est, Bellarminum in se susceptisse demonstrandum, apud Veteres semper fuisse habitam pro notâ veræ Ecclesiæ conjunctionem cum Romano Pontifice. Id ut probet, præter *Irenæi, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, optati Milevitani*, ad præscriptum quoque Augustini testimonium provocat, sed ita, ut id minus sincerè omittat, quod suæ demonstrationi obfuturum prævidit. Videlicet, mentionem Romanæ sedis & Cathedræ facit quidem Augustinus, ei inter Cathedras, quæ tum adhuc non incognitis de causis dicebantur Apostolicæ, aliquem adscribens Principatum, quamvis non Monarchicum, ut loco proximè citato prolixius fuit ostensum; sed non hujus solum meminit, sed aliarum quoque terrarum, in quibus itidem Apostolicæ tum adhuc Cathedræ floruerunt, deque eis post Tertullianum æquè ac de Romanâ testatas, quod Evangelium indè ad ipsam venerit Africam, nec de Romana solùm, sed de cæteris etiam significans,

quod Cœcilianus, Ecclesiæ Carthaginensis Episcopus, cujus causam ipse Augustinus contra Donatistarum calumnias & criminationes defenderat, non pro se solùm, sed & pro Ecclesia, cui præfuerat, (id quod de reliquis etiam in Africa Ecclesiis, earumque Episcopis adhuc orthodoxis, atque adeò de Augustino etiam & Ecclesiis eidem commissis intelligi debet) per literas, quæ ad differentiam aliarum communicatoriæ dicebantur, iis fuerit conjunctus, id est cum iis in unitate vixerit Catholica, quam Cypriano aliàs non semel nec sine laude, contra eosdem Donatistas agens adscripsit. Egit de antiquo Epistolarum Ecclesiasticarum genere, ut hoc obiter inseram, antehac ex professo & peculiari Commentario *Bernardinus Ferrarius*, Collegii Mediolanensis Ambrosiani Doctor, libri primi capite septimo has in specie literas evolvens *Communicatorias*, sed ita, ut juxta methodum Bellarmini Ecclesiæ Romanensi exinde aliquam adscribere possit Prærogativam, id quod ad reliqua etiam Epistolarum genera primariò attendi voluit, nec per rationem status, in quo vixit, aliter potuit. Prodidit suum hoc Institutum eo præprimis, dum de harum Epistolarum formâ agens, illud signum observatu dignum existimavit, quo signatas & singulariter notatas scribit Epistolas literis Π. Υ. Α. Π. indicans, tres priores literas fuisse adhibitas ad significandum SS. Trin-unitatis Mysterium in persona Patris, Filii & Spiritus S. contra nefandos Arii & aliorum ejus generis hæreticorum errores; iis verò additam esse quartam, videlicet personam Petri Apostolorum principis exprimentem, eum in finem, *ut ille demum verè Catholicus esse probaretur, qui ejus successori communione esset conjunctus, is verè hæreticus atq; schismaticus, cui Romanæ sedis communicatio denegaretur*. Scripsit hæc Doctor hic Ambrosianus Anno hujus seculi post decimum secundo, seductus sine dubio ab iis, qui ad stabiliendam Petri & successorum ejus authoritatem quævis etiam impertinentissima soliti sunt corradere & compilare, sed post maturiori accedente judicio, ut videtur, pœnitentiâ ductus, quæ imprudenter aliis persuadere est conatus, non obscurè retractavit in posteriori *de ritu sacrarum Concionum* Tractatu, qui intervallo Annorum quinquaginta & quod excedit, nuper demum Parisiis prodiit, nescio an primùm excusus, an verò recusus in quo prioris quidem de antiquo Epistolarum genere scripti non immemor, præscriptas tamen Græcorum literas, nullâ prorsus Petri mentione factâ, non nisi de divinis tribus Personis, explicavit, id quod hac occasione prætermitti non debuit. Nunc ad laudarum à Bellarmino testimonium Augustini prius, ex cujus integra citatione satis est apertum, non tantum minus sincerè illud fuisse à Bellarmino adductum, sed & si integrè consideretur, nulla ratione ad id probandum pertinere, cujus gratiâ Lectorum oculis in Augustino non ita versatis ad fallendum fuit propositum. *Posteriori* testimonio Augustinus juxta Bellarmini adlegationem Donatistas ita adfatur: *Venite fratres, si vultis, ut inseramini in vite. Dolor est, cum vos videamus præcisos ita jacere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede; in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ Inferorum portæ.* Quod duplex illud elogium quo Romanam sedem Augustinus mactare videtur, attinet, dum ei successionem & Petræ firmitatem adscribit, & supra & paulò ante de utroque actum est. Id nunc tantum est super, ut videamus, num Augustinus de necessitate insitionis in vite agens, ad Pontificem Romanum, & non potius ad Christum, ex ipsâ Christi doctrina tanquam Vitem veram respexerit, eidemque Donatistas ob periculosissimum schisma præcisos iterum inseri optaverit. Explicavit hanc mentem suam in proximè antecedentibus, Donatistas sequentem in modum adlocutus: *Scitis, Catholica quid sit*, nimirum Ecclesia, *& quid sit præcisum* (esse) *à vite. Si qui sunt inter vos cauti, veniant, vivant in radice; ante quam nimis arescant. jam liberentur ab igne.* Posito, habuerit suo tempore Augustinus aliquem Romæ respectum, non parvi æstimans successionem Episcoporum eousque sine notabili intervallo continuatam; non alia tamen ratione factum id est, quàm quia sedes Romana in doctrina Petri tunc adhuc firma perstitit, eumque aliis Ecclesiis in Unitate Fidei conjuncta vixit, Christoque viti per fidem insita; à quo tempore ad præsens tempus argumentari, ejus Apostasiæ ratio, cujus ad præcedentem Notam mentio est facta, nullo planè modo permittit. Quoad *secundum* verò hujus Notæ partem, videlicet unionem membrorum inter, ad quam omnibus modis commendandam Bellarminus præter rem tot ex Augustino documenta collegit, inprimis ex illustri opere ejus de Civitate Dei, cùm & Evangelici pro re singulari & planè divinâ agnoscant cum Augustino, *quod authores in quibus non frustra sacrarum literarum figitur & terminatur Canon, nulla ratione inter se dis-*

vid. lib. 1. cap. 5.

vid. lib. 1. cap. 11.

Psalmo contra partem Donati,

lib. 18. de Civ. Dei, cap. 41.

se dissentiant, ut alia plura prolixè hic non repetam; illud tamen præprimis venit attendendum, non esse hanc membrorum Ecclesiæ militantis inter se unionem ita ex omni parte perfectam omnibusque numeris absolutam, ut non aliquæ scissiones & controversiæ intercedant. Notanter hanc in rem eodem in opere Augustinus: *Pugnant inter se mali & mali, item pugnant inter se boni & mali; boni verò & boni si sunt perfecti, inter se pugnare non possunt. Proficientes autem nondumq; perfecti ita possunt, ut bonus quisq; ex ea parte pugnet contra alterum, quâ etiam contra semet ipsum. Et in uno homine caro concupiscit adversus Spiritum & Spiritus adversus carnem. Concupiscentia ergo spiritalis contra alterius potest pugnare carnalem, vel concupiscentia carnalis contra alterius spiritalem, sicut inter se pugnant boni & mali; vel certe ipsæ carnales concupiscentiæ inter se duorum bonorum, nondum utiq; perfectorum, sicut inter se pugnant, mali & mali, donec eorum, qui curantur, ad ultimam victoriam sanitas perducatur.* lib. 15. c. 5.
Fiat hujus testimonii ad præsens Institutum adplicatio, & quid de hac Nota statuendum sit, non adeò difficulter patebit.

Ad *octavam* nunc Ecclesiæ Notam si deveniatur, quam Bellarminus esse dicit doctrinæ sanctitatem, illustri testimonio Augustini confirmatam, Evangelicos sibi adversarios non habet, ad Augustini verba omni ratione provocantes: *Nihil eis turpe ac flagitiosum spectandum imitandumq; proponitur, ubi veri Dei aut præcepta instituantur, aut Miracula narrantur, aut Dona laudantur, aut Beneficia postulantur.* lib. 11. de Civ. Dei, cap. 28. Ex quibus verbis augustissimi Doctoris simul patet, quo fundamento prætensa doctrinæ sanctitas inprimis niti debeat, nimirum Dei, non hominum præceptis aut traditionibus, id quod in proxime antecedentibus ita confirmavit: *Populi confluunt ad Ecclesias capta celebritate, honesta utriusque sexus discretione, ubi audiunt, quam benè hic ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam beati semperq; vivere mereantur; ubi sanctâ scripturâ Iustitiaq; doctrinâ de superiore loco in conspectu omnium personante, & qui faciunt, audiant ad præmium, & qui non faciunt, audiant ad Iudicium.* Quorsum pertinent, quæ supra novis gentilium inventionibus opposuit: Quis *in agenda vita, non ea sibi potius sectanda arbitraretur, quæ actitantur Ludis divina authoritate institutis, quàm ea quæ scriptitantur legibus humano consilio promulgatis?* Ibid. cap. 8. Nimirum ut doctrinæ sanctitas à falsâ veram discernat Ecclesiam, opus est, ut inde derivetur, unde non nisi sancta depromi possunt, ubi ipsum Dei sanctuarium esse est indubium. Et hactenus Evangelici rectè docent, dum Ecclesiæ veritatem è doctrinâ sacræ scripturæ solum demonstrari cupiunt, humanam seponentes authoritatem. Ut adeò circa hanc Notam prolixius versari opus non sit.

Nona ergo sequitur Notæ, doctrinæ videlicet efficacia, quam ad Apostolorum tempora & usurpatam iis methodum convertendi infideles Bellarminus respiciens, sequentibus Augustini verbis commendavit, hic uberius aliquanto laudandis: *Christus ineruditos liberalibus disciplinis & omnino, quantum ad istorum* (Philosophorum gentilium) *doctrinas attinet, impolitos, non peritos Grammatica, non armatos Dialecticâ, non Rhetoricâ inflatos, piscatores cum retibus fidei ad mare hujus seculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, & tanto mirabiliores, quanto rariores, ipsos etiam cepit Philosophos.* lib. 22. de Civ. Dei, cap. 5. Conferat jam Bellarminus, vel cuicunque Romanensis Ecclesiæ partes defendere libuerit, hanc methodum convertendi gentiles Apostolicam, ab Augustino non eleganter minus, quam verè descriptam, vel cum methodo à Luthero & fidelibus Parastatis ante hoc sesqui-seculum ad restaurandam Evangelicæ prædicationis veritatem restituendamq; pristino nitori faciem Ecclesiæ adhibita; vel cum methodo modernorum hodiè Apostolorum, ut à suis indebitâ cum laude audiunt, ad readsumendam gentilium conversionem, maria & terras, non sine singularis zeli & animarum lucri jactatione, obambulantium & circumcursitantium, prout *Acosta*, ipse non ultimus eorum vel minimus, eam satis apertè & ingenuè descripsit, & judicet, at sincerè & incorruptè, nulloque in favorem suorum occupatus præjudicio, utinam major adpareat convenientia, plusque Apostolici spiritus, id est, quænam doctrina, remotis omnibus mediis, quæ humanam sapiunt inventionem, sapientiam pariter & potentiam, majori efficacia & virtute animos hominum penetraverit eorumque conscientias ita convicerit, ut non potuerint non manus dare, seque prædicationi, cui nihil opponi potuit, submittere; nullum certe erit dubium, quia Lutherano-Evangelici reformatores præ Apostolis Indiarum sint obtenturi, utut hi semper more Pharisæorum ob externam incurrentemque in oculos speciem prævidis majori adplau-

adplausu à semetipsis digni videantur. Post alias plures edita est paucos ante annos *Historica Narratio de Initio & progressu Missionis Societatis Iesu apud Chinenses, ac præsertim in Regia Pequinensi, ex literis Iohannis Adami Schall, ex eâdem Societati, supremi ac Regii Mathematum Tribunalis ibidem Præsidis.* Sed præter Astronomicas inventiones quasdam, Europæis utplurimum tritissimas, nihil planè ibi notatu dignum legitur, nihil quod genium referat Apostolicum, nisi hic & ibi occurrentibus quibusdam superstitionibus, huic hominum generi non insolitis, singulare quid velis adscribere, quas tamen sub elogio exempli prædicationis Apostolicæ Lectori commendare, esset simplicitate & patientia ejus abuti. Ego hic iterum nisi illud addo nihil, permittant, qui gloriam Apostolicæ ad convertendum homines methodi sibimet ipsis & solis adscribere solent, Evangelicis ea methodo, qua Apostoli, teste sancto Doctore & Patre augustissimo, ipsos etiam Philosophos ad Christum adduxerunt, in ejus Evangelii prædicatione progredi, quod Apostoli omnibus sub sole populis ex mandato Christi adnuntiarunt; removeant obicem, quem hactenus & prædicatoribus, ne liberè & ubivis loquantur, & auditoribus, ne Veritatem ad aures & animum admittant, intercedentibus armis non spiritualibus, sed carnalibus posuerunt; tollant impedimenta, quibus sine numero animas pretioso Christi sanguine redemtas à Viâ salutis æternæ prohibuerunt, inque non unius generis à via præsentissimumque æternæ damnationis periculum reduxerunt; abstineant à vi & vinculis, quibus sine exemplo Apostolorum corpora hominum constringunt, ne animus libertate Evangelicâ possit gaudere; verbo, sint vel ipsi imitatores Apostolorum, vel alios eorum vestigia premere non impediant, & nihil erit super, quàm ut in mensâ solis videant expositam prædicationis Evangelicæ virtutem & efficaciam, inter tot obices etiam atque impedimenta non adeò obscuram, ut non oculos eorum sufficienter satis illustrare possit, qui in mero die non cœcutiunt, aut singulari studio oculos non claudunt, ne veritatis salvificæ radii ulla ratione ad animum penetrent, sibimet ipsis media ad finem eumque optimum subtrahentes.

Ad *decimam* nunc ut deveniamus Notam, dicit eam Bellarminus esse sanctitatem vitæ, non omnium quidem, qui suæ Ecclesiæ nomina adscripserunt, sed in specie Authorum sive primorum religionis Patrum, addita hac explicatione, *quod Ecclesia vera non solum habeat doctrinam sanctam, & efficacem, sed & Doctores sanctos.* Nolo autem rigorosius urgere, quod in explicatione hujus Notæ, quæ in sequentibus uberior est, non sine causa posset desiderari; illud saltem noto, si per Authores & Doctores eosdem intelligit, quos & Magistros dicit, ac in specie nominat Patriarchas, Prophetas, Apostolos, nobis iterum hæc non opponi, utut præprimis ad verum veræ Religionis Authorem, sanctissimum videlicet Deum, respici debere consultius ducamus, cujus voluntate de cultus sui ratione per verbi revelationem cognita postmodum non negligimus aut insuper habemus, sed magni omninò æstimamus laudandæ eorum sanctitatis exempla, per quos tanquam Magistros olim & nunc Deus voluntatem suam hominibus patefecit, è quorum numero nullo etiam modo, suo tamen ordine, excluſos volumus eos Ecclesiæ Doctores, qui proximis ab Apostolorum tempore seculis hic & ibi vitæ etiam sanctitate conspicui vixerunt, quos tanquam Patres sanctos debito cultu veneramur, Augustini verba, quæ Bellarminus ad illustrandum hoc sanctitatis elogium laudavit, nostra etiam facientes. *Isti Episcopi sunt, docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, invenire non potes, quod spernas. Hi Catholicam Fidem in lacte suxerunt, in cibo sumserunt, ejus lac & cibum parvis magnisque ministraverunt, ac contra inimicos apertissimè & fortissimè defenderunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit.* De cætero, quia laudati Ecclesiarum Doctores & Magistri nihil à se humani alienum existimarunt nullam sibimet ipsis perfectæ sanctitatis laudem adscribentes, multò minus eam inter Notas & signa Ecclesiæ ponentes, unde veritas ejus possit & debeat cognosci, & nihilo tamen minus Papæi hoc elogium sibi suisque adtribuunt, omnesque alios à se diversos pluribus modis tanquam omnibus peccatis deditos impudentissimè criminantur, Bellarmino hic scribente, *inter hæreticos nullum esse bonum*; ideò perplacet, quod Augustinus suis quondam Hipponentibus graviter ad animum vocavit: *Ecce, docuit vos Deus, ut qui gloriatur, in Domino glorietur, nec objiciatis hæreticis, nisi quia non sunt Catholici; ne similes eis sitis, qui non habendo, quod in causâ suæ divisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere adse-*

Epist. 137.

adfectant, & ea ipsa plura falsissima jactant, ut, quia ipsam scripturæ divinæ Veritatem, quâ ubique diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines, per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit, possunt. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audivistis, & in illo docti estis; Ipse quippè fideles suos fecit securos etiam de malis dispensatoribus mala sua facientibus & bona ejus loquentibus, ubi ait: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim & non faciunt.

Ea nunc & quidem numero & ordine post decimam prima succedit Nota, circa cujus examen etsi Augustinus noster est totus, quia tamen ab adversariis etiam in suas partes trahi solet, prolixius aliquanto vindicandus. Exhibet ea *gloriam Miraculorum*, ex quibus tanquam necessariis & sufficientibus signis non solum in genere Veritatem Ecclesiæ vult agnosci Bellarminus, sed & demonstrare se posse existimat, Ecclesiam Romanensem ob jactationem miraculorum esse veram, Evangelicorum verò ob eorundem defectum esse falsam. Dixi, & adhuc semel dico & scribo, Augustinum hic plane nostrum esse. Ne autem id largiatur & concedat Bellarminus, varia ex eo colligit testimonia, quibus eum ad suas trahere partes conatur. *Primum* est, quo Miraculorum necessitatem ad novam Fidem vel extraordinariam missionem persuadendam probare conatus fuit, Augustino scribente, *Miracula fuisse necessaria, ut Mundus crederet.* Atqui in hujus testimonii citatione duplex crimen falsi commisit Bellarminus, eoque & Doctori sancto & Lectori Veritatis cupido insignem intulit injuriam, illi, mentem alienam adfingens, hunc augusti Patris authoritate seducens aut seducere satagens. In Vindiciis quidem *Anti-Ottonianis* prolixè hoc Testimonium fuit vindicatum, nec quidquam hactenus à parte adversaria oppositum. Sed ne his quoque Vindiciis quidquam desit, hic etiam venit ostendendum, quam perverse Bellarminus cum Augustino egerit, & quàm periculosum aliis exemplum præbuerit, qui in Controversiis hodiè tractandis vitula ejus, tanquam omnis polemicæ eruditionis promi & condi, utplurimum arare solent, errores etiam fideliter exscribentes, ne ab Antecessoris via ullo planè modo declinasse videantur. Ut duplex hoc crimen falsi Lector orthodoxiæ studiosus videat; integer Augustini textus citari debet. Proponit autem is sub initium capitis aliquam gentilium, quibusdam ipsi res fuit, objectionem: *Cur inquiunt, nunc illa Miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt?* Respondet partim indirectè, partim directè. Indirectè respondet verbis sequentibus: *Possem quidem dicere, necessaria fuisse prius, quàm crederet Mundus, ad hoc ut crederet mundus.* Sequitur egregium quid, quo Augustinus modernorum postulata uno quasi ictu prostravit: *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Et ut perversam eorum mentem ostendat, quibus hic respondet, pro uberiori eorum convictione sequentia subjicit: *Verùm hoc ideò dicunt, ut nec tunc illa Miracula facta fuisse credantur, Vnde ergò tantâ fide Christus usquequaque cantatur in Cœlum cum carne sublatus? unde temporibus eruditis & omne, quod fieri non potest, respuentibus sine ullis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit Mundus? An fortè credibilia fuisse, & ideò credita fuisse dicturi sunt? Cur ergo ipsi non credunt?* Quot verba, tot Augustini contra iniquos postulatores argumenta, hodienum utiliter contra importunos exactores adhibenda. Sed adhuc fortius in sequentibus eos stringit, ubi directè magis ad eorum respondet objectionem: *Brevis est nostra complexio. Aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant, & videbantur, fecerunt fidem; aut certè res credibilis, ut nullis, quibus persuaderetur, Miraculis indigeret, istorum nimiam redarguit infidelitatem.* Sed notanter addit Augustinus, *hoc ad refellendos vanissimos dixerim.* Et ne id sine causâ dixisse videatur, hæc addit: *Nam facta esse multa Miracula, quæ attestarentur illi uni grandi salubrique miraculo, quo Christus in cœlum cum carne, in qua resurrexit, adscendit, negare non possumus; in eisdem quippe veracissimis libris cuncta sunt conscripta, & quæ facta sunt, & propter quod credendum facta sunt. Hæc ut fidem facerent innotuerunt, hæc per fidem quam fecerunt, multò clarius innotescunt; leguntur quippè in populis ut credantur, nec in populis tamen nisi credita legerentur.* Ut verò adhuc propius responsum hocce suum dirigat ad objectionis scopum, hæc subjunxit: *Nam etiam nunc fiunt Miracula in ejus nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per orationes vel memorias Sanctorum ejus; sed non eadem charitate illustrantur, ut tantâ, quantâ illa, gloriâ diffamentur. Canon quippè sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat,*

lib. 22. de Civ. Dei, cap. 8.

tebat, illa facit ubique recitari & memoriæ cunctorum inhærere populorum; hæc autem ubicunque fiunt, ibi sciuntur, vix à tota ipsa civitate vel quocunque commanentium loco. Nam plerunque etiam ibi sciunt pauciſſimi, ignorantibus cæteris, maximè si magna sit civitas, & quando alibi aliisque narrantur, non tanta ea commendat authoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur. Hæc ibi satis prolixè Augustinus, sed opera non superflua, utpote ex quibus non solùm constat, quid de Miraculorum necessitate, videlicet non absoluta, sed hypothetica sit statuendum, sed & quale discrimen sit observandum inter Miracula, quæ Canon scripturarum refert, & ea, quæ post Apostolorum tempora, quia & suo adhuc nimirum Augustini tempore facta, humano saltem nituntur testimonio; simul & quales ii sint habendi, qui non nisi miraculis videlicet novis ad fidem amplectendam duci volunt, ea, quæ extra omnem dubitatis aleam sunt posita, seponentes, sequemet ipsos per hanc indebitæ curiositatis vanitatem miserrime seducentes. Patet inde etiam quam candidè Bellarminus Augustini sententiam Lectori proposuerit, sensum ejus hypotheticum mutando in absolutum, temporisque distinctionem, quo Miracula vel magis vel minus, respectu nimirum expedientiæ vel magis promovendæ gentilium conversionis, videbantur necessaria, plane omittendo, nulla tamen ratione omittendam. Etsi autem, ut non semel hactenus observatum, facies Ecclesiæ à tempore Augustini per duodecim seculorum interceſſionem non parum fuerit mutata, ut adeo nullum plane sit dubium, ipsum quoque Augustinum, si hodie retractationes ei scribendæ essent, quantum ad hoc etiam de Miraculis argumentum, aliter mentem suam in uno & altero explicaturum; nihilo tamen minus, quæcunque hic scripsit, adeò Evangelicis non contrariantur, ut, prout ea jacent, nobis propria vel cum Augustino communia facere possimus, idque Lectori Veritatis studioso facillimum sit, si quæ nostra de Miraculis sit sententia, accurate cognoverit, quorsum inprimis ea inservient scripta, quibus ante Annos non ita multos B. Dannhawerus *Aletheam sacram & vindicem & victricem* contra Cornæum Lojolitam orti Christiano & verè Catholico stitit, Antagonistâ, utut glorioso antehac provocatore, ad triste silentium & convictionis agnitionem per Dei gratiam adacto, ut victas dare manus fuerit coactus. Sit autem ita, quod insuper & ex abundanti circa hoc Augustini testimonium adhuc observari debet, statuerit Augustinus, Miracula fuisse sub initium Apostolicæ prædicationis absolute necessaria, unde Bellarminus per consequentiam omni ex parte legitimam deduci posse existimat, Miracula esse necessaria ad novam fidem vel extraordinariam missionem persuadendam; nihilo tamen minus multum adhuc requiritur ad demonstrandam doctrinæ, quam Augustanæ Confessionis adsectæ profitentur, novitatem, utpote quam hactenus ad normam veræ antiquitatis, nimirum Biblicæ & Prophetico-Apostolicæ examinari non solum libenter passi sumus, sed instanter, ut id fieret, sollicitavimus, non nescii, suspectam esse mercem, quæ examen & accuratam inspectionem fugit. Quia nec Antiquitatis Ecclesiasticæ consensum nobis quoad primaria fidei capita & quoad priora post Apostolos secula deesse, ex his etiam vindiciis constabit, Augustinum veritatis Evangelicæ testem juxta seriem Bellarminianam exhibentibus, adeoque præcipuum quarti & quinti seculi doctorem vindicantibus. Equidem quoad præsentem de Miraculis controversiam Bellarminus in historica narratione Miraculorum per secula provocat etiam ad miracula quinti in specie seculi tempore Augustini facta & ab eo memorata. Verùm, sicut ex ante dictis patet, nos fidem augusti Doctoris in recensione miraculorum suo tempore factorum non facere dubiam, hoc tantum monentes, ab illo præsens tempus maximum esse intervallum multumque faciem Ecclesiæ ea intermutatam, ut de ea aliud plane judicium sit formandum; ita de Miraculis, quæ ibidem quasi ab Augustino memorata leguntur, loco nimirum proximè citato & vindicato, hic quoque repeti debet, quod *Ludovicus Vives*, ad eum notanter observavit: *In hoc capite non dubium, quia multa sint addita, velut declarandi gratia ab iis, qui omnia magnorum Authorum scripta spurcis manibus suis contaminabant.*

Nos jam inde ad secundum Augustini testimonium, quo Bellarminus ad illustrandam pro viribus Miraculorum gloriam utitur vel potius abutitur, accedimus. Est illud bipartitum vel ex diversis duobus locis & scriptis desumtum, nimirum ex libro de utilitate credendi, & contra Epistolam Fundamenti. Uterque locus quidem ex parte jam fuit examini hoc ipso capite subjectus, ubi de successione Episcopali

pali actum est; sed quia hic in specie de Miraculorum gloria agitur, paucis ostendendum venit, num Augustinus hic aliter, quàm alibi docuerit. In priori autem scripto multa occurrunt, quæ cum iis non parum conveniunt, quorum ex opere de Civitate Dei facta est mentio. Inserta sunt pleraque *Vindiciis* etiam *Anti-Thomisticis*, ubi Augustinus contra *Caramuelem* vindicatus fuit, quæ tamen & hic legi debent, cùm quam-maximè huc pertinere videantur. Ita autem sanctus Pater: *Quoniam intelligere* (Deum) *ratione non facile est, oportebat quædam miracula ipsis admoveri oculis, quibus stulti utuntur multo quàm mente commodius, ut commotatorum authoritate hominum prius vita moresque purgarentur, & ita rationi accipiendæ habiles fierent.* cap. 15. Non addo, quæ in his Augustini verbis ad præsens Institutum primariò observari possent & deberent, ne videlicet tractatio prolixior Lectori pariat fastidium, qui adhibita Judicii lance facili opera agnoscere potest, quid ad propositum ante alia exinde inserviat. Pergamus ergo cum Augustino, & quid porrò in rem habeat præsentem, ulterius ex eo percipiamus: *Sepositâ ratione, quam intelligere sinceram stultis est difficillimum, dupliciter nos movet,* (authoritas) *partim miraculis, partim multitudine sequentium. Nihil horum est necessarium sapienti. Quis negat?* cap. 16. Et post aliqua: *Homini non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique se sinat, authoritas præsto est, quam ut paulò ante dixi partim miraculis, partim multitudine nemo valere ambigit.* Et post miraculi definitionem, vel qualemcunque potius descriptionem, addo & divisionem, miraculis à Christo patratis principatum obtinentibus, eandem ferè quæstionem vel oppositionem nomine Manichæorum format, qualem ante Gentilium nomine eum formasse vidimus: *Cur, inquis, ista modo non fiunt.* Et respondet: *Quia non moverent, nisi mira essent. At si solita essent, mira non essent.* Et iterum post aliqua: *Facta sunt igitur illa opportunissimè, ut his multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur authoritas.* Postquam verò etiam aliqua memorasset, quæ à quibusdam, rariora quamvis fieri solent, hocce suum interposuit judicium: *Pauci hoc faciunt, pauciores benè prudenterque faciunt; sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremò populi suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine provectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutum accusant.* Pergit suam explicare mentem: *Hoc factum est divinâ providentiâ per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes; per sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate Miracula.* cap. 17. Sequitur nunc tandem, ad quod Bellarminus in laudata citatione primariò respexit, & cujus respectu hæc omnia in antecessum exscribi debuerunt: *Cùm igitur tantum Dei auxilium, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolicâ sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim Plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam Miraculorum majestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit; cui nolle primitias,* (fortè legendum, primas partes) *dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Ut verò adhuc apertius mens augusti Doctoris pateat, proximè ibi sequentia adhuc libet subjungere: *Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi præcolit fides, quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto labore præditæ authoritati velle resistere? Et, si unaquæque disciplina, vilis quanquam & facilis, ut percipi possit, Doctorem aut Magistrum requirit; quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum sacramentorum libros & ab Interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare.* Videtur quidem sanctus Pater in ultimis hisce præsertim verbis multum authoritatis & momenti ad concipiendam fidem salvificam tribuere miraculis, eaque tanquam singulare motivum commendare, ut quis se Ecclesiæ verè Catholicæ jungat & eum ea uniat; sed dum ultimò & tandem ad *divinorum sacramentorum libros* provocat, eomet ipso indicare voluit, se hæc omnia de nullis aliis intellecta voluisse miraculis, quàm quæ ibidem memorantur, & per quorum patrationem Deus, nulla quidem necessitate, sed liberrima tantum voluntate & indebita merè gratiâ ductus, tanquam faciliori quodam modo populos ad sui salutiferam cognitionem vocavit, nulla omnino ratione obstrictus, ut idem hodie etiam faciat, atque methodo extraordinaria iis adhuc semel se patefaciat, quorum patres per summam & inexcusabilem negligentiam semetipsos summo hocce Bono privarunt, viâ etiam nepotibus ad reimpetrationem ejusdam non

planè intercluſa, ſi ordinariis & ſimul ſufficientibus uti vellent mediis, quæ necdum ulli manifeſtum eſt denegari. Quod jam attinet Auguſtini teſtimonium ex poſteriori ejus ſcripto *contra Epiſtolam Fundamenti* à Bellarmino citatum, prætermitti non poteſt, eum & hic minus candidè egiſſe, mentemque auguſti Doctoris non ſincerè ſatis propoſuiſſe, dum crudè & nudè eum ſcripſiſſe dicit, *ſe teneri in Eccleſia vinculis miraculorum*. Verba non ſemel ſuprà exhibentur, hic neceſſariò repetenda, ut fraus Bellarmini, mens autem ſancti Patris eò apertius conſtet, qui hæc de re ita ſcripſit: *Tenet me authoritas Miraculis inchoata*, nimirum in gremio Eccleſiæ, ad quam videlicet Auguſtinus è Manichæiſmo ſe contulit, inque eadem celebris Doctor & Epiſcopus ad finem vitæ conſtans permanſit. Notanter autem ſcripſit auguſtus Pater, teneri ſe in Eccleſia verè Catholica authoritate non quorumvis Miraculorum, vel eorum quoque, quæ ſuo tempore facta loco proxime citato memoravit; ſed ea, quæ pridem Miraculis, Apoſtolorum ſcilicet, & qui Apoſtolorum comites & proximi ſucceſſores erant, inchoata fuerat, actibus inde denominatis atque authoritatem Canonicam obtinentibus de eorum certitudine teſtimonium exhibentibus. Quamvis autem addidiſſet Auguſtinus authoritatem Miraculis continuatam, adeoque intelleximſſet Miracula ſuo etiam tempore facta, quæ tamen attendiſſe eum ex præſenti teſtimonio non conſtat; nihilo tamen minus, præter id, quod de differentia temporis, quo Auguſtinus vixit, & quo nos hodiè poſt duodecim ſecula vivimus, non ſemel hactenus fuit monitum, illud etiam iterato debet obſervari, neque hanc authoritatem Miraculis ſive inchoatam, ſive continuatam & confirmatam, inter primaria ab Auguſtino relatam fuiſſe Motiva & Fidei momenta, quibus ſe in Eccleſiæ gremio teneri profeſſus eſt, quo minus ad Manichæorum cœtus rediat, ut non apertè ſcripſerit, *ſi Veritas tam manifeſta apud eos monſtraretur* ita, *ut in dubium venire non poſſet, præponendam eſſe eam omnibus illis rebus, quibus in Catholica ſe teneri dixit Eccleſia*. Ad animum hæc ſeriò vocet Lector & videat, annon Bellarminus crude ſatis & nudè Auguſtino adfinxerit, quaſi Is vinculo Miraculorum ſine ullo reſpectu ſe in Eccleſia teneri ſcripſiſſet, id quod tamen ab eo non una ſaltem conditione & reſtrictione addita factum eſt.

Sequitur nunc *tertium* Auguſtini de Miraculis teſtimonium, quod tamen Bellarminus non offenſivè producit, ſed defenſivè, ut nimirum illud Evangelicis eripiat, qui eo contra jactatam Miraculorum authoritatem uti conſueverunt. Eſt verò & illud bipartitum, eque duobus Auguſtini ſcriptis deſumtum. Et priori quidem Auguſtinus legitur monuiſſe, *non eſſe credendum Donatiſtis, etiamſi faciant Miracula.* Tract. 13. in Joh. Reſpondet Bellarminus, *Donatiſtarum miracula, quæ Auguſtinus contemſerit, non talia fuiſſe miracula, qualia ſanctorum ſint, ſed occultas tantum viſiones quaſdam, quas ſine ullo teſte ſe vidiſſe jactaverint; adeoque non ſine cauſa Auguſtinum hæc Miracula fabulas vocaſſe*. An hoc Bellarmini reſponſum valere poſſit, ipſe textus Auguſtini teſtabitur, qui hic eſt: *Paulus loquitur, ſi ſciam omnia ſacramenta & habeam omnem Prophetiam & fidem*, quantam fidem? *ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Nemo vobis ergo fabulas vendat. Et Pontius* (Donatiſta) *fecit miraculum, & Donatus oravit, & reſpondit ei Deus de cœlo.* Primò, *aut falluntur, aut fallunt*. Poſtremò, *fac illum montes transferre*; Charitatem autem, inquit Apoſtolus, non habeam, nil ſum. *Videamus, utrum habuerit charitatem? Crederem, ſi non diviſiſſet unitatem. Nam & contra iſtos, ut ſic loquar*, Mirabiliarios *cautum me fecit Deus meus, dicens*, In noviſſimis temporibus exurgent Pſeudoprophetæ, facientes ſigna & portenta, ut in errorem inducant, ſi fieri poteſt, etiam electos. Ecce, prædixi vobis. *Ergò cautos nos fecit ſponſus, quia & Miraculis decipi non debemus. Aliquando enim & deſertor terret provincialem; ſed utrum in caſtris ſit, & aliquid* (fortè, ad, vel, an quid) *illi proſit character ille, in quo ſignatus eſt, hoc attendit, qui terreri & ſeduci non vult. Teneamus ergo unitatem* (videlicet, Fidei) *fratres mei. Præter unitatem, & qui facit miracula, nihil eſt.* Et ne id verbis tantum ſuis videatur exprimere, ſuiſque auditoribus nudam authoritatem ſuam contra hos Mirabiliarios objicere, Exemplis id ex ſacro Codice deſumtis comprobat, ut res eò manifeſtior evadat: *In unitate erat populus Iſrael, & non faciebat miracula. Præter unitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant ſimilia Moſi. Populus Iſrael non faciebat miracula. Qui erant ſalvi apud Deum, qui faciebant, an qui non faciebant?* Iterum, *Petrus Apoſtolus reſuſcitavit mortuum, Simon Magus fecit multa. Erant ibi multi Chriſtiani, qui non poterant facere, nec quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon.* Sed

unde

unde gaudebant? Inde, quia eorum nomina in cœlo erant scripta. Nam & redeuntibus discipulis Dominus noster Iesus Christus propter fidem gentium hoc ait. Dixerunt enim ei gloriantes discipuli, ecce, Domine, in nomine tuo etiam Dæmonia nobis subjecta sunt. *Bene quidem confessi sunt, detulerunt honorem nomini Christi, & tamen quid ait eis? Nolite in hoc gloriari, quia vobis Dæmonia sunt subjecta; sed gaudete, quia sunt scripta in cœlo nomina vestra.* Plura hujus generis exempla ex eodem adscribere supersedeo, cùm ex his constare possit satis atque super Bellarmini responsum ad hoc prius Augustini testimonium contra Miraculorum authoritatem nullatenus quadrare. Videamus ergo, an forsitan magis commode ad posterius responderit, ne id dicat, quod dicere videtur Augustinus. Docuit Is autem non sine multâ observatione, *non tantum miraculis Donatistarum non credendum esse, sed & neque miraculis Catholicorum,* hanc addens causam. *Quæcunque talia in Catholica fiunt Ecclesia, ideo sunt adprobanda, quia in Catholica fiunt Ecclesia; non autem ideo ipsa manifestatur Ecclesia, quia hæc in ea fiunt.* de Unit. Eccles. cap. 16. Supra jam, ubi de Notis Evangelicorum ex Augustino actum est, hæc verba cum pluribus aliis huc pertinentibus adducta fuerunt, unde mens sancti Doctoris non obscurè potuit cognosci. Nunc, quid Bellarminus respondeat, videndum est. Putat is, *Augustinum alibi, nimirum in contra Epistolam Fundamenti libro aliter & contrario loqui modo, & docere, Ecclesiam demonstrari ex miraculis, non ex scripturis; imo scripturas demonstrari ex Ecclesia.* Atqui non uno in loco supra, quia & paulò ante est ostensum, Augustinum nulla ratione sibimet ipsi esse contrarium. Imo ipse Bellarminus in eo est occupatus, ne pugnantia secum videatur Augustinus scripsisse, quamvis eum suas ad partes trahere laborans, & quidem, ut videbimus, invitum. Ita autem Conciliator: *Dicendum est, in utroque loco eum loqui ex hypothesi. Quia enim Manichæi admittebant miracula, & negabant scripturas, veterem dicentes esse à Diabolo, novam esse totam à falsariis corruptam; hinc Augustinus in libro contra Epistolam Fundamenti ex Miraculis demonstrat Ecclesiam, deinde ex Ecclesia demonstrat scripturam. Sed quia Donatistæ credebant scripturæ, tam veteri, quam novæ, & jactabant suas Visiones, miracula Ecclesiæ contemnentes; ideo Augustinus contra Donatistas alia procedit via, & ex scripturis demonstrat Ecclesiam, deinde per Ecclesiam vult judicari de Miraculis.* Verum, ut negari non potest, alia methodo & ratione Augustinum contra Manichæos, alia autem contra Donatistas disputasse, utrobique tamen scripturam pro præcipuo habentem fundamento, quo semper præsuppositio sæpius eum adversarios ex propriis convicisse principiis, ad hominem disputando, nemini paulisper in scriptis ejus versato ignotum esse potest; ita quæ de modo disputandi Augustinianæo contra Manichæos & Donatistas monuit Bellarminus, partim contrà mentem sancti Patris, partim contra semetipsum scripsit. De libro contra Epistolam Fundamenti, & testimonio exinde ad Miraculorum authoritatem confirmandam desumto, ut modo dixi, sæpius jam & proximè est actum. Nunc ex abundanti illud addo, quo augustus Doctor se quam-maximè Evangelio, tanquam unico Fidei principio & fundamento, credere contra Manichæum professus est: *Absit, ut Evangelio non credam; illi enim credens non invenio, quo etiam modo tibi possim credere.* cap. 5. Nulla hic Miraculorum, nulla Ecclesiasticæ authoritatis mentio. Contra semet ipsum verò scripsit Bellarminus id, quod de methodo Augustini contra Donatistas agentis scripsit; cum Evangelici hodiè eadem contra Mirabiliarios Papistas utantur. Quem enim ad modum de Donatistis Bellarminus scribit, *credidisse eos scripturæ Veteri & novæ, & jactasse suas Visiones* (& Miracula, ut Augustinus loco supra citato scripsit expresè) *Ecclesiæ miracula contemnentes*; ita ægrius ferre non debent aut possunt Mirabiliarii Papistæ, si ad imitationem Augustini Ecclesiam ex scripturis demonstrari, & de Miraculis per Ecclesiam ex scripturis demonstratam judicari desiderent Evangelici, ideo nimirum, quia cum Donatistis videri volunt agnoscere scripturam Veteris & Novi Testamenti Canonicam, neque negare possunt, jactare se Visiones (ut proximè ad sequentem Notam de Lumine Prophetico agentem videbimus) & Miracula, & recentia quidem magis quàm antiquiora, tempore Prophetarum & Apostolorum facta, ad quæ tamen præprimis respici debere, Evangelici ex Augustino docti sentiunt, id quod nunc porrò demonstrandum restat.

Redeundum enim nobis adhuc semel est ad Bellarminum, & eo duce ad Augustinum, ne quid hic notatu dignum prætermittatur. Et quidem prius ad Bellarminum, qui dum respondere conatur ad eam objectionem, quâ Miracula hodie

jactari solita non solum in dubium vocantur, sed omninò facta esse negantur, uti se posse existimat verbis Augustini, Paganorum objectioni, historias Miraculorum negantium, hunc in modum respondentis: *Si liceat absque ulla ratione facta olim Miracula negare, fides omnium librorum peribit, & tolletur non solum nostra, sed etiam omnis alia religio; omnes enim, qui Dii habentur, operibus mirabilibus, à Viris doctis conscriptis, divinitatem suam, sive veram, sive falsam, Mundo persuaserunt.* Et ita quidem Bellarminus mentem Augustini expressit. Sed ut ad ipsum eamus Augustinum, notari debèt, eum in capite præcedenti egisse *de illis signorum miraculis, quæ ad commendandam legis ac promissionum authoritatem divinitus facta sunt*, ut non solùm capitis inscriptio habet, cujuscunque etiam sit, sed & ipsa testatur tractatio. Hoc autem capite, ex quo Bellarminus responsum depromsit, Augustinus egit contra, eos, *qui de Miraculis, quibus Dei populus est eruditus, negant libris Ecclesiasticis esse credendum.* Operæ pretium erit ipsa Augustini hic adscribere verba, ad quæ Bellarminus habuit respectum: *An dicet aliquis, falsa esse Miracula illa, nec fuisse facta, sed mendaciter scripta.* Respondet Pater Sanctus: *Quisquis hoc dicit, si de his rebus negat omninò ullis esse credendum literis, potest etiam dicere, nec Deos ullos curare mortalia; non enim se aliter colendos esse persuaserunt, nisi mirabilibus operum effectibus, quorum & historia gentium testis est, quorum Dii se ostentare mirabiles potius, quàm utiles ostendere potuerunt.* Videt hic iterum lector attentus, Bellarminum dupliciter & hic in citatione horum Augustini verborum peccasse, *semel* impertinenter Evangelicos cum Paganis comparando, quibus tamen nullatenus sunt similes, dum hi quidem, Pagani nimirum, ipsos Codices sacros, Miraculorum divinitus factorum testes non in dubium modo vocarunt, sed omninò mendacii arguerunt, Evangelicis è contrario eosdem maximi æstimantibus, aliter verò de modernis sanctorum ita dictorum legendis, miracula sine numero & fine cumulantibus, cum non uno modestiorum Papistarum, nec absque sufficienti causa judicantibus; *deinde*, id quod Augustinus more sibi non insueto contra adversarios cum certa quadam conditione scripsit, sine ejus respectu ad præsens institutum trahendo. Dixit & scripsit augustus Doctor, ad hanc Paganorum de rejectione sacri Codicis objectionem, *posse*, non debere, *quisquis hoc dicat, id etiam dicere, nec Deos ullos curare mortalia*; non quasi nulla ei alia super-fuerit ratio, paganis authoritatem sacri Codicis, qui Miracula divinitus patrata exhibet, probabilem primò, & postea quoque credibilem, & ita infallibilem omninò sistendi, sed ut hic etiam, quod alias, ut jam monui, sæpius ab ipso factum est, ad hominem ageret, atque adeo contra paganos ex propriis disputaret principiis, hacque eos ratione ad credendum Codici sacro & Miraculis in eo contentis perduceret, id quod observatum Bellarmini inanem in abusu responsionis Augustinianæ operam manifestè iterum prodit. Quia verò Bellarmino ex hoc etiam Augustini de *Civitate Dei* opere & libro quidem ejus decimo visum est contra Miraculorum quorumvis authoritatem impugnantes agere, quamvis, ut vidimus, successu nimis infelici; non præter rem erit, si ex eodem porrò Augustini de miraculorum authoritate non usque adeò infallibili mentem & sententiam observaverimus, quam sequentibus verbis apertè satis expressit: *Respondeant homines, si ullus naturæ suæ sensus, quo rationales sunt creati, ex aliqua parte vivit in eis. Respondeant, inquam, eisne sacrificandum sit Diis vel Angelis, qui sibi sacrificari jubent; an illi uni, cui jubent hi, qui & sibi & istis prohibent. Si nec isti nec illi ulla facerent Miracula, sed tantum præciperent, alii quidem, ut sibi fabricaretur; alii verò id vetarent, sed uni tantum juberent Deo, satis deberet ipsa pietas discernere, quid horum de fastu superbiæ, quid de vera religione descenderet: Plus etiam dico, si tantum hi mirabilibus factis humanas permoverent animas, qui sacrificia sibi expetunt; illi autem, qui hoc prohibent, & uni tantum Deo sacrificari jubent, nequaquam ista visibilia Miracula facere dignarentur, profectò non sensu corporis, sed ratione mentis præponenda esset eorum authoritas.* Scribere hæc Augustinus non potuisset, si Miracula necessariò inter eas numerari deberent Notas, è quibus Ecclesia & doctrinæ veritas esset cognoscenda. Ne autem, dum Satanas per Miracula non paucos solet seducere, Deus Ecclesiam hac etiam ratione videatur deserere, addit Augustinus Miraculorum divinitus patratorum splendorem: *Cum Deus id egerit ad commendanda Veritatis suæ eloquia, ut per istos immortales nuntios*, (sanctos intelligit Angelos) *non sui fastum, sed illius Majes-*

lib. 10. de Civ. Dei, cap. 18.

Ibid. c. 16.

Majestatem prædicantes, faceret majora, certiora, clariora Miracula, ne infirmis piis illi, qui sacrificia sibi expetunt, falsam religionem facilius persuaderent, eo quod sensibus eorum stupenda quædam monstrarent; quem tandem ita libeat desipere, ut non vera eligat, quæ sectetur, ubi & ampliora invenit, quæ miretur. Illa quippe Miracula Deorum gentilium, quæ commendat historia, non ea dico, quæ intervallis temporum occultis ipsius causis mundi, veruntamen sub divina providentia constitutis & ordinatis monstruosa contingunt; sed ea dico, quæ vi ac potestate eorum fieri, satis evidenter adparet, nequaquam illis, quæ in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda sunt, quanto minus ea, quæ illorum quoque populorum, qui tales coluerunt Deos, legibus judicata sunt prohibenda atque plectenda, Magica scilicet vel theurgica, quorum plera-raque specie tenus mortalium sensus imaginaria ludificatione decipiunt, quædam vero etsi nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, finis ipse, quo discernuntur, incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere. Illis enim multi tanto minus sacrificiis colendi sunt, quanto magis hæc expetunt; his verò unus commendatur Deus, qui se nullis talibus indigere, & scripturarum suarum testificatione, & eorundem postea sacrificiorum remotione demonstrat. Debuit hucusque hoc Augustini testimonium exscribi, ut quorsum præprimis in negotio hoc respiciendum sit, pateat, ad scripturas nimirum sacras, ad quas tandem omnia in causâ religionis, tanquam ad fontem perennifluum referri debent. Cætera, quæ differentiam miraculorum à gentilibus jactatorum ex unâ, ex alterâ autem parte in populo Dei factorum, quæ sacer Codex exhibet, prolixè describunt, ritè etiam se habent, si ad præsens Institutum ac statum Controversiæ inter Evangelicos & Romanenses adplicentur, his ad propria & recentia, non unâ ratione suspecta, illis verò ad antiqua Prophetarum, Christi & Apostolorum miracula omni modo & utrinque indubia, quamvis aliena, sibi tamen ob doctrinæ consensum communia, atque adeò jure & meritò provocantibus, multumque præ adversaria parte obtinentibus, dum Augustini iterum verba faciunt sua, quibus Donatistarum miracula suo tempore clusit, inde desumta, unde ad antecedens Caput de Notis Evangelicorum plurima fuere exhibita, hic ex parte necessario repetenda, quatenus nimirum huc pertinere videbuntur. Ita autem ibi Doctor angustissimus contra Donatistas de Miraculorum ab illis jactatorum authoritate, vel potius nullitate scribit: *Remotis omnibus Ecclesiam suam demonstrent, si possunt, non in sermonibus & rumoribus Afrorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet Disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contraista verbo Domini, præparati & canti sumus redditi; sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, Psalmorum cantibus, in ipsis Pastoris* (Christi) *vocibus, in Evangelistarum prædicationibus & laboribus,* hoc est, *in omnibus Canonicis sanctorum librorum authoritatibus.* de Unit. Eccles. cap. 16. Et post aliqua: *Omissis morarum tendiculis ostendat, quisquis respondere parat, Ecclesiam vel in sola Africa tot gentibus perditis retinendam, vel ex Africa in omnibus gentibus reparandam atque implendam, & sic ostendat, ut non dicat, verum est, quia ego hoc dico, aut quia hoc dicit ille Collega meus, aut illi Collegæ mei, aut illi Episcopi, vel Clerici, vel Laici nostri, aut ideo verum est, quia illa & illa Mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille Frater noster, aut illa Soror nostra tale visum vigilans vidit, vel dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta hominum mendacium, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quæ dicuntur, aut si aliqua hæreticorum facta sunt mira, magis cavere debemus, quod, cum dixisset Dominus, quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla faciendo signa electos etiam, si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans & ait, ecce, prædixi vobis!* Et iterum: *Ad ipsam salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum caput in scripturis sanctis Canonicis debemus agnoscere, non in variis hominum rumoribus, & opinionibus, & factis, & dictis, & visis inquirere.* Et iterum post aliqua: *Utrum Donatistæ Ecclesiam teneant, non nisi divinarum scripturarum libris Canonicis ostendant, quia nec nos propterea dicimus, credi nobis oportere, quod in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam, quam tenemus, commendavit optatus Milevitanus vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostræ Communionis Episcopi, aut quia nostrorum Collegarum conciliis ipsa est prædicata, aut quia per totum orbem in locis sanctis, quæ frequentat communio nostra, tanta Mirabilia vel exauditionum vel sanitatum* (fortè Sanationum) *fiunt. Quæcunque talia in Catholica fiunt*

Ecclesia, ideo sunt adprobanda, quia in Catholica fiunt Ecclesia; non ideo ipsa manifestatur, quia hæc in ea fiunt. Quamvis autem Bellarminus paulò ante existimaverit, aliter Augustinum contra Manichæos, aliter eum contra Donatistas, in hoc etiam Fidei puncto disputasse, ideo illud solùm adhuc restat addendum, ut videamus, quamvis contra Manichæos pro non planè nullo Motivo in Ecclesiæ gremio manendi habuerit miracula, ea nimirum, quibus Ecclesiæ authoritas tempore Apostolorum fuit *inchoata*, eum nihilo tamen minus longè aliter de aliorum judicasse miraculis, hunc in modum Manichæos adloquendo: *Scripturas tanta authoritate firmatas commendatasque respuitis, miracula non facitis, quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus, per instruentem nos Dominum & dicentem,* exurgent multi pseudo-Christi pseudo-Prophetæ, & facient signa & prodigia multa, &c. *Usque adeo nihil credi voluit adversus confirmatam scripturarum authoritatem, quæ fidem suam in rebus ipsis probat, quæ per temporum successiones hæc impleri & effici ostendit, quæ tanto antequàm fierent, prænuntiavit.* Agmen nunc claudat id, quod de miraculorum post tempora Apostolorum necessitate minus urgente alibi rotundè scripsit sanctus Pater: *Accepimus, majores nostros eo gradu, quo à temporibus ad æterna conscenditur, visibilia Miracula, (non enim aliter poterant) secutos esse, per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec Miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit.* Utut autem hæc, & quæ similia ferè supra ex libro de Utilitate credendi fuere laudata, aliquatenus in libris retractationum emendasse videri possit Augustinus, observans, *neque suo tempore Miracula omninò in Ecclesiâ fieri desiisse,* ex aliis tamen locis hactenus non semel ostensum fuit discrimen, quod Augustinus inter Miracula Vetera & Recentiora attendi voluit, additumque, à tempore Augustini ad præsentia non benè in hoc puncto nec consequenter concludi, id quod ad hanc Notam satis est, quæ ideò prolixius debuit tractari præ aliis, quia ab adversa parte instantissimè urgeri solet, atque Augustinus multum subsidii ad hujus Notæ elevationem pluribus in locis subministravit, miserrimè etiam à Bellarmino habitus, ac ideò ab injuriis eidem illatis ex Instituto & debito vindicandus. In iis jam, quæ adhuc restant, Notis Ecclesiæ examinandis licebit nobis esse brevioribus.

lib. 13. contra Faust. cap. 5.

de Vera Relig. cap. 25.

lib. I. c. 13. & 14.

Et quidem, si agamus de ea, quæ numero & ordine post decimam est *secunda*, lumen exhibens Propheticum, dum ipse Bellarminus ad ejus demonstrationem Augustini authoritate destituitur, utpote ex cujus scriptis aliud nihil in rem præsentem potuit adducere, quàm ut ad judicium ejus de gentilium oraculis provocaret, quod nobis nullo planè modo contrarium, & ut testimonium ejus de Prophetâ quodam Johanne Eremita laudaret, cujus narrationis gratia nemo hactenus, quod sciam, Augustini fidem dubiam aut suspectam fecit; nec à nobis hic prolixior trahi debet mora, hoc solum observantibus, ita de vaticiniis alibi Augustinum scripsisse, ut inde manifestum possit fieri, eum hoc lumen Propheticum vix inter Ecclesiæ Notas admissurum fuisse, si apertam de eo sententiam ferre debuisset. Notari hic omninò merentur, quæ contra Pseudoprophetarum & Satanæ Ministrorum Vaticinia graviter scripsit: *Potestates aereæ fallaces ac superbæ etiam si quædam de societate & civitate sanctorum, & de vero Mediatore à sanctis Prophetis vel Angelis audita per suos vates dixisse reperiuntur, id egerunt, ut per hæc aliena vera etiam fideles Dei, si possent, ad sua falsa traducerent.* Legatur totum ibi caput, & multa occurrent, quæ ad hujus sententiæ confirmationem pertinere videbuntur; quibus non multùm sunt dissimilia, quæ alibi de modo, quo Spiritus mali, per Pseudoprophetas Vaticinia edentes, aliquam futurorum cognitionem & præscientiam adquirunt, augustus Doctor notavit: *Dæmones non æternas temporum causas & quodammodo cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorundam signorum nobis occultorum majore experientia, multò plura, quam homines futura prospiciunt, dispositiones quoque suas aliquando prænuntiant.* Plurima etiam hanc in rem monuit eo in libro, quo eum de gentilium oraculis agere Bellarminus scripsit, id inprimis observans, *multa Dæmones futura prænuntiare, cum tamen ab eis longè sit altitudo illius Prophetiæ, quam Deus per sanctos Angelos & Prophetas suas operetur.* Quo ipso cautos esse voluit quosvis æternæ salutis seriò cupidos, ne quibuscunque Vaticiniis se ab oraculis verè divinis moveri, & à viâ Veritatis in Prophetarum utriusque Testamen-

lib. IV. de Trin. c. 17.

lib. IX. de Civ. Dei, cap. 22.

de Divinat. Dæmon. c. 6.

stamenti scriptis revelatæ in avia errorum ac præsentissimum animæ periculum seduci se sustineant, cùm nullis hodiè novis ad Fidei confirmationem nobis opus sit Prophetiis, ipso id agnoscente Bellarmino, qui hac de re notanter ita scripsit: *Fides Ecclesiæ nititur revelatione, quam habuerunt à Deo Apostoli & Prophetæ. Nec enim semper Ecclesiæ revelantur articuli novi, sed in ea adquiescit doctrina, quam Apostoli & Prophetæ à Deo didicerunt, & prædicatione vel literis ad posteros mandaverunt.* Et alibi: *Non novis revelationibus nunc regitur Ecclesia, sed in iis permanet, quæ tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis*, &c. Ut adeo Bellarminus hoc ipso Evangelicis suppeditaverit, quid de hac Ecclesiæ Nota, lumen Propheticum requirente, sit statuendum. lib. I. de Rom. Pontif. c. 11. lib. IV. de verbo Dei, cap. 9.

Nobis nunc progrediendum est ad *tertiam & decimam*, quam esse vult Confessionem adversariorum, utut sine consensu Augustini, quem tamen certo respectu non adeò difficulter impetrare potuisset. Egregia certè sunt, quæ hanc in rem alicubi contra gentiles monuit: *Cùm scripturis nostris non credunt, complentur in eis suæ, quas cæci legunt; nisi fortè quis dixerit, illas Prophetias de Christo Christianos finxisse; quæ Sibyllæ nomine vel aliorum proferuntur, si quæ sunt, quæ non pertinent ad populum Iudæorum. Nobis quidem illæ sufficiunt, quæ de nostrorum inimicorum codicibus proferuntur, quos agnoscimus propter hoc testimonium, quod nobis inviti perhibent, eosdem Codices habendo atque servando, per omnes gentes etiam ipsos esse dispersos, quaquaversum Christi Ecclesia dilatatur.* Referri huc etiam omninò debet, quod alibi de Philosophorum gentilium testimoniis & confessionibus apertè satis scripsit: *Philosophi, qui vocantur, si quæ vera fortè & Fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam, tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda.* Hæc sicut ex Augustini mente perquam benè se habent, maximique ex debito æstimari debeat confessio & testimonium adversarii, tanquam non exiguum Veritatis ab hoste etiam agnitæ præjudicium; ita ubi illud ob ejus pertinaciam haberi non potest, Conscientia quidem intus testimonium perhibente, at foras ob animi duritiem non penetrante, nihilo tamen minus nullum indè Veritati accedere potest detrimentum, nisi & malefici hominis undiquaque convicti constans silentium sinceritati accusatoris & Judicis anteferri debere cuiquam videatur. Quamvis, ut eò deveniamus Evangelici, necessum non sit, cùm si hæc Nota alicujus esse debeat æstimii & valoris, certam nobis promittere audeamus contra Romanenses in hac acie victoriam, *Confessione* adversariorum quoad omnes & singulas Fidei controversias *Catholica*, studio & opera meritissimi Theologorum, *Beati Gerhardi*, dudum jam orbi Christiana exhibita, quam nemo hactenus ex adversariæ partis scriptoribus impugnare, aut Evangelicis eripere est conatus, non sine plurimo adprobatæ Veritatis testimenio. lib. XVIII. de Civ. Dei, c. 46. lib. II. de Doctr. Christ. cap. 40.

Quarta nunc post decimam sequitur Nota, sed & hæc sine Augustino comite, quam ei tamen, ut adjungamus, prætermittere indebitum esset. Signat autem Bellarminus hac Nota *infelicem exitum seu finem eorum, qui Ecclesiam oppugnant.* Si Augustinum hic in Consilium vocasset, aliud ab eo judicium expectare potuissemus. Nunc cum sine Senatus Augustiniani consulto rem hanc exhibuerit decisam, corrigendus est, ne quid contra & præter mentem sancti Patris in hoc etiam negotio statuatur, qui suam ita de vario mortis genere, quâ homines ex hac vita decedunt, exposuit sententiam: *Multi etiam Christiani multarum mortium fœdâ varietate consumti sunt.* Fuit hæc accusatio gentilium, in numero calumniarum habenda, quibus olim Christianos nemini non detestabiles facere sunt ausi, quam sequentibus verbis Doctor augustus repulit: *Hoc si ægrè ferendum est, omnibus, qui in hanc vitam procreati sunt, utique est commune. Hoc tamen scio, neminem fuisse mortuum, qui non fuerat aliquando moriturus. Quid autem interest, quo mortis genere ista finiatur Vita, quando ille, cui finitur, iterum morinon cogitur? Cum autem unicuique mortalium sub quotidianis hujus vitæ casibus innumerabiles quodammodo comminentur mortes, quamdiu incertum est, quænam earum sit ventura; quæro, utrum satius sit, unam perpeti moriendo, an omnes timere vivendo? Nec ignoro, quàm inertius* (alias citius) *eligatur diu vivere sub timore tot mortium, quàm semel moriendo nullam deinceps formidare. Mala mors putanda non est, quam bona præcesserit vita; neque enim fecit malam mortem, nisi quod sequitur mortem,* lib. I. de Civ. Dei, cap. 11.

tem. Non itaque multum eis est curandum, qui necessariò sunt morituri, quid accidat, ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Alibi etiam hac de re sequentur in modum scripsit: *Vndecunque mors pio bona est. Malum est mori naufragio, & bonum est mori febre? Sive inde, sive indè moriatur, quære, qualis sit, qui moritur, quo post mortem iturus est, non unde de vita exiturus? Quacunque occasione hinc exituri sumus. Quibus exitibus Martyres exire meruerunt; nunquid febribus? Alii uno gladii ictu, alii ignibus, alii bestiis; & devoraverunt bestiæ corpora Martyrum, & non timuerunt, ne perirent corpora ipsorum. Vndique enim Deus reducet corpora sanctorum suorum, cui capilli capitis nostri sunt numerati. Novit Deus, quid agat; Tu hinc, & bonus esto. Vndecunque voluerit, ut exeas hinc, paratum te inveniat. Quidquid ergo hic accidit contra voluntatem nostram, noveris, non accidere, nisi de voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de lege ipsius; & si nos non intelligimus, quid quare fiat, demus hoc providentiæ ipsius, quia non fit sine causa, & non blasphemabimus.* Notent hoc, quicunque externa in dijudicanda ratione status & conditione hominum internâ per inexcusandam temeritatem respicere tantum solent, omnium aliorum, quæ quam-maximè attendi deberent, incurii.

in Ps. 148.

Super nunc tandem adhuc est ultima Ecclesiæ Nota, quam Bellarminus esse dicit *Felicitatem temporalem, iis divinitùs collatam, qui Ecclesiam defendunt*, sequenti testimonio Augustini comprobatam: *Constantinum Imperatorem, non supplicantem Dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis implevit muneribus terrenis, quanta optare nullus auderet. Vniversum orbem Romanum unus tenuit Augustus & defendit. In administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit, in Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est; grandævus ægritudine & senectute defunctus est, filios imperantes reliquit.* Addit, de Theodosio seniore eúndem Augustinum capite sequenti scribere, *ei, quod verè pius & Catholicus esset, adeo prospere omnia successisse, ut in præliis hostium tela in auctores, Deo agente, retorquerentur.* Est ita, scripsit hæc Augustinus, utriusque Imperatorum Encomiastes luculentissimus. Et eloquentissimus. Sed si utrobique addamus ea, quæ augustus Pater hisce subjunxit elogiis, manifestum erit, hos ab eo Panegyricos non eum in finem fuisse institutos, ut Felicitatem eorum à Deo temporalem pro singulari Ecclesiæ Nota commendet, sed ut ostendat, qua ratione & modo Deus piis hisce Imperatoribus pro cultu sibi præstito etiam quoad temporalia bene voluerit facere, ne frustra Deo serviisse videri potuerint. De cætero ea subjecit Doctor sanctus, quæ ex particularibus hisce exemplis universalem facere regulam omninò prohibent: *Sed rursus, ne Imperator quisquam ideò Christianus esset, ut felicitatem Constantini mereretur, cum propter vitam æternam quisque debeat esse Christianus; Iovinianum* (Imperatorem æquè Christianum) *multò citius, quam Iulianum abstulit, Gratianum* (itidem Christianum Imperatorem) *ferro interimi permisit tyrannico, longè quidem mitius, quam Magnum Pompeium, Romanos videlicet colentem Deos. Nam ille vindicari à Catone non potuit, quem civilis belli quodammodo hæredem reliquerat; iste autem, quamvis piæ animæ solatia talia non requirant, à Theodosio vindicatus est, quem regni participem fecerat, cum parvulum haberet (&) fratrem*, Valentinianum scilicet, *avidior fidei societatis, quàm nimiæ potestatis.* Post, ubi de felicitate Theodosio divinitus concessa prolixissimè egisset, his elogium ejus clausit verbis: *Hæc ille, & si quæ similia, bona tulit opera ex illo temporali vapore cujuslibet culminis & sublimitatis humanæ, quorum operum merces & æterna felicitas, cujus dator est Deus solis veraciter piis. Cætera verò vitæ hujus vel fastigia vel subsidia, sicut ipsum mundum, lucem, aures, aquas, fructus, ipsiusque hominis animam, corpus, sensus, mentem, vitam bonis malisque largitur; in quibus est etiam quælibet Imperii magnitudo, quam pro temporum gubernatione dispensat.* Neque hoc verò solum, sed & si caput proximè antecedens evolvamus, paria Augustinum præoccupando observasse videbimus, ita videlicet scribentem: *Non nos Christianos* „ *quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel* „ *imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reipublicæ domue-* „ *runt, vel inimicos cives adversus se insurgentes & cavere & opprimere potue-* „ *runt; hæc enim & alia vitæ hujus ærumnosæ vel munera vel solatia quidam et-* „ *iam cultores Dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei,*

lib. V. de Civ. Dei, cap. 25.

vid. Barth. ad Claud. p. 557.

quo

„ quo pertinent isti. Et hoc ipsius misericordiâ factum est, ne ab illo ista, qui in
„ eum crederent, velut summa desiderarent bona. Sed felices eos dicimus, si ju-
„ stè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium & obsequia nimis humili-
„ ter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam pote-
„ statem ad Dei cultum maximè dilatandum Majestatis ejus famulam faciunt; si
„ Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum, ubi non timent habe-
„ re consortes; si tardius vindicant, facilè ignoscunt; si eandem vindictam pro ne-
„ cessitate regendæ tuendæque Reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis
„ exerunt; si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem corre-
„ ctionis indulgent; si quod asperè coguntur plerumque decernere, misericordiæ
„ lenitate & beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis est castigatior,
„ quantò posset esse liberior; si malunt cupiditatibus pravis, quàm quibuslibet gen-
„ tibus imperare. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ,
„ sed propter charitatem felicitatis æternæ; si pro suis peccatis & humilitatis & mi-
„ serationis & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Ta-
„ les Christianos Imperatores dicimus esse felices, interim spe, posteà re ipsa futu-
„ ros, quum id, quod exposcimus, (aliàs, expectamus) *advenerit*. En, ex institu-
tione Augustini Principem bonum & felicem in Compendio! Verum si ulterius retrò in hoc Augustini opere & libro eamus, plura invenire licebit huic scopo egregiè inservientia. Ita enim in antecedentibus porrò legitur: *Multi præteritarum* Ibid. c. 22.
rerum ignari, quidam etiam dissimulatores suæ scientiæ, si temporibus Christianis aliquod bellum paulo diutius trahi vident, illico in nostram religionem proterviissimè insiliunt, exclamantes, Quod si illa non esset, & ritu veteri numina colerentur, jam Romana virtute illa, quæ adjuvante Marte & Bellona tanta celeriter Bella confecit, id quoque celerrimè finiretur. Recolant igitur, qui legerunt, quàm diuturna bella, quàm variis eventibus, quàm luctuosis cladibus à veteribus sint gesta Romanis, sicut solet orbis terrarum, velut procellosissimum pelagus, variâ talium malorum tempestate jactari, &, quod nolunt, aliquando fateantur, nec insanis adversus Deum linguis se interimant, & decipiant imperitos. Qui pinguiorem non habent, etsi non Rhinocerotis nasum, facili vident operâ, quo hæc Augustini monita modo ad præsens institutum referri possint ac debeant, quæ per indirectum ipse Bellarminus suggessit, dum hujus sancti Patris authoritate felicitatem temporalem pro Ecclesiæ Notâ singulari ausus est venditare & lectori minus cauto commendare. Et si præter alia hoc in specie de *Civitate Dei* opus diligenti studio evolvamus, plurima adhuc occurrent, quæ nemo non huc pertinere fatebitur ingenuè. Videbimus aliqua saltem, ut ditissimum cornu copiæ Augustinianæ hinc quoque luculenter adpareat. Mox sub initium hujus splendidissimi operis, hanc ipse sibi format ex mente aliorum augustus Doctor objectionem. *Cur divina Misericordia ad impios etiam ingratosque pervenit?* lib. 1. cap. 8.
Et respondet ex sententia optimi Doctoris Christi: *Cur putamus, nisi quia eam ille præbet, qui quotidie facit oriri solem suum super bonos & malos, & pluit super justos & injustos? Quamvis enim quidam eorum ista cogitantes pœnitendo ab impietate se corrigant, quidam verò, sicut Apostolus dicit, divitias bonitatis & longanimitatis Dei contemnentes secundum duritiem cordis sui & cor impœnitens thesaurizent sibi iram in die iræ & revelationis justi Judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus; tamen patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos, itemque misericordia Dei faciendos amplectitur bonos, sicut severitas Dei puniendos corripit malos. Placuit quippè Divinæ Providentiæ, præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti; & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni, vel justi. Ista verò temporalia bona & mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius adpetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque adficiuntur. Interest autem plurimum, qualis sit usus vel earum rerum, quæ prosperæ, vel earum, quæ dicuntur adversæ. Nam his bonis temporalibus nec bonus extollitur, nec malis frangitur; malus autem ideò hujuscemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur.* Non repeto nunc ea, quæ supra ad tertiam Ecclesiæ Notam de diuturna duratione prolixius citata sunt hujus augusti Doctoris ex hoc etiam opere testimonia, duarum Civitatum, Dei nimirum & Satanæ, rationem status in hoc Mundo describentia, unum addere contentus, quod in posterioribus libris, & quidem in fine libri post decimum octavi legitur: *Illa, quæ terrena est, fecit sibi, quos*

quos voluit vel undecunque, vel etiam ex hominibus falsos Deos, quibus sacrificando serviret; illa autem, quæ cœlestis peregrinatur in terrâ, falsos Deos non facit, sed à vero Deo ipsa fit, cujus verum sacrificium ipsa sit. Ambæ tamen temporalibus vel bonis pariter utuntur, vel malis pariter adfliguntur, diversa Fide, diversa Spe, diverso amore donec ultimo supplicio separentur, & percipiat unaquæque suum finem, cujus nullus est finis. Prætermitto etiam ea hinc inde in hoc opere testimonia, quibus pro Christianorum innocentia agit, ut à gentilium calumniis & accusationibus iniquis eos liberaret, per quas omnium publicarum calamitatum causæ & infelicitates illorum temporum more antiquo in illos sunt ob abdicatum Deorum & Idolorum gentilium cultum rejectæ & derivatæ, in quo labore non unum ex Ecclesiæ Doctoribus antiquis habuit Antecessorem sed nec alia hujus sancti Doctoris scripta jam advoco, quæ non pauca suppeditare possent, Bellarmini & sequacium pro temporali felicitate tanquam singulari Ecclesiæ nota, unde possit & de jure debeat cognosci, pugnantium imprudentiam & temeritatem seriò & severè castigantia, ne videlicet multitudine testimoniorum lectoris patientia obruatur, resque per se non adeò difficilis suspecta eidem fiat, si præter necessitatem tantis viribus, totque armis sententia quam-maximè improbabilis oppugnetur & impugnetur. His certè è solo opere de *Civitate Dei*, ad quod Bellarminus ipse nos deduxit, laudatis & omninò sufficientibus, si inprimis addantur, quæ idem sanctus Pater in prolixissima ad Honoratum Epistolâ, quæ post centesimam ordine & numero est vigesima, de hac Quæstione proposuit, ad rem ipsam contra adversarios felicitatis temporariæ jactatores conficiendam nihil erit super, nisi ut Bellarminus tanquam Goliathus suo etiam cadat gladio, suamque gloriationem experiatur fuisse vanam, dum contra semet ipsum sufficientia nobis subministravit arma, quibus eam sine omni difficultate licebit prosternere. Ubi enim de prospero Anti-Christi successu contra *Illyricum* agens tertium sibimet ipsi objecit ex eo argumentum, quod nimirum juxta Danielis Vaticinium Antichristo prosperè sit successurum, donec ira Dei finiatur, sequentem in modum ad id respondit: *Quid si nos contra demonstremus, huic tertiæ Anti-Christi Notæ notam planè contrariam Papæ convenire. Nam ab eo tempore, quo per vos Papa esse cœpit Antichristus non modo non crevit ejus imperium, sed semper magis atque magis decrevit. Leonis enim Magni tempore, id est, annis centum quinquaginta ante, quàm Antichristus vestrâ sententiâ nasceretur, Romanus Papa pluribus præsidebat gentibus, quàm Romani sese Imperii fines extenderent. At postea regnante (ut vos vultis) Antichristo paulatim amisit Romana sedes Africam penè totam, maximam Asiæ partem, Græciam quoque universam. Nostris verò temporibus, quibus vos Antichristum maximè vociferamini furere, tam prosperè illi omnia successerunt, ut magnam Germaniæ partem, Sveciam, Gothicam, Norvvegiam, Daniam universam, bonam Angliæ, Galliæ, Helvetiæ Poloniæ, Bohemiæ ac Pannoniæ partem amiserit. Itaque si prosperè agere nota est Antichristi; non Papa, qui tot Provinciis exutus est, sed Lutherus, qui prædicatione carnalis libertatis tot populos seduxit & tam prosperè egit, ut ex privato Monacho totius Germaniæ Propheta & quasi Papa quidam evaserit, Anti-Christus meritò dici potest.* Conferantur hæc cum iis, quæ Bellarminus ad Notam Ecclesiæ ultimam de Felicitate temporali observavit, & dissensus lectori non indocto satis erit manifestus. Etsi enim fortè ad tentandam conciliationem dici posset, Bellarminum hic loqui de temporali felicitate eorum in specie, qui Ecclesiam defendunt; ibi autem de ipsius Romani Pontificis statu & respectu, quem olim & nunc diversum fuisse inter indubia poni debet; nemo tamen judicare potens non videt, non omninò tolli hac ratione dissonantiam, si quæ utrobique ad rem ipsam pertinent, ritè attendantur. Ut taceam ipsum Pontificem Romanum quammaximè in numero Defensorum Ecclesiæ collocandum, utpotè qui per aliquot jam secula non clavibus solùm Petri, sed & inprimis Pauli gladio Status sui rationem tueri laboravit, contra eos etiam, qui Christianissimi aliàs & primogeniti Ecclesiæ filii, imò fortissimi ejusdem defensores audiunt, etsi non semper æquo Marte, & minus felici utplurimum eventu, ita ut non rarò plus amiserit, quam adquisiverit, Deo hunc Papo-Cæsareatum posteris in exemplum graviter puniente & ostendente, arma corporalia eorum manibus inidonea esse, qui Spirituales èque Mundanis segregatos se ex officii ratione gloriantur. Et hactenus de Ecclesiæ Notis.

lib. III. de Rom. Pont. c. 21.

vid. Petri de Maria de Conc. Sacerd. & Imp. lib. II. cap. 12.

Quia in hac de Notis Ecclesiæ Romanensis tractatione non pauca sunt producta ad

cta ad sensum operis Augustiniani *contra Epistolam Fundamenti* pertinentia, utpote ad quod Bellarminus hic & ibi provocavit, & in eo præter alia leguntur hæc etiam verba, quæ alias sufficienter explicata ad hunc quoq; locum referuntur merito, quibus Doctor augustissimus est testatus aperte, *ego non crederem Evangelio, nisi me moveret authoritas Ecclesiæ*, & hodierni Ecclesiæ Romanensis Promachi ea ut plurimum in acie prima adversus Evangelicos Doctores solent collocare, quasi omnis spes victoriæ in nuda saltem adlegatione eorum esset sita, non adtentis rerum plurimarum circumstantiis, quæ omnino observari & ponderari debent adcuratissime, ne quid præter mentem sancto Patri adfingatur; placet post plurium è Nostratibus circa hunc locum Monita, adpendicis loco hic subjungere, quæ ante omnes noster *Lutherus* sub initium cœptæ bono cum Deo reformationis, in *resolutionibus suis super Propositionibus Lipsiæ disputatis*, & primo operum *Ienæ* editorum Tomo insertis, ad illius explicationem satis prolixe scripsit, verbis sequentibus: *Dico, esse ejus vulgatam quorundam sententiam hanc*, Evangelio non crederem, nisi crederem Ecclesiæ; id est, *plus Ecclesiæ credo, quam Evangelio.* Et quod hæc eorum (quos in antece- p. 293. b. & sequ.
dentibus proximè vocavit *Iurisperditos adsentatores Theologos*) sit sententia, ex eo patet, quod Papæ hinc tribuunt authoritatem interpretandæ scripturæ, soli etiam; deinde eam opponunt omnibus, quos audiunt vel dubitare, vel reluctari Pontificium vel literis, vel factis, quâ sententia nec Lucifer ipse, nec omnes hæretici simul sumti damnatiorem, imò nec similem cogitaverunt impietatem. Nam hinc sequitur, Papam & Notarios Palatii esse supra Evangelium, ac per hoc supra Deum, cum Lucifer solum æqualis esse Deo fuerit conatus; quâ sententia novâ Papam nobis illum hominem statuunt, de quo dicit Paulus, *Qui extollitur supra omne, quod colitur, aut quod dicitur Deus.* II. Thess. 2.
Ecclesia enim est creatura Evangelii, incomparabiliter ipso minor, sicut Jacobus ait, *Voluntariè genuit nos verbo Veritatis suæ.* Et Paulus, *Per Evangelium vos genui.* Undè idem verbum vocatur uterus Dei, *qui gestamini in utero*, &c. quia scilicet nascimur ex Deo, & portamur verbo Virtutis suæ. Si hoc Isa. 46.
voluisset Augustinus, sicut ei innocentissimo imponunt, quis non Augustini mallet nunquam audivisse nomen? Igitur ad fontem est eundum, scribit enim Augustinus *contra Epistolam Fundamenti Manichæorum*, non Vincentii, ut illi dicunt. Adeò studiosi sunt tum librorum, tum verborum, ut nec ad originem, nec ad sensum curent movere pedem. Denique verba Augustini illi thrasones sic reddunt, *Evangelio non crederem, nisi crederem Ecclesiæ.* Inde nihil mirum, si tantum sit laboratum in hujus dicti intelligentia, & tot sensuum rivulos inde ductos videamus; justus enim labor his est, ut multis torqueantur interpretationibus, qui librum & Authorem non dignantur lectione, sed è suis capitibus conantur divinare undelibet decerptis depravatisque dictis intelligentiam. *Primò*, familiaris tropus est Augustini, dicere, se esse commotum hujus vel illius authoritate, sic enim primo scribit libro retractationum: *Cum legissem nonnullos eloquiorum divinorum tractatores, quorum me moveret authoritas*, &c. Deinde per authoritatem non intelligit potestatem, ut vulgo intelligitur, sed ut Latinissimi, quo modo *Plinius* Vino vel Gemmæ solet præ cæteris authoritatem tribuere, cum nullius sint in alia potestatis, quasi dicas pretiosam opinionem vel valorem. *Secundò*, Ecclesiam hoc loco nec Papam, nec Romam accipit, sed per totum orbem diffusam universalem Ecclesiam, ut mox ibidem dicit, *Evangelio Catholicis prædicantibus credidi.* Est ergo argumentum, scopus & summa Augustini hoc loco ejusmodi, vobis Manichæis non credo, quare, quia in Evangelio nihil de vobis lego. Cum autem Catholici vos per totum Mundum detestentur, Evangelium autem mihi commendent, & constanter ubique prædicent; Evangelio autem non credidissem, nisi totus orbis tam concorditer docens hac authoritate sua me moveret ad credendum, simul eadem moveor authoritate ad vobis non credendum, quia nihil de vobis lego in Evangelio, cui motus authoritate totius orbis credo. Ex quibus clarum est, Augustinum hoc velle, posse scilicet probari tanto omnium consensu Evangelium & Ecclesiam, & improbari hæreses tantæ multitudini contrarias, præsertim, ubi hi, cum quibus agitur, libros acceptant, ex quibus id probatur. Hunc esse sensum Augustini, patebit quibuslibet, qui præcedentia & sequentia conferunt, & scopum Augustini observant. Frustra *Gerson*, frustra *Mayron*, frustra & alii hoc de Ecclesia primitiva, alii de Ecclesia cum Christo Deo incluso intelligunt; nam & in *libris Confessionum* dicit idem, *se non leviter motum ad Christi fidem, quod videret sacris literis à Deo tantum esse datam authoritatem, quod orbe toto haberentur in summo*

autho-

authoritatis fastigio. Ita hic dicit, se motum tanto per orbem populo in Evangelium consentiente, in quo tamen nihil invenisset de Manichæis; ideoque se non posse Manichæis credere, quos illi detestarentur, quos Evangelium videbat ita constanter recipere, ut eorum moveret authoritas ad credendum, hoc esse Evangelium. Neque hoc ergo recte dicitur, quod adprobante Ecclesia noscatur Evangelium, cum de adprobatione nihil dicat Augustinus, præsertim si Romanam intelligas Ecclesiam, sed de multitudine totius orbis quæ res non levis est authoritatis; cùm sine maximo Dei miraculo fieri, tot resistentibus Tyrannis, tot morientibus Christianis, non potuisset, ut Evangelium sic maneret & cresceret. Si enim hoc non vidisset fieri, Evangelio non crederet. Qui hoc? Annon crederet, etiamsi totus orbis insaniat contra Evangelium? Dixi ergo, quod magis loquatur de convincendis hæreticis, & *probanda fide Catholica,* (hoc enim tunc agebat,) *quàm de fide propria,* quæ non ullorum authoritate, sed solo Dei Spiritu oritur in corde, licet per verbum & exemplum homo moveatur ad eam; *sed quia hæreticis hoc exemplo pro fide fortiter resistitur,* quasi diceret, fidem, quam habeo in Evangelium, non possem ita tueri contra vos, *nisi Ecclesiæ ista moveret authoritas.* Et est simile, sicuti Deo non credidissem, nisi Paulo prædicanti credidissem, quia non fides non nisi ex auditu; *quomodo enim credent ei, quem non audierunt,* &c. ita probatio fidei non nisi ab exemplo totius Ecclesiæ per orbem est; quomodo enim persuadebit, etiamsi solus fortissimè credat, nisi proferat & aliorum exemplum, & hoc quo potuit (modo) potentissimum? Igitur, non crederem, necessariò intelligitur, id est, non possum persuaderi & persuadere ad credendum; alioquin diceret falsissimè, *cum solus Spiritus Sanctus quemque faciat credere.* Vides ergo, quàm longe abierint ab Augustino, qui tropum hunc non observarunt, & quàm inepte ad Ecclesiam Romanam & Pontificem Romanum ista sint directa. *Hæc omnia ad dictum Augustini ab adversaria parte vexatissimum Lutherus noster,* in quibus etsi videatur rejicere *Gersonis,* Cancellarii quondam Parisiensis, & aliorum ante se explicationem de *Ecclesia primitiva,* quasi Augustinus de ea hic scripserit; notandum est tamen, Lutherum hic per primitivam intellexisse eam, quæ Christi & Apostolorum tempora proximè est secuta, non verò, quam Augustinus suo tempore audivit, quod integer verborum textus satis docet superque, ideo adductus, ut mens reformatoris Evangelici fieret eo magis manifesta. Hoc nimirum voluit Lutherus, necessum non esse, ut eo usque adscendatur; cum Augustini verba orthodoxo per omnia sensu de tempore tum præsenti possint intelligi, quo videlicet ipse vixit Augustinus, Evangelii veritate nondum tot erroribus corrupta, quot Papatus postmodum seculis invexit sequentibus, ut adeò ab illo tempore ad præsens ratione hujus Motivi non liceat argumentari, hac temporis circumstantia non in tantum modò, sed in totum ferè mutata, ita ut si Augustinus hodie fieret *redivivus,* an præsentem Ecclesiæ Romanensis faciem intueretur, vel qualis ante hoc fuit sesquiseculum, ejus authoritate vix moveri se fineret ad credendum illud Evangelium, quod in Synodo Tridentina sub anathematis pœna fuit propositum. Ego hic eis, quæ alii ad hujus dicti Augustiniani sensum prolixè congesserunt, *Dorscheus* præsertim in peculiari dissertatione hactenus ab adversariis inconcussa, nihil addo præter pauca *Vvesseli,* proximo ante Lutherum seculo florentis, verba, quæ in operibus *Groningæ* antehàc editis ita leguntur: pag. 893. *Illud Augustini verbum de Evangelio & Ecclesia, non amplius probat, quàm continet; originis, non comparationis verbum est, quemadmodum quisque primæ multitudinis credentium rectè potuisset dixisse,* Evangelio non crederem, nisi Petro credidissem. *Sic & ego hodie,* nisi domesticis primum puerulus, & posteà Scholasticis, demùm Ecclesiasticis credidissem, hodie Evangelio non crederem. *Evangelio tamen magis, quàm alicui mortalium multitudini credo, adeoque debeo credere. Quod si sentirem, omnes discredere homines, denuo nihilominus Evangelio, quàm illis adhærerem. Parvulæ nascentis adhuc fidei originem texit Augustinus in verbo hoc suo, non authoritatem Ecclesiæ cum Evangelii dignitate comparat.* Ita hic etiam scriptor; *Lux Mundi* dictus suo tempore, veritati per Dei gratiam mox in publicam redituræ lucem, instar Auroræ præluxit, Augustini mentem orthodoxam exprimens benè satis.

CON-

Controversiæ generalis Secundæ.

De

MILITANTIS ECCLESIÆ MEMBRIS, LIBRI PRIMI

De

CLERICIS,

CAPUT PRIMUM.

De

Nomine & discrimine Clerici & Laici.

QUæstio in hoc capite à Bellarmino tractata, dum plus Nomen Clerici, ejusque significationem, quàm rem ipsam attingit, insuperque Bellarminus nihil habuit, quod ad nomen hoc solis Ecclesiæ Ministris adscribendum ex Augustini authoritate adduceret, nobis ex Instituto parum negotii facit. Hoc tantum silentio prætermittendum non est, etsi in nominibus & vocabulis, ubi de re ipsa constat, difficultates facere non oporteat, Bellarminum, dum Clericos quasi sortem & hæreditatem Domini dicit, vim nominis non exhausisse juxta mentem Augustini, sequentibus verbis explicatam: *Cleros & Clericos hinc adpellatos puto, qui sunt in Ecclesiastici Ministerii gradibus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum.* in Ps. 67. vel 68. Quamvis autem hæc sententia in eo favere videatur Bellarmino, quod vocabulum Clerici solis Ecclesiæ Ministris adtribuatur, id quod ab Augustino in antecedentibus quoque factum est, ad verba Psaltis Regii è versione vulgata, si dormiatis inter medios Cleros, hæc observante: *Magnum aliquod bonum est, dormire inter medios Cleros, quæ nonnulli duo Testamenta esse voluerunt, ut dormire sit inter medios Cleros, in eorum Testamentorum authoritate requiescere, id est, utriusque Testamenti testimoniis adquiescere, ut quando aliquid ex his profertur & probatur, omnis contentio pacifica quiete finiatur. Quod si ita est, quid aliud admonere videtur* (Psaltes) *Evangelizantes virtute multa, nisi quia tunc eis Dominus dabit verbum, ut evangelizare possint, si dormiant inter medios Cleros? Tunc enim eis verbum veritatis datur, si authoritas ab eis duorum Testamentorum non relinquatur, ut ipsi sint & pennæ columbæ deargentatæ, quorum prædicatione in cœlum gloria fertur Ecclesiæ.* Tamen ea postmodum subjungit augustus Doctor, per quæ illud bonum, quod sub elogio Cleri vel Clerorum ibi intelligendum esse vel intelligi posse indicavit, tanquam cunctis fidelibus commune commendavit, scribens: *Iubet scriptura, ut inter medios Cleros dormiant, qui vel sunt pennæ columbæ deargentatæ, vel ex hoc eis præstatur, ut sint. Porrò si isti Cleri significant duo Testamenta, quid aliud admonemur, nisi ut Testamentis inter se consentientibus non repugnemus, sed intelligendo adquiescamus, nos q; simus eorum concordiæ signum atque documentum, cum alterum adversus alterum nihil dixisse sentimus. Cur autem in Cleris Testamenta intelligantur, cùm hoc nomen Græcum sit quidem, sed Testamentum non ita dicatur; hæc causa est, quia per Testamentum datur hæreditas, quæ Græcè adpellatur κληρονομία & hæres κληρονόμος, Cleros autem sors Græcè dicitur, & sortes ex promissione Dei partes hæreditatis vocantur, quæ populo sunt distributæ. Vnde tribus levi præcepta est non habere sortem inter fratres suos, quod ex eorum decimis sustentaretur.* In sequentibus hæc addit: *Proinde propter hæreditatem, quæ sit Testamento, nomine Clerorum ipsa Testamenta sunt significata; quanquam mihi & alius hic occurrat sensus, nisi fallor, anteponendus, ut Cleros multò probabilius ipsas hæreditates intelligamus. Hoc est, quantum mihi videtur, dormire inter medios Cleros, id est, inter medias hæreditates, nondum in re, sed tamen in spe cœlestis hæreditatis habitare, & à terrenæ felicitatis cupiditate jam conquiescere. Cum autem ve-*

tem venerit, quod speramus, non jam inter duas hæreditates requiescemus, sed in nova (&) vera, cujus umbra vetus erat, regnabimus. Quid circa hæc Augustini observandum de jure sit, hic ob brevitatem, & quia primariò huc non pertinet, prætermitto, illud tantum monens, Bellarminum quoque in explicatione hujus Psalmi, prolatam ab Augustino de duobus Testamentis sententiam, præter Augustinum aliis etiam scripturæ & Psalterii expositoribus Græcis & Latinis, nominatim *Hieronymo, Theodoreto & Euthymio* adscribere, neque eam, utpotè communi receptam consensu, putare absurdam, quia, inquit, *Clerus sortem, possessionem & hæreditatem significat, scripturæ autem divinæ sunt quædam possessio & hæreditas Ecclesiæ.* Hoc autem quid aliud est, quàm sortem hanc facere bonum Doctoribus & auditoribus commune? Et ad hanc Augustini sententiam magis illustrandam pertinet, quod *Esthius* ad illum
1. Epist. 5. Petri locum observavit, qui in hac Quæstione est vexatissimus, & quem Bellarminus modis omnibus ad suum laboravit trahere propositum; concedens quidem, *multos Latinorum Clericos interpretari Ecclesiasticis Ministeriis deputatos, è Græcis quoque Oecumenium, & huc citari Hieronymum; veruntamen longè probabilius esse, per Cleros intelligi gregis Dominici portiones, quæ singulis Episcopis pascendæ & regendæ velut sortito obtigerunt, juxta id, quod Cyprianus dicit, Ecclesiam esse unam, cujus singulas portiones singuli in solidum teneant Episcopi.* Addit ex mente sancti Patris: *Phrasis est desumta à sorte, nam Clerus sortem significat, qua veteres ex Dei præcepto in distribuenda utebantur terra, singulis in possessionem, hinc enim partes, quæ singulis obvenerant, κλῆροι, id est, sortes vocabantur. Sanè totum gregem nomine Cleri hic intelligi, satis arguit adversativa, quam Petrus facit?* Non dominantes in Cleris, sed forma facti gregis, *tanquam idem sit Clerus & Græx. Quapropter & Syrus Interpres pro Cleris gregem scripsit:* non tanquam Domini gregis. *Denique nec consuetum est Clericos adpellare cleros pluraliter, sed clerum, nomine collectivo. Proinde non dubitamus, hunc intellectum, quo Cleri vocabulum extenditur ad totum gregem cuique Episcopo adtributum, priori anteponere, secuti Authores, qui sic intellexerunt, Cyrillum, Alexandrinum, Bedam, Cajetanum, Gagnæum, Titelmannum, nec non Iansenium; quibus adde Erasmum, Vatablum, Immanuelem Saa.* Etsi autem, ut jam monui, in vocabuli hujus significatione Ecclesiastica, qua Doctoribus solùm adtribui solet, non adeò difficiles essent Evangelici; quia tamen aliud quid à Romanensibus hic attenditur, & per auditorum exclusionem Magisteriale (vel potius Magistrale) aliquod imperium quæritur, quo Privilegia toti Ecclesiæ à Christo concessa ad eos tantum pertinere dicuntur, qui soli hoc elogio superbire desiderant, per quæ communia Ecclesiæ bona, nominatim lectio scripturæ, calicis Dominici in S. Eucharistia participatio, aliaque plura Laicis ita dictis tanquam indignis auferuntur & denegantur, nullo plane modo consentire possunt evangelici, hæreditatem Dominicam pro Ecclesiæ bono communi agnoscentes & defendentes.

vid. D. Meisn. Philos. sobr. part. III. p. 459.

CAPUT SECUNDUM & seqq.

De

Institutione Ministrorum Ecclesiæ.

ANte omnia hic notandum venit, Bellarminum, id quod à plerisque aliis hujus Controversiæ tractatoribus fieri solet, vocationem cum ordinatione turpiter confundere, hacque etiam ratione lectori fucum facere, dum tamen longè aliter de hac, quàm illa judicari debeat, ut in progressu videbitur. Ut autem quam defendendam suscepit Bellarminus sententiam, pro viribus tueatur, octo Propositiones format, quas, quantum ratio Instituti & Augustini authoritas requirit, examini sed brevissimo subjiciemus. Prima propositio hæc est: *Ordinationem tum Episcoporum, tum aliorum Ecclesiæ Ministrorum, non ad plebem, sed ad solos pertinere Episcopos.* Observa, lector veritatis studiose, ordinationem Ecclesiæ Ministrorum ex Evangelicorum quoque sententia ad plebem non pertinere, ubi nimirum omnia ordine agi possunt, ac Ecclesia in pacato vivit statu. Dum verò Bellarminus eam ad solos trahit Episcopos, exclusa non solùm plebe, sed & cæteris omnibus Ecclesiæ Ministris, qui in hoc speciali significatu non dicuntur Episcopi, ab hoc ordinationis officio remotis, injuriam facit Ecclesiæ, quæ ex Institutione Dominica discrimen hoc non agnoscit. Quæcunque enim à Bellarmino ad Monopolium hoc Episcopale adstruendum vel ex S. Literis, vel ex scriptis Patrum sine judi-

judicio & accuratâ mentis trutinâ colligit, id planè non evincunt. Nobis nunc Augustinus saltem vindicandus est, de quo dum scribit, *quod Mosen Sacerdotem & Pontificem fuisse testetur*, adeoque eum ut Sacerdotem & Pontificem ordinasse & consecrasse Aaronem & filios ejus, primos Veteris Testamenti Sacerdotes, supra jam non semel, inprimis ubi de regimine secularium in Ecclesia egimus, ostensum fuit, quid de illa Augustini sententia sit statuendum. De cætero, quod ad Augustini quoque authoritatem pertinere censet Bellarminus, quæ de consecratione Episcopali in quibusdam Conciliis Carthaginensibus, quamvis tantum nationalibus. Augustini tamen præsentia ac suffragio illustratis, fuerunt decreta, Evangelicis non obest, nec Augustini authoritatem nobis eripit, qui hanc Episcopalem consecrationem Augustini tempore per Conciliarem consensum solis adscriptam Episcopis non inficiamur, sed hoc tantum negamus, indè probari posse, factum id ex Dominica Institutione, neque id ullibi Concilia à Bellarmino laudata exhibent. Augustinum porrò quod concernit, quem Bellarminus ibidem inter eos Ecclesiæ Doctores recenset, de quibus audacter scribit, *quod constanter doceant, solius Episcopi esse, initiare sacris sive Presbyteros, sive Diaconos, sive ipsos etiam Episcopos, neque id ullo modo Presbyteris licere*; non hanc ejus mentem fuisse constabit, ubi locum, ad quem Bellarminus digitum intendit, ritè adspexerimus; ad minimum, Presbyteros ibi ab imitatione aliorum Presbyterorum & Diaconorum (ut de consecratione Episcoporum in specie non dicam) non excludi, id quod Bellarminus sumserat demonstrandum. Illud nimirum habet sanctus Pater ibi, ubi Bellarminus eum Presbyteros ab omni initiatione Ministrorum Ecclesiæ excludere dixit: *Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem habere, ut non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi, Episcopum Ecclesiæ Carthaginensis ordinent, sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus.* Nihil hic de consecratione Presbyterorum & Diaconorum, quam Presbyteris tanto conatu denegare studet Bellarminus, qui simul ad locum in hoc Augustini scripto parallelum manu nos ducit, in quo sanctus Pater memorat, *quod in primi diei collatione inter alia quintò recitatæ etiam sint Catholicorum literæ, quas rescripserint cognitori, sicut edicto commonuerat, insinuantes, consentire se ad omnia, quæ illo edicto fuerant ordinata; in eisdem se obstringentes etiam & pollicentes, si in parte Donati veritas eis demonstraretur Ecclesiæ, non se illic Episcopalem quæsituros honorem, sed Concilium eorum secuturos pro salute Christiana. Si autem in sua potius communione veritas ostenderetur Ecclesiæ, honores Episcopales eis se non negaturos, & hoc à se fieri bono pacis, ut intelligerent hi, quibus hoc præstaretur, quod in eis Catholici non Christianam consecrationem, sed humanum detestarentur errorem. Quod si plebs duos in Ecclesia Episcopos ferre non posset, utrisque de medio recedentibus singuli constituerentur Episcopi, ab eis ordinandi Episcopis, qui in suis plebibus singuli invenirentur.* Egregius omninò locus & notatu ante plures alios dignissimus, qui etsi inter alia Episcopalem inprimis ordinationem videatur commendare, non tamen videre licet, excluisse Augustinum, vel Catholicos eo narrante Episcopos, à consecratione Episcopali Presbyteros omninò, vel ordinationem Presbyterorum & Diaconorum ad minimum Presbyteris denegasse; ut taceam, nullam Institutionis Dominicæ in toto hoc negotio mentionem fieri, quæ tamen ad Controversiæ statum ritè formandum quam-maximè pertinet, & in quâ cardo quæstionis vertitur. Notari autem probè debet, utut tempore Augustini ordinatio sive consecratio Sacerdotalis utplurimum ab Episcopis facta fuerit, non tamen hunc morem ita fuisse in Ecclesia universalem, ut non à Presbytero etiam fieri potuerint, si modò fides habenda Authori Quæstionum ex utroque Testamento, quem sub Augustini nomine & authoritate Bellarminum & alios Scriptores Pontificios non semel citare, supra jam dictum est. Scribit is expresè, *in Alexandria & per totam Aegyptum, si desit Episcopus, consecrare Presbyterum.* Et ne de alia, quam consecratione & ordinatione Ministrorum Ecclesiæ loqui videatur scriptor Augustinianus, in proximè antecedentibus clarè satis indicat, scribens: *Presbyterum intelligi Episcopum, probat Paulus Apostolus, quando Timotheum, quem ordinavit Presbyterum, instruit, qualem debeat creare Episcopum. Quid est enim Episcopus*

conf. D. Hülsem. de Consecr. num. 42.

Brevic. Collat. cum Donat. colat. III.

Quæst. tot conf. Bloud. Apol. pro Hier. p. 61.

vid. Salmas. Adpar. de Primat. Papæ, p. 81. seqq.

nisi primus Presbyter, hoc est, summus Sacerdos. Gratius est hoc testimonium ideò, quia ad sequentem de distinctione Episcopi & Presbyteri Controversiam inservire etiam poterit. Nunc id tantum ea inter in antecessum additur, in editione operum Augustini, quæ ante hoc seculum Parisiis prodiit, ad marginem hujus Quæstionis observari, *Auctorem hoc imitatum esse ex Hieronymo & Ambrosio*, atque adeo majoris æstimari debere. Secunda propositio est: *Vocatio seu missio Ministrorum non ad populum pertinet, sed ad Episcopos, & potissimum ad summum Pontificem.* Atqui hæc propositio quoad primam iterum partem directè evangelicis non opponitur, quibus nunquam venit in mentem, vocationem Ecclesiæ Ministrorum populo adscribere, cui pars tantum aliqua in hoc negotio attribuenda est, nimirum consensus & testimonium, id quod ei tempore Augustini denegatum non fuisse, ad septimam propositionem ipso teste Bellarmino docebimur, cujus hic non prætermittenda est præposteritas, prius de ordinatione, quàm ipsa Vocatione agentis, cùm tamen hæc jure meritissimoque suo præmitti debuerit, utpotè naturâ ordinationem antecedens, quamvis hæc non adeò magni res sit momenti. Tertia jam sequitur propositio: *Vocatio Ministrorum Ecclesiæ non fit à solo Deo.* Formavit eam Bellarminus, ut ex antecedentibus patet, contra Johannem Quidesum & Hussum. Non autem opus fuisset, prolixè id excutere, si distinctionem inter vocationem mediatam & immediatam, ordinariam & extraordinariam attendere hic voluisset Bellarminus. Nec quidquam juvat eum, quod probationis loco inter alia ex Augustino etiam adduxit, *homines malos esse posse veros Episcopos, si legitimè eligantur.* Quid enim, ut exemplo illationis vanitas ostendatur, annon Judas legitimè fuit electus, & immediatè quidem ac extra ordinem, sicut cæteri etiam Apostoli, à Christo Dei Filio, homo quamvis pessimus, & cui nunquam nasci, ipsius vocantis judicio, melius fuisset? Ratio, quam subjungit Bellarminus, nulla prorsus est: *Si solus eligeret Deus Ecclesiæ Pastorem, aut id faceret sola voluntate sua, sine ullo signo externo & visibili, aut certè visibili aliquo signo. Si primum adfirmetur, quid nobis ejusmodi electio prodesset; nunquam enim sciremus, quis Ecclesiæ Pastor esset? Si secundum, aut signum illud esset prodigiosum ac præter ordinem Naturæ, aut certè loco signi accipiendæ essent sortes.* An enim par est atque justum, duplicis modi fictione Deo immediatè & extra ordinem Ecclesiæ Ministros quandoque vocanti terminos ad humanæ rationis lubitum statuere; quasi is pro sapientia interminabili non tertium & quartum, quin imò plures etiam posset advocationis Ecclesiasticæ immediationem adhibere, qui hominum sapientissimis etiam anteà nunquam venerant in mentem, ut & hic agnoscatur, alias esse Dei, alias verò hominum cogitationes? Et quia ad modum, qui sortes juxta vocationem Apostoli Matthiæ extraordinariam exhibet, Bellarminus ex Augustino monet, sortibus utendum esse in ejusmodi casibus, id tantum moneri debet, aliam omninò esse rationem casuum, de quibus in locis à Bellarmino citatis agit Augustinus, aliam verò, de quo in præsenti circa electionem Ecclesiæ Ministrorum agitur. Et prior quidem plane est impertinens, qui sic habet: *Omnes æquè diligendi sunt homines, sed cùm omnibus prodesse non possis, potissimum his est consulendum, qui pro locorum & temporum & quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi sorte quadam junguntur. Sicut enim, si tibi abundaret aliquid, quod dare oporteret ei, qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret, nihil justius faceres, quàm ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari utrique non posset; sic in hominibus, quibus consulere nequeas omnibus, pro sorte habendum est, prout quisque tibi colligatius temporaliter adhærere potuerit.* Posterior autem casus etsi de Ministerio Ecclesiæ sit conceptus, de conservatione tamen ejusdem agit potius, quàm de nova Pastorum electione. Tractat ibi sanctus Pater & distinctius explicat quæstionem, quibus, quando & quomodo fugiendum sit imminente periculo? In hujus Quæstionis enucleatione incidit sequens casus, à Doctore augusto per sortis „ commendationem decisus: *Si inter Dei Ministros* indè sit disceptatio, qui eorum „ maneant, ne fuga omnium; & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur „ Ecclesia; (tale certamen quippè erit inter eos, ubi utrique ferveant charitate, & „ utrique placeant charitati.) Quæ disceptatio si aliter non potuerit terminari, quan-

lib. I. de Doctr. Christ. cap. 28.

Epist. 180. ad Honor. conf. D. Dannh. Colleg. Decal. p. 276. edit. poster.

„ quantum mihi videtur, qui maneant & qui fugiant, sorte legendi sunt. Qui „ enim dixerint, se potius fugere debere, aut timidi videbuntur, quia imminens „ malum sustinere noluerunt; aut arrogantes, quia se magis, qui servandi essent, ne„ cessarios Ecclesiæ judicarunt. Deinde fortassis ii, qui meliores sunt, eligent pro „ fratribus ponere animas; & hi servabuntur fugiendo, quorum vita minus est uti„ lis, quia minor consulendi & gubernandi peritia, qui tamen, si piè sapiunt, contra„ dicent iis, quos vident & vivere potius oportere, & magis mori malle, quàm fu„ gere. Ideò, sicut scriptum est, contradictiones sedat sortitio, & inter potentes „ definit. Melius enim Deus in hujusmodi ambagibus, quàm homines, judicat, „ sive dignetur ad passionis fructum vocare meliores, & parcere infirmis; sive istos „ facere ad mala perferenda fortiores, & vitæ huic subtrahere, quorum non potest „ Dei Ecclesiæ tantum, quantum vita illorum prodesse. Res quidem fiet minus „ usitata, si fiat ista sortitio; sed si facta fuerit, quis eam reprehendere audebit? quis non eam, nisi imperitus aut invidus, *congrua prædicatione laudabit*? Placuit hosce casus integro textu ex Augustino huc adponere, quia, etsi ad præsens Institutum, ut jam monui, impertinentes, aliàs tamen ne omninò negligantur, non plane nullius operæ videtur pretium. An verò in ipsa ad Ecclesiæ Ministerium electione sortitio hæc locum haberi possit, alia plane est Quæstio, Evangelicis quibusdam Doctoribus, sine tamen præjudicio, statuentibus, *quod etsi Canones prohibeant, si personæ in bonis, eruditione, & moribus sibi æquales occurrant, & quæ alteri præferenda sit, dubitetur, sorte rem decidi; postulante tamen necessitate, & cum alia ratione ad electionem perveniri nequeat, usurpari sortem posse, modo eam ad rem cum verâ devotione & invocatione nominis divini accedatur, & totius Ecclesiæ consensus, ut per sortem fiat decisio, accedat, & de utriusque eruditione & habilitate constet exactè.* Videat hic, quicunque judicii acumine pollet, annon in tali casu electio fiat & dependeat à solo Deo, per sortis directionem Ecclesiæ suam revelante voluntatem; & annon hæc electio ad eos referri possit & debeat casus, in quibus licitè sortibus utendum duce Augustino docuit Bellarminus? Prætermissa nunc propositione quarta, qua statuitur, *Non decuisse Christianos Sacerdotes carnali successione propagari*, utpote ad præsens Institutum non pertinente, & in cujus explicatione nullum ab Augustini authoritate subsidium adparet, ad quintam progredimur, quæ sic habet: *Ius eligendi summum Pontificem cæterosque Ecclesiæ Pastores & Ministros populo non convenit jure divino, sed si quid aliquando in hac re populus potuit, id totum habuit ex conniventia vel concessione Pontificum.* Quid ad priorem hujus propositionis partem moneri debeat, ad secundam propositionem dictum est. Quoad posteriorem verò proximè erimus solliciti, ubi sententia Augustini de Jure & potestate clavium toti Ecclesiæ commissarum vindicabitur. Ea inter, ne ordinem à Bellarmino observatum turbemus, ad id attendendum, quod ex Augustino de inconvenientia & tumultibus ex populari electione provenientibus in medium protulit, duas ex eo citans Epistolas, non unius tamen per omnia ejusdemque argumenti. Probare nimirum voluit Bellarminus, *electionem popularem esse obnoxiam tumultibus atque seditionibus*, inque eum finem adducit *primò* Epistolam Augustini post centesimam numero & ordine decimam. Impertinenter omninò & præter rem à Bellarmino hanc Augustini Epistolam fuisse citatam, constabit, si ea exinde perpendamus verba, quæ *Espencæus* ante hoc seculum, & quod excedit, ibi voluit legi, ubi de successorum in Sacerdotiis designatione, antehac non adeò inusitata, ex professo egit, Augustinum sequenti modo auditores adloquentem introducens: *Fratres mei, Dei servi in Milevitanâ Ecclesiâ post obitum Coepiscopi mei Severi, non-nullam ibi turbationem timentes, me, ut venirem, petierunt. Veni, & Domino nos adjuvante cum pace Episcopum acceperunt, quem vivus designaverat Severus, cujus illi præcedentis & decedentis voluntatem libenter sunt amplexi. Minus tamen aliquid factum erat, unde non-nulli contristabantur, quia apud Clericos designare successorem putans sufficere, populo inde locutus non erat; inde non-nulla quorundam tristitia. Quid plura? Deo placuit, tristitia est fugata, gaudium successit, ordinato, quem præcedens Episcopus designarat, Episcopo. Ne qui ergo de me querantur, voluntatem meam, quam Dei esse credo, in omnium vestrum* (nominantur autem ibi præsentes Coepiscopi duo & Compresbyteri septem) *notitiam profero: Presbyterum Eradium mihi successorem volo. Non opus, me de laudibus ejus dicere, faveo sapientiæ, parco verecundiæ; nostis enim,*

vid. D. Baldoin. de Casib. Consc. lib. III. cap. 6. quæst. 9. conf. Carpzov. Defin. Eccles. Consist. lib. 1. Tit. 4. Defin. 45. §. 7.

Digress. ad epist. prior. ad Timoth. lib. III. cap. 21.

enim, hoc mè velle, quod vos velle scio. Si ante nescirem, hodie probarem. Confirmet Deus, quod operatus est in nobis. Qui mihi eum misit, eum servet incolumem sine crimine, ut qui facit gaudium viventis, locum suppleat morientis. A populo plus minus centies toto tempore illo adclamatum: Deo gratias, Christo laudes, Augustino vita, judicio tuo gratias agimus, dignus est, justus est, fiat, fiat; olim dignus, olim meritus, exaudi Christe, Eradium conserva. *Ad hæc Augustinus, Ecclesiastica conficimus gesta, Ecclesiæ Notarii excipiunt, quæ dicimus, & meus sermo & vestræ adclamationes in terram (non) cadunt; sic esse, & quantum ad homines attinet, confirmatum volo. Adclamatum, &c. Tum ille: Video, me hac de re, ob quam vos invitavi; omnia vobiscum egisse, quæ debui; hoc ultimum rogo, his gestis subscribere dignemini, qui potestis. Hac mihi responsione vestra opus, hanc teneam, de hac adscensione adclamate. Adclamatum, cumque reticerent, inquit, benè habet, ut quæ Dei sunt, in ejus sacrificiis agamus, omnibus vestræ supplicationis hora, causis atque negotiis intermissis, pro Ecclesia, pro me, pro Presbytero Eradio precem Domino fundatis.* Hæc per compendium ex prolixiori narratione Doctor Sorbonicus, ad quæ etiam digitum intendit nuperus
lib.6.c.8. scriptor Gallus, *Petrus* de *Marcâ*, Archiepiscopus Parisiensis, in de *Concordia Sacerdotii & Imperii* opere, ubi de resignationibus Episcopatuum & successorum designationibus egit, occasione hujus non solùm adducens exemplum Augustini, ab antecessore Episcopo Hipponensi Valerio adhuc vivo in Coepiscopum electi, *ut non tam succederet; quàm accederet*, cujus supra etiam mentio est facta occasione Canonis Nicæni, prohibentis, *ne duo Episcopi in una essent Ecclesia*,
NB. de quo idem Præsul observavit, *quod per eum in electione Successoris nihil fue-*
NB. *rit reprehensum, modo cum consensu Cleri & plebis fieret, id est, eorum, ad quos jus eligendi pertinebat*; sed & ejusdem Augustini exemplum addens, sibi quoque adhuc vivo in plenario Ecclesiæ cœtu successorem constituentis Eradium, & efficientis, *ut electioni huic accederet Cleri & populi Hipponensis consensus.* Ut autem impertinentia citationis Bellarminianæ fiat manifesta, notandum est, de triplici Electione agi in laudata Augustini Epistola, vel historica potius narratione, Augustini Epistolis inserta, & in nullius descriptione seditionis vel tumultûs fieri mentionem, cujus gratiâ popularis electio malè possit audire; in primâ quidem, quæ in Ecclesia Milevitana præsente Augustino est facta, metum fuisse alicujus turbationis, sed non ab ipsa electione populari, sed potius indè provenientis, quod severus decedens Episcopus suam de successore voluntatem Clericis solùm, & non populo etiam significarit, ad quos tamen, *Petro Marcâ* teste, tum temporis eligendi jus pertinebat, de quo proximè Bellarminum quoque confessorem habebimus, qui dum ea inter *Secundò* ad aliam Augustini Epistolam provocat, turbulentissimæ commotionis in electione quadam populari historiam recensentis, videndum est, num ea commotio turbulentissima electioni præprimis populari sit adscribenda, & annon aliud quid interve-
num.225. nerit, undè illa commotio turbulentissima orta fuit. Totum hujus rei seriem exhibet Augustinus in epistola per Bellarminum citata, quam ad Altinam scripsit de filii Piniani ad ordinationem electione populari, ubi exponit non solùm causas hujus commotionis turbulentissimæ, nimirum, quod Pinianum non nisi invitum populus ad ordinationem cogere voluerit, cujus rei plura ex antiquitate exempla, nominatim de Augustino etiam invito ad Presbyteratum tracto, recensetlaudatus de Marca; sed & causam, ob quam dictus ille Pinianus ordinari noluerit, ad
lib.8.c.6. Ecclesiam videlicet Hipponensem, nimirum ob metum, *ne quis irruisset hostilis incursus, qui esset discessione vitandus*, de quo ipse Augustinus judicavit, *gravem ab illo & non contemnendam causam necessitatis ingestam, quæ cives etiam emigrare compelleret.* Videre hinc non obscurè datur, non tam ipsam electionem popularem huic commotioni turbulentissimæ occasionem præbuisse, quàm quod suffragiis populi ad ordinationem electus ordinari noluit, quem tamen omnibus modis desiderarunt & expetiverunt. Anne ergò ob interveniens quoddam accidens electio popularis cum aliqua commotione facta, plebi, tanquam maximæ parti Ecclesiæ, jus ipsum, quod eam in hac actione cum aliis habere, ex Augustino statim indicabitur, planè auferet, eamque privabit Privilegio, quod à Christo Ecclesiæ Archi-episcopo cum aliis accepit commune? Si ita argumentari licet,

licet, multò magis ipsum hoc Privilegium iis erit adimendum, per quos non uno saltem modo in constitutione Ministrorum Ecclesiæ peccari, notius est, quam ut per exempla demonstrari sit necessum. Quid super ea re suum monuerit Principem *Caussinus* scriptor Theologo-Politicus, in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* una cum pluribus huc pertinentibus indicatum est. Nunc Augustinus erit vindicandus, ubi unius tantum testimonii de electionibus Ministrorum Ecclesiæ per Episcopos factis minus ordinatis, quod *Didacus Stella*, Ordinis Minorum, suis in Lucæ Evangelium enarrationibus cum pluribus aliis similibus inseruit, fecerimus mentionem, sequentem in modum concepti: *Hodie multæ sunt Ecclesiæ, quæ Clericis insipientibus & ineptis plenæ sunt; qui, cum nec sacros Canones, nec Theologiam, nec Grammaticam didicerint, in sacros Ordines promoventur.* ad cap. II. p. m. 103. Et iterum post aliqua: *Multæ sunt Ecclesiæ pueris & adolescentibus indoctis plenæ. Nam Episcopi & Canonici suas resignant præbendas in consobrinos & consanguineos suos, cum multi sint Doctores Theologi & Viri probi versantes in Academiis, qui nec bucellam panis in victum habeant.* Sed ad Augustinum ab exceptione Bellarminiana vindicandum veniamus. Dum enim ad argumenta pro totius Ecclesiæ consensu in electione Pastorum ab Evangelicis Doctoribus laudari solita respondere conatur, primo statim loco occurrit, quod de clavibus regni cœlorum Petro commendatis Matthæus memorat, de quâ actione Augustinus observavit: *Quando dictum est Petro, tibi dabo claves regni cœlorum, &c. universam significabat Ecclesiam.* cap. 16. Cui parallelum est, quod idem Doctor augustus alibi, ob parallelum ejusdem Evangelici scriptoris locum, notanter scripsit: *Christus claves suæ dedit Ecclesiæ, ut quæ solveret in terra soluta essent in cœlo; & quæ ligaret in terra ligata essent in cœlo.* Tract 124. in Joh. Alia his similia non pauca ex hoc Patre sancto collegit Sorbonista *Launojus* eo in loco, unde suprà, ubi de clavibus regni cœlorum Petro datis ex professo fuit actum, plurima in rem præsentem legunter citata. lib. I. de Doctr. Christ. cap. 18. Bellarminus quod ad hanc Augustini authoritatem exciperet vel opponeret, aliud nihil habuit, quàm, *Augustinum propterea dicere, quod Petrus in persona totius Ecclesiæ claves acceperint, quia in totius Ecclesiæ commodum & utilitatem eas acceperit, & quia non solus illa usurus illis erat, sed transmissurus (eam potestatem) ad successores, & communicaturus cum aliis omnibus Episcopis & Presbyteris.* Sed si Bellarminus posteriorem Matthæi locum, ad quem etiam Augustinum respexisse diximus, ritè attendisset, mentem sancti Patris ita turpiter pervertere ausus vix fuisset, utpote agniturus, eam potestatem, quam Christus per clavium traditionem Petro in specie commisit, non solum cæteris quoque Apostolis post resurrectionem glorioſam fuisse, communicatam, ut eam cum suis hic & ibi successoribus à Petro tantum accipere opus non habuerint, sed & toti insuper Ecclesiæ vel corpori Ecclesiastico, quod Augustinus expresse testatur, per quod vel quam dum Bellarminus intelligi vult Prælatos, vel quod alibi urget *Ecclesiam repræsentativam*, principium petit atque id præsupponit, quod nondum hactenus est demonstratum. Manet ergo firmum adhuc argumentum: Cuicunque Christus tradidit claves regni cœlorum, ei simul etiam tradidit potestatem vocandi eos, per quos vel quorum ministerio utitur jure suo in administranda clavium potestate. Atqui non Petro soli, cæterisque Apostolis, & eorum in Pastoratu Collegis & successoribus tantum, sed toti etiam Ecclesiæ Christus tradidit claves regni cœlorum, agnoscente & fatente id Augustino. Ergo toti etiam Ecclesiæ simul tradidit potestatem eos vocandi, per quos vel quorum ministerio utitur jure suo in administranda Clavium potestate. Videat nunc, quicunque populum, maximam Ecclesiæ partem, ab electione Pastorum vult excluſum, annon institutioni Pastoris summi & veri animarum Archi-Episcopi hac ratione contradicat, atque Augustinum sibi quam-maximè habeat adversarium, qui jus clavium, & quod ei adnexum est, toti adscripsit Ecclesiæ, ipseque plebem in Electionis Pastoralis negotio, laudabili exemplo, ultrò advocavit & sine omni præjudicio admisit, & quidem more illis temporibus consueto, ut proximè Bellarminum id fatentem videbimus. Quia enim ad Propositionem sextam, quæ est:

Electio Episcoporum non pertinet, jure divino ad Clerum, sed ad summum Pontificem, ut vel ipse eligat vel præscribat eligendi modum, authoritate Augustini munire se non potuit, quem potius quoad utramque ejus partem agnoscere sibi debuisset contrarium, si ea accuratè perpendisset, quæ paulò ante *Espencæum* ex Augustino, de successoris constitutione in Episcopatu, præsentibus Coepiscopis duobus & Compresbyteris, nullâ plane Pontificis Romani mentione facta, memorantem audivimus; ideò ad septimam progredimur propositionem: *Ratio eligendi summum Pontificem per solos Cardinales est omnium optima & meritò conservanda, etsi absolutè Pontifex eam posset mutare, si vellet.* Quamvis enim ipsa propositio ad præsens Institutum pertinere non videatur, quia tamen in ejus explicatione habet aliqua, quæ non præter rem hic attenduntur, inconsultum ea omittere est visum. Nimirum, ut præscriptum in propositione modum eligendi Pontificem per Cardinales firmet Bellarminus, id alia inter demonstrationis loco adfert, *hanc eligendi formam ex omnibus aliis bonis & legitimis formis esse temperatam*, quarum quinque recenset, omnes, præter primam & ultimam, eum Clero populum quoque ad Jus eligendi Pastores & Episcopos, ad minimum pro consensu admittentes, de tertia inprimis agnoscens, *fuisse eam in usu tempore Chrysostomi, Ambrosii*, Augustini, *Leonis, Gregorii*, videlicet, *ut Clerus & populus eligeret*, utut postmodum sibimet ipsi, more non insolito, contradicens moneat, esse formam hanc *omnium maximè incommodam*, quam paulò ante aliis *bonis & legitimis formis* accensuerat, id quod nobis Augustini authoritatem vindicantibus in præsens satis esse potest. Restat octava nunc & ultima propositio: *Si nulla extaret Constitutio Pontificia de electione Pontificis, vel casu aliquo omnes à Iure designati electores*, id est, *Cardinales simul perirent, jus electionis ad Episcopos vicinos & Romanum Clerum pertineret, cum dependentia tamen aliqua à Concilio Episcoporum generali.* Sed cum hujus propositionis tractatio ex Augustini seculo & authoritate nihil plane exhibeat vel exhibere potuerit, silentio eam jure prætermittimus, ad alia facientes progressum.

CAPUT UNDECIMUM & seqq.

De

Numero, Antiquitate & officiis ordinum Ecclesiasticorum.

Quæ de prioribus hujus tractationis partibus, numero videlicet & antiquitate ordinum apud Romanenses Ecclesiasticorum in genere, notari possunt atque debent, præter ea, quæ *Gerhardus* noster solito labore & industria ex variis Pontificiorum scriptoribus novantiquis in *Confessione Catholicâ* collegit, *in Vindiciis Evangelico-Thomisticis* nuper quoque ex *Tannero, Laymanno, Caramuele, Cottono* fuit offensum, ut prolixiori hic non opus sit repetitione, præprimis, cum à parte adversaria nihil hactenus opponi potuerit. Nunc id tantum in gratiam lectoris innocenter curiosi addere juvat, quod *Franciscus Hallier*, Doctor Sorbonicus, in illustri opere *de Hierarchia Ecclesiastica*, quod *Ludovico* inprimis *Cellotio*, scriptori Loyolitico, voluit oppositum, *de divisione Hierarchiæ ratione ordinis in Episcopos, Presbyteros & Ministros*, prolixissimè monuit, authoritatibus Patrum, & inter eos etiam Augustini, non solùm in genere probans, *Episcopalem Presbyteralem & Diaconalem esse veros ordines Hierarchicos, sed & solos ordines istos, non cæterorum (quoque) inferiorum, hierarchicos esse*, idque pluribus argumentis & rationibus, provocans etiam *ad Ecclesiæ ritus, praxin & disciplinam, ternarium hierarchicorum ordinum numerum probantes, ampliorem verò reprobantes*, quorsum præprimis refert, quod hi ordines soli in Conciliis habuerint locum, & decretis Conciliorum nominetenus subscripserint. Et quia, qui septenarium numerum defendunt, non pauca pro defensione ejus objicere solent, & quidem inter alia etiam Augustini authoritatem, non solum Episcopos, Presbyteros & Diaconos, sed & alios sacramentorum ministros populis Christianis præesse in *de moribus Ecclesiæ Catholicæ* libro significantis; hinc idem Doctor Sorbonicus ad quævis, & in specie ad Augustini testimonium respondet, quod dum prolixe nimis ab eo factum est, lector ad ipsum remittitur fontem, ne exscriptio tædium aliquod pariat. Sufficiat nunc ille Doctoris augusti locus, qui dictorum trium ordinum in specie facit mentionem, significantis, *Nihil esse in hac vita facilius*

lib. III. sect. II. pag. 230. seqq.

cap. 33.

Epist. 148. ad Valer.

facilius & lætius & homini acceptabilius Episcopi, Presbyteri aut Diaconi officio, si per-functorie ac adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius, tristius & damnabilius; item, nihil esse in hac vita difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo militetur modo, quo noster Imperator jubet. Epist. 148. ad Valer. Alterum ab eodem Sorbonistâ citatum ejusdem sancti Patris locum huc pertinentem brevitatis causa itidem prætermitto, cùm hic unus ad rem satis esse possit præsentem, id est, ad sublevandam Bellarmini pauperiem, qui in demonstrando ordinum numero ac eorum antiquitate Augustini planè oblitus est, ac si nihil quidquam de iis notatu dignum scripsisset. Quin &, ubi de officiis eorum fuit agendum, hoc solùm de eo refert ex possidio, quod adhuc Presbyter ab Episcopò Antecessore Valerio habuerit potestatem prædicandi, nimirum, ut ostenderet, *officium prædicandi proprium fuisse Episcoporum, ita ut Presbyteris prædicare non licuerit, nisi ex Episcopi mandato aut consensu.* in Vita August. cap. 5. Addit Cellotius, qui ejusdem facti meminit, *in Africâ ante Augustinum illud præstitisse neminem*; de Hierarch. lib. 6 cap. 12. ex eodem possidio, vitæ Augustini Scriptore, id etiam memorans, *factum id esse contra usum & consuetudinem Ecclesiarum in Africa, ac ideò nonnullos Valerio id concedenti detraxisse Episcopos, qui tamen, utpotè Vir providus, & sciens insuper, in Ecclesiis Orientalibus id ex more fieri, utilitati Ecclesiæ consulens*, dum ille Græcus commodè Latinis prædicare non posset, *obtrectantium linguas non curarit; imo currente postea & volante hujusmodi fama, bono præcedente exemplo, non-nullos Presbyteros accepta ab Episcopis potestate, coram Episcopis verbum Dei populis tractare cœpisse.* Subjungit de suo Cellotius, *incitatum hoc facto Aurelium, Carthaginensem Episcopum, sua in Ecclesia idem Presbyteris concessisse Privilegium, & gratulatum ipsi hoc factum magnopere Augustinum, Hieronymum quoque illam Ecclesiæ in Africa consuetudinem, qua Episcopi munus prædicandi sibimet solis reservarunt, graviter reprehendisse.* Quæ in proximè antecedentibus de Origene nondum Presbytero, *in communi Ecclesiæ consessu sacram enarrante scripturam*, habet idem Cellotius, quod ad morem Ecclesiarum Orientalium, cujus mentionem modò factam vidimus, pertinet, prolixè nunc non urgeo; id tamen observans, quod occasione hujus exempli *Ferrarius*, Collegii Mediolanensis Ambrosiani Doctor, *in de ritu sacrarum Concionum* opere, non ita pridem adpositissimè notavit, *morem illum, quo Episcopi tantum, non etiam Presbyteri, officio concionandi fungebantur, in Ecclesia Alexandrina initium habuisse eo duntaxat tempore, quo Arius Presbyter accepta docendi facultate res novas inducens Ecclesiam turbavit*, Socratis, Sozomeni & Nicephori testimoniis id comprobans, & ex aliis quibusdam Documentis Antiquitate conspicuis docens, *à primis Ecclesiæ temporibus non Episcopos modo, sed etiam Presbyteros id operis ac muneris habuisse, ut prædicarent in populis.* lib. II. c. 9. Ego hic de meo nihil planè addo, utut non nesciam, quanta Styli acerbitate hæc etiam controversia ante Annos non ita multos in Gallia, inter Ignatianæ Societatis adsecias & Episcopalium Privilegiorum defensores, fuerit actitata, de quâ dum *Hugo Grotius* suam exponere voluit mentem, sequentia in Episcoporum gratiam scripsisse legitur: *Si Antiquitatem sequimur, res est expedita. Nam alloqui populum est Episcopi aut eorum, quibus id Episcopus conscio, ut mos antiquus habet, Presbyterio permisit. Permissum verò & Laicis interdum docere, Origenis aliorumque nos docent exempla. Monachorum antiquitus ad hoc nullus usus, quod promissores solitudinis, quantumfieri posset, omnes cœtus fugere deberent, ut vitam agerent nomini suo respondentem, quod esse plangentium, non docentium, docemur ab Hieronymo. Si tamen in aliquo præter pietatem ea adparerent, quæ docendo valde conducerent populo, nec alii facere pares reperirentur, Episcopalis functio tanti semper Privilegii in Ecclesia fuit, ut Monachum à Monachismo,* id est, *vita segrege absolveret, quia nimirum majus est Ecclesiæ jus in nos, quàm nobis in nosmetipsos; atque id in Ecclesiis Græcis in hunc diem frequens est. Monachis verò, qui Monachi maneant, ista concedere, nec certis tantum personis, sed societatibus integris, novum est & Latinum.* Epist. ad Gallos, num. 154. Quos hæc tangant, etiam qui rhinocerotis nasum non habent, facilè intelligunt. Sicut autem nemo forsitan est, qui Episcopis verè ita dictis munus prædicandi, & quod præterea ad id de jure videtur pertinere, præ aliis non adtribuat, quod Bellarminus exemplo Augustini adducto intendit; ita optandum esset, per neglectum hujus officii Episcopalis ansam

non

non fuisse datam plurimorum gravaminum, inter quæ non possum non adducere, quæ laudatus paulò ante *Didacus Stella* non uno in loco orbi Catholico exposuit: *Dolor est, cum tot videamus ignaros Sacerdotes, qui nec prima Grammatices rudimenta didicerunt, qui vehementer cupiunt esse Confessarii, & pro rostris prædicere. Et sunt alii, qui cùm Theologi non sint, Episcopatus ambiunt, & in supremas evehi dignitates, cum nesciant, quod proprium Episcopi munus sit docere & erudire. Sic in consecratione Episcoporum consecrator tradit consecrando librum Missalem ad scapulas, dicens,* Vade & prædica ovibus tibi commissis. *Sed dicito mihi, quomodo sacram interpretabitur scripturam, qui Theologiam non didicit, & forsitan nec Biblia legit? Quomodo jurat in consecratione, quod calleat utrumque Testamentum in utroque sensu, qui in vita nihil aliud egit, quam venationi & voluptatibus studere? Et qui Cæsareo Iuri semper dedit operam, Bartolo, Baldo, Felino, & aliis hujus catervæ Doctoribus, quomodo cum veritate potest affirmare, quod utrumque Testamentum noverit in utroque sensu? Quod si dicat Canonistas & Iurisconsultos plus de publicis nosse negotiis, & quomodo sint agenda; hoc ridiculum prorsus est, eos homines eligere in Prælatos, qui potius apti sunt litibus & negotiationibus, quàm docendo & prædicando.* Et post aliqua: *Bonum quidem est & sanctum, ut Episcopi habeant vicarios & provisores Iuristas,* (quales nimirum Apostoli eorumque successores Episcopi olim habuerunt,) *qui Canones Ecclesiæ sciant, ut judiciarias Ecclesiæ causas judicent; at officium Episcopi & Pastoris est docere & prædicare populo. Ad hoc autem Munus quàm aptior & paratior sit Theologus, quàm Iurista, tuo id arbitrio relinquo. Etenim boni Pastoris officium est, oves à lupis, id est, hæreticis defendere. Quomodo autem, rogo, adversus hæreticos disputabit, qui Theologus non est? Solus judicare & discernere potest Theologus, quæ propositio sit hæretica, temeraria, erronea, vel scandalum minans. Solus scire potest Theologus, qui Concionator veram aut falsam prædicet doctrinam. At si hæc judicare, examinare & lance æqua pensare munus est Episcopi, qui hæc ignoraverit, quo jure in Episcopatum adscendet? Et Apostolis, quorum successores sunt Apostoli, dixit Christus,* Ite & prædicate Evangelium. *Non misit illos ad litigandum, sed ut Evangelium prædicent, quod munus Episcoporum est, ut ipsimet fatentur Apostoli.* Cætera non addo, uberius ibidem legenda. Alia autem subjungo, quæ idem Minorita alibi habet: *Ducant nostri temporis Episcopi, qui successores sunt Apostolorum, Dei verbum prædicare, juxta normam Concilii Tridentini, illis expressè præcipientis, ut prædicent per seipsos. Ideoque Paulus præcipit, ut eligantur Episcopi, qui sint ad docendum idonei, siquidem proprium munus est eorum, docere. Apostoli quidem, ut justarent verbo Dei, septem elegerunt Diaconos, qui ministrarent in opere externo. Sed, proh dolor, quam perversè se nunc res habet! Episcopi enim ipsi occupantur in exterioribus & negotiis secularibus, & munus Episcopale, quod proprium est ipsorum, exercetur ab his, qui non tantæ sunt dignitatis, quales sunt Monachi ac egeni Clerici. Quare, rogo, explicavit Saulem David scypho & hastâ, nisi quia ille dormiebat? Similiter quia Prælati dormiunt & otiantur, surripuerunt Monachi prædicationis munus, quod proprium est Episcoporum, & in ipsis remanet vigilantibus.* Plura ex aliis scriptoribus similia his gravamina adscribere hic supersedeo, cùm opus non sit mortuis testibus, ubi viva omnibus obvia est experientia, adid pro Institutiratione conducens, ut quantum hodierni mores à moribus seculi Augustinianæi desciverint, qui in suis erroribus defendendis ad Augustinum cæterosque Patres antiquos provocare audent, videre tandem ac Apostasiam fateri cogantur, etiam inviti.

ad cap. 6. Lucæ, p. m. 222.

ad cap. 9. p. m. 304.

CAPUT DECIMUM QUARTUM & QUINTUM.

De

Distinctione Episcopi & Presbyteri.

BEllarminus Augustino hic utitur & offensivè & defensivè, neutrum cum laude & aliquo suæ opinionis commodo, id quod breviter ostendendum. Ad prius pertinet, quod dum probare laborat, esse inter Episcopum & Presbyterum ex Jure Divino aliquam

aliquam distinctionem, ad Augustini provocat autoritatem, ideo *Aerium* inter hæreticos recensentis, *quod nihil inter eos docuerit interesse.* Quorsum etiam refert, quod cum aliis Patribus etiam Augustinus senserit, *Episcopos Apostolis, Presbyteros autem septuaginta Discipulis successisse*, unde distinctionem inter Episcopos & Presbyteros manifestam satis esse existimat. In utroque fallitur Bellarminus, & lectorem authoritate Augustini fallere solito more studet. Et in eo quidem, quod Augustinum ideo *Aerium* inter hæreticos numerasse putat, *quod nihil inter Episcopos & Presbyteros docuerit interesse*, erroris socium, si non antecessorem, præter alios habuit *Sixtum Senensem*, audacter scribentem, *Augustinum hanc sententiam numerasse inter damnatos Aerii errores*, castigatum ob id jure meritoque à nostro Doctore *Hülsemanno*, ostendente, *inter dogmata quidem, non tamen inter hæreses Aerii eam posuisse Augustinum, prout nimirum legerat in Epiphanio; nec omne id esse hæresin, quidquid de hæreticis refertur, cum Aerius alias totus fuerit Arianus.* Neque, si Jus Divinum attendatur, Augustinus hanc doctrinam hæreseos damnare potuit, nisi sibimet ipsi contradicere voluerit, uti paulo post in defensione Augustini à frivola Bellarmini interpretatione videbitur. Dum verò Augustinum sentire scribit, *Episcopos Apostolis, Presbyteros autem septuaginta Discipulis successisse*, fucum facere voluit lectoris simplicitati, cùm in loco, quem laudavit, nulla Presbyterorum, sed Episcoporum in Apostolico munere successorum fiat solùm mentio, fidesque Bellarmini & sinceritas in citatione hujus augusti Doctoris hic quoque non immeritò desideretur. Sed neque in posteriori hujus Quæstionis tractatione, id est, Augustini defensione, magis æquum se sistit Bellarminus, ut non omnia tentasse videatur, ne Augustinum in hac etiam Controversia sibi habeat contrarium, sed ut omni ratione eum ad suas partes, etsi invitum & contra apertam ejus mentem, trahere possit, idque eidem adfingere, quod ne quidem per somnum unquam cogitavit. Ut enim de *Medinæ* sententia non dicam, statuentis, *non Hieronymum modo idem cum Arianis sensisse, inque eadem hæresi cum illis fuisse, sed & Ambrosium*, Augustinum, *Sedulium, Primasium*, è Latinis, è Græcis verò *Chrysostomum, Theodoretum, Occumenium & Theophylactum*, quam Bellarminus pro *levitate* vel (si fortè vitium sit typographicum) *lenitate* sibi solita dixit *valde inconsideratam*, ipse inconsideratissimus, si, quæ contra ipsum & *Sixtum Senensem* modo fuerunt observata, debiti attendantur; illud præprimis notari debet, quod ad testimonium Augustini, pro paritate Episcoporum & Presbyterorum antehac usitata militantis, sibi inter alia objectum respondit Bellarminus. Nimirum ita de suo tempore, sed simul ad priora respiciens secula, scripsit Augustinus: *Quamvis secundum vocabula honorum, quæ* JAM *Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio major sit, in multis rebus tamen Augustinus Hieronymo minor est.* Ad hæc sancti Patris verba *Blondellus* in pro sententia Hieronymi Apologia post alios sequentia notavit: Primò, *quidquid à quatuordecim seculorum annis ὑπερόξως Episcopis præ cæteris Sacerdotibus competit, nulla lege divina subnixum, à solo Ecclesiarum usu pendere.* Secundò, *usum illum non ab initio introductum, sed post Apostolorum omnium ætatem paulatim invaluisse, jamque (id est, exactis aliquot seculis) obtinuisse, quorum labente decursu continua, sed arbitraria tituli Episcopalis reservatio, jurisque Presbyterorum communis (in eorum gratiam, quos Cleri plebisque Paræciæ totius prætereuntis sensim temporis diuturnitate confirmata consuetudo præfectos esse voluit) coarctatio facta est.* Tertiò, *synonyma ab origine honorum vocabula (significationem detorquente pedetentim usu) novos dignitatum gradus designare cœpisse, sed qui priscam dignitatem abolere nequeant.* Etsi autem hæc apertissimè Augustinus verbis proximè laudatis docuisse videatur, Bellarminus tamen uno quasi flatu prosternere ea volens hoc responsum dedit: *Illud (Iam obtinuit) non opponi antiquo tempori ipsius Ecclesiæ, sed tempori, quod fuit ante exortum Ecclesiæ nostræ Christianæ. Itaque non est sensus, olim Episcopi & Presbyteri erant æquales, sed jam usus obtinuit, ut Episcopatus Presbyterio major sit; verum hic est sensus, ante tempore Christiana nomina ista Episcopus & Presbyter, non erant honoris vocabula, sed officii aut ætatis, nunc autem honoris & dignitatis nomina sunt, & secundum hæc nomina Augustinus major est Hieronymo, quamvis aliis multis nominibus Augustinus minor sit Hieronymo.* Egregium scilicet paraphrastem, quem augustus Doctor, si talia legeret, non sine causa miraretur, tam fuisse audacem, ut verba

de hæres. cap. 53.

in Psal. 44. circa fin.

Bibl. S. lib. 6. Annot. 324. in Conf. August. Disp. 12. p. m. 478.

vid. D. Hülsem. l. cit.

Epist. 19. ad Hieron.

Sect. II. num. 29. pag. 69.

contra

contra mentem & omnem sensum ita perverteret, atque lectorem veritatis studiosum ad aliam plane sententiam ducere vel potius seducere conaretur. Non prolixe adducam, quid *Wado Messalinus* contra *Petavium* non multum dissimilia super
c. V. p. 365. hæc Augustini verba commentum in hujus argumenti scripto monuerit; non quid *Salmasius*, idem cum *Walone* author, in apparatu ad de primatu libros, huic Bellarmi-
pag. 104. nii in specie responso post alios reposuerit, ne videlicet ex studio partium aliquid hic scriptum videri possit. Accedat potius ex eorum numero unus & alter, qui eandem aliàs cum Bellarmino causam susceperunt defendendam, testimonium exhibituri, num hoc Bellarmini responso Augusti sententia ritè sit explicata, reique satis ex asse sit factum. Prior est celebratissimus in Gallia & nuper modò ab eruditis Epheme-
Tom. III. p. 231. ridum literariarum & librariarum conditoribus insigniter commendatus scriptor, *Nicolaus Cœffeteau*, ordinis Prædicatorum, Episcopus Massilienſium, in illustri de
Tom. I. lib. II. c. 3, p. 372. Monarchiâ adversus Rempublicam *Antonii de Dominis* opere, fassus ingenuè, *responsum hoc Bellarmini merito rejecisse Spalatensem.* Alter & posterior est laudatus ad caput antecedens Sorbonista, *Franciscus Hallier*, gravissimus *Petri Aurelii* contra *Cellotium* vindex, in altera operis de Hierarchiâ Ecclesiasticâ parte hanc Bellarmini
lib. I. c. 6. p. 91. comparationem, quam in verbis Augustini quæsivit, *insulsam* dicens, & quæ ad elevandam dignitatem suam *impudenter* ab Augustino allata videretur. Tertius accedere posset testis contra Bellarminum Augustini verborum interpretem minus æquum, videlicet *Iohannis d' Artis*, itidem Gallus, & Juris Canonici in Academiâ Parisiensi Doctor, operis contra *Salmasium* de ordinibus Ecclesiasticis Author, à paraphrasi verborum Augustini Bellarminianâ secessum faciens, nisi Augustinum *iro-*
lib. I. cap. ult, p. 98. *nicè* ex sententia Hieronymi *& illius taxandi gratia* locutum fuisse existimasset, in candorem minimè fucatum sancti Doctoris augustissimique Patris non parum peccans, & peccatum Bellarmini novo augens peccato, inexcusabilis plane. Quibus observatis, nihil omninò restare videtur, quàm ut Augustini verba, prout jacent & sonant, sine omni procul accersitâ paraphrasi intelligantur, nimirum, tempore Augustini Episcopatum Presbyteratu majorem fuisse quidem, at nullo jure divino, quod hic inprimis attendendum, sed usu Ecclesiastico, eoque non multum antiquo, cum id expressè ad sua referat tempora Augustinus. Posset hoc ad præsens Institutum satis esse, nisi occasione per ipsum præbitâ Bellarminum ex capite sequenti, quod de *Cardinalibus* agit, id adhuc ex abundanti & quasi loco adpendicis tribus tantum verbis discutiendum videretur, num Augustinus quamvis Episcopus, *Hieronymo*, qui Presbyter tantum fuit, in multis tamen rebus se inferiorem ideo etiam dixerit, quia crediderit vel sciverit, *Hieronymum* esse Presbyterum Romanum, & quidem Presbyterum Cardinalem, atque adeò simplici Episcopo majorem?
de Republ. lib. IV. c. 5. num. 56. p. m. 401. *Hieronymum* fuisse Cardinalem, non planè nulli antehac ex merâ simplicitate & ab aliis seducti crediderunt, contra quos *Antonius de Dominis* egregiè
conf. Angel. Rocha in Bibl. Vatic. pag. 163. ita scripsit: *Scias, Hieronymo Viro Sanctissimo injuriam non levem fieri, dum ille, qui vili semper palliolo fuit contentus, & vestimentorum fastum in Clericis tantopere reprehendit, purpurâ fulgens ad modum nostrorum Cardinalium pingitur, qui ne Cardinalis quidem unquam Romanus fuit, imò nec absolutè in ullâ Ecclesia fuit Presbyter Cardinalis, quia in nulla unquam Ecclesia fuit incardinatus, aut fixus in ea Minister ordinatus & sub certo titulo collocatus.*
Molan. in Histor. Imag. p. 156. *Ordinatus quidem est Presbyter Antiochiæ, sed ministeriis Presbyterialibus illius Ecclesiæ non est deputatus, & maluit abstinere ab officio Presbyterali exercendo, quam in ulla Ecclesia incardinari.* Visum est, hæc ex Authore non ubivis obvio exscribere, ut simul ostendatur, quo duce in errorem inductus fuerit celeberrimus aliàs hujus seculi Vir, à laudatis proximè
Tom. II. p. 194. seqq. num. 28, p. 18. *Ephemeridum* Gallicanarum conditoribus aliis etiam de causis censuræ subjectus, qui ubi in prima Dissertationum de *Electorum Imperii & Romanæ Ecclesiæ Cardinalium præcedentiâ*, hujus quoq; testimonii ex Augustino desumti sensum, ne Hieronymus videatur Cardinalis fuisse, contra *Baronium* indicare voluit, ideo putavit, ea, *quibus majorem Augustinus Hieronymum fatetur, de Cardinalatu accipi non posse, quia iis temporibus infra dignitatem Episcoporum fuisse constet*; cum tamen præter alios pluTom. I. p. m. 747. res *Possevinus* in Adparatu sacro, ubi hoc idem argumentum tractat, fateatur ingenuè, *quod necdum ea dignitas extiterit.* Perplacet autem, quod ingeniosissimus non rarò *Caramuel* in ad *Antoninum Dianam* præfatione, editioni Theologiæ Fundamentalis Francofurtanæ præmissâ, in *Romana* autem & secutâ eam *Lugdunensi* cum aliis pluribus omissâ, hac de re scripsit: *Hieronymo majora fuerunt merita quàm fortuna,*

voluit-

voluitque Deus, ad majorem Divi gloriam, eum à multis Pontificibus amatum fuisse & à nullo promotum, ut videret & admiraretur posteritas, tot ab illo superatos labores sine præmio; quem ipsum pictores, annis post mortem plurimis, non ut exprimerent penicillo, quod factum est, sed quod debuit, donarunt purpura & leone, ne nimium colore distaret à Gregorio, Ambrosio & Augustino, quorum cultu, doctrina & laurea est in Fastis Ecclesiasticis Socius.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM & seqq.

De

Cœlibatu Sacerdotum.

HUnc Cœlibatum non Jure quidem divino, attamen Apostolico sacris ordinibus rectissimè annexum esse, ut probet Bellarminus, non solum more suo ad Augustinum, sed & ad Statuta Conciliorum in Africa, nominatim Carthagine, Augustini tempore celebratorum provocat. In utroque eum id non ostendisse, quod ostendere juxta præscriptum lemma debebat, proxime erit manifestum. Et quidem quod attinet authoritatem Conciliorum Carthaginensium Augustini tempore celebratorum, è secundo Canonem secundum ita decernentem adducit: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus abstineant*; hac addita ratione, *ut quod Apostoli docuerant, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Quia verò ad Concilii ibidem celebrati numero & ordine quinti Canonem tertium quoque provocat, lubet ejus verba, prout à Cociolano citantur, audire: *Cùm de quorundam Clericorum, quamvis erga proprias uxores, incontinentia referretur, placuit Episcopos & Presbyteros & Diaconos secundum propria statuta etiam ab uxoribus continere; quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Dum posterior hic Canon priorem enucleare videtur, id in primis venit attendendum, quid Patres Africani *per statuta propria* voluerint intelligi, quia Interpretum super eo non una eademque mens est. *Cociolanus* enim, & cum eo alii plures putant, *intelligendum hoc esse secundum legem in prioribus Conciliis Carthaginensibus conditam, & hinc meliorem aliam lectionem habere, secundum priora statuta.* Addit, *Græcos hæc verba malè intelligentes vertisse,* κατὰ τὰς ἰδίας ὄρους, *& hac translatione hæreticos cœlibatum Clericorum impugnare, quasi Canonis hujus authoritate Clerici ab uxoribus in ordine tantum vicis suæ deberent abstinere, reliquis verò temporibus maritali consortio iisdem cohabitare liceret.* Putat, *ineptè id fieri, siquidem, præter hoc, quod major sit authoritas editionis Latinæ, quàm Græcæ translationis, prædicta verba exponi possent,* (cur non possint?) *secundum proprias leges & regulas, cùm* ὄρος *non tantum significet terminum, sed regulam etiam ac præceptum.* Concludit, *hoc Concilio omnem usum uxorum sacris hominibus prohiberi, liquidissimè ex Augustino, qui huic interfuerit Concilio, patere*, lectorem remittens ad Bellarminum, ubi eadem leguntur. De Augustino agetur paulò post, nunc id tantum notetur, quod ex Bellarmino *Cociolanus* Interpretes hujus decreti Græcos iniquius accusset, quasi male illud intellexerint; & quod posita etiam translatione ea, κατὰ τὰς ἰδίας ὄρους, nihilo tamen minus exponi posset *(non possit, multò minus debeat,)* secundum proprias leges & regulas, statuens. Nondum enim sufficienter demonstravit *Cociolanus* vel Bellarminus, vel quivis alius Latinæ authoritatis Patronus, majorem esse Latinæ Editionis, ut hodie communiter prostat, quàm Græcæ translationis, certè non nisi antiquissimæ, authoritatem. Neque etiam perinde est, qua ratione aliquid posset vel etiam possit exponi, sed omnino ex documentis fide dignis indagandum est omni sollicitudine, quo modo intelligi ad authoris vel scriptoris mentem debeat. Hinc *Zonaras* ubi non ad suam modo, sed totius Ecclesiæ Græcæ, suo tempore, quo vixit, mentem, laudata decreti verba scribit intelligenda, κατὰ τὰς ὡρισμένας ἡμέρας τῆς ἑκάστου ἐφημερίας, id est, *in præstitutis uniuscujusque vicis diebus*; contra Romanos jam tum Cœlibatum legaliter sacris hominibus imponentes, ad Canones Apostolicos, qui apud Græcos illo tempore non parvi æstimabantur, provocavit, cum inprimis, quo Episcopis, Presbyteris & Diaconis injunctum fuit, *ne uxorem quis suam pietatis prætextu ejiciat*; dehinc ad Canones Synodi sextæ, in specie tertium & decimum, exigentem à Presbyteris, Diaconis vel Subdiaconis, *ut à propriis* (etiam) *uxoribus abstineant* κατὰ τὰς καιρὰς τῆς τῶν ἁγίων μυστηρίων μεταχειρίσεως, id est, *tempore contrectationis*

tionis sanctorum Mysteriorum; hac addita comminatione severissima, *Quod si quis ausus fuerit Presbyteros vel Diaconos vel Subdiaconos conjunctione & societate uxoris legitimâ privare, deponatur.* Bellarminus quidem hanc Zonaræ & aliorum ex hac Synodo Trullanâ illationem ideo infringi posse putat, quod in ea non de Episcopis & Presbyteris simul & conjunctim, sicut in Concilio Carthaginensi agatur, adeoque ad institutum præsens decretum ex ea citatum pertinere non videatur. – Verum satis hic esse potest, si exinde phrasis, *secundum propria statuta*, ritè intelligatur, nimirum, quod Apostolorum doctrina, ad cujus normam Patres Africani decretum formarunt, non omnimodè sacris ordinibus matrimonium interdixerit, sed ad imitationem sacerdotum V. T. tempore administrationis sacrorum continentiæ studium commendaverit. Nunc ad ipsum veniamus Augustinum, ex quo ad probandum jus Apostolicum pro cœlibatu sacris ordinibus annexo sequens testimonium depromit Bellarminus: *Solemus proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt.* Et quia Bellarminus monet, ut integer apud Augustinum inspiciatur locus, ea, eum prolixiorem:

lib. II. de adult. conjug. c. 20.

Istos, qui virilem excellentiam non putant nisi licentiam peccandi, quando terremus, ne conjugiis adulterinus hærendo pereant in æternum, solemus eis etiam proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt. *Dicimus ergo eis, quid si & vos ad hoc subeundum violentia populorum caperemini, nonne susceptum caste custodiretis officium, repente conversi ad impetrandas, à Domino vires, de quibus nunquam anteà cogitastis? Sed illos, inquiunt, honor plurimum consolatur. Respondemus, & vobis timor amplius moderetur. Si enim hoc multi Dei ministri repentè ac inopinanter impositum susceperunt, sperantes, se illustrius in hæreditate Christi fulgere, quanto magis vos adulteria cavendo continenter vivere debetis, metuentes non in regno Dei minus lucere, sed in Gehennæ ignibus ardere.* Varia hic occurrunt notatu digna, si mentem Augustini in his verbis ritè velimus percipere. Unum est, agere Augustinum exempli gratia de iis, qui olim, ut paulò ante etiam fuit observatum, inviti ad sacrum munus suscipiendum fuere admoti, de quibus alibi ita scribit sanctus

Epist. 204. ad Donat.

Doctor: *Multi, ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta, quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* Secundò certum est, exque verbis Augustini clarum, agere Patrem augustum ibi contra adulteros, quos ut à crimine nefando dehortetur, in exemplum sistit Clericos continentes. Quales autem? an illos, qui, dum inviti ad sacrum munus sunt attracti, adhuc cœlibes fuerunt, & qui pro more illis temporibus recepto ob sacrum illud munus in cœlibatu vivere debuerunt? Ita quidem video esse, qui hæc Augustini verba intelligant; an verò illos, qui primis uxoribus mortuis ab altero matrimonio, itidem ob legem Ecclesiasticam abstinuerunt, ne tanquam digami officio moverentur? Et hoc placere non plane nullis video. Neutrum ex verbis Augustini ita clarè patet, ut vel huic vel illi sententiæ tuto quis & absque metu contradictionis possit inniti. Restat ergo, ut missis jam aliis, quæ hic porrò moneri possent, si opus esset, illud pro *Tertio* attendamus, Augustinum, de quacunque etiam agat continentia, quam in Clericis commendat, nullam plane juris Apostolici facere mentionem, sed de ea ita loqui, tanquam de re suo tempore usitata, & cujus respectu non inconsultum duxit adulteros ad continentiam, non omnimodam, à propriis etiam uxoribus, sed conjugalem, & quæ pios decet maritos, hortari, ut nimirum intra terminos pudicitiæ conjugalis continere se discant in posterum, promiscuam libidinem ex debito Christianismi fugientes, quod alibi quoque graviter

Epist. 64. ad Aurel.

inculcavit scribens: *Cubilia & impudicitiæ tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus non modo Ecclesiastico Ministerio, sed ipsa etiam sacramentorum communione videatur, qui se isto peccato maculavit.* Ubi certum est, per cubilia & impudicitias non usum conjugalem, sed promiscuam, ut dixi, libidinem intelligi; quam sicut inter Christianos in universum vult esse sine exemplo, ita si usum quoque conjugalem Ministerio Ecclesiastico censuisset incompetentem, hoc in loco monere non intermisisset; ubi ejusdem facta est mentio expressa. *Alterum*, quod huic Augustini testimonio subjungit Bellarminus ex Authore Quæstionum utriusque Testamenti, prætermittere possemus, dum agnoscere contra semetipsum coactus fuit Bellarminus, *non esse illud opus Augustini, ut titulus præ se fert*; quamvis an Augustino

stino sit antiquior, ut idem vult Bellarminus, an verò recentior, non adeò manifestum sit. Satis est, visum fuisse hunc authorem Bellarmino jam seniori in de scriptoribus Ecclesiasticis libro *hæreticum*, id quod etiam per exempla studuit demonstrare. Et quamvis ex indebita liberalitate concederemus, esse Augustinum hujus scripti authorem, citata tamen exinde à Bellarmino verba id non probant, quod probare debebant, si lemma præscriptum attendamus. Quærit author: *Si licet & bonum est nubere, cur Sacerdotibus non licet uxores habere*, id est, *ut ordinatis jam non liceat convenire?* Et respondet: *Quis nesciat, unum quodque suam habere legem? Est enim, quod omninò generaliter omnibus non liceat; est item, quod aliis licet, & aliis non licet. Et est, quod aliquando licet, & aliquando non licet.* Hoc ubi per exempla exposuit, sequentia subjungit: *Per hoc & magis quidem in Dei causis antistitem ejus puriorem cæteris esse oportet, ipsius enim habere videtur personam, est enim vicarius ejus; ut quod cæteris licet, illi non liceat, quia necesse habet quotidiè Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere.* Prolixum hujus responsi examen nunc non instituo, hoc saltim dico, nullam juris divini vel Apostolici mentionem in his fieri verbis, quin potius in paulò antecedentibus, quod hoc ipsum jus attinet, aliam per omnia sententiam exstare: *Vt aliquid de Apostolis dicatur, quod ad robur pertinet causæ, certè sanctus Iohannes captimoniæ fuit custos, condiscipulus autem ejus*, id est, *sanctus Petrus uxorem habuisse cognoscitur. Vt primatum acciperet inter Apostolos, non ei obstitit generatio filiorum. Quomodo ergo condemnandum putatur, quod non impedit meritum? Hinc Apostolus eum, qui uxorem habeat*, (non tantum, qui habuit,) *si in cæteris servet mandata, Sacerdotem fieri posse*, ac debere *ostendit. Quod si illicitum esset, non poterat utique peccatorem dicere fieri debere Sacerdotem. Et quid tam apertum?* Satis nimirum aperta hæc sunt, quæ nunc Bellarminus inter errores hæresin spirantes cum aliis recensere potuerit, non immerito dubitatur. Hoc autem certum est, quod sicut hic scriptor conjugium Clericorum ad jus Apostolicum expresse refert, ita Augustinus in catalogo hæreticorum meminerit aliquorum, qui se Apostolicorum nomine arrogantissimo vocaverunt, *eò quod in suam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias possidentes*, contra quos Augustinus testatur, *quod Ecclesia Catholica tales plurimos & Clericos & Monachos habeat*, quod & de usu conjugii simul, & de propria rerum possessione intelligendum esse tam diu stabit, donec aliud ex verbis Augustini ostendatur, quæ nullam plane differentiam inter utrosque ostendunt.

Quæst. ult. ¶ sub fin.

cap. 40.

Sed plus ultra, & quidem duce iterum Bellarmino, qui post laudata Conciliorum & Ecclesiæ Doctorum pro cœlibatu Clericorum ex Apostolico jure testimonia, additaque aliquorum exempla, tandem ad rationes venit, quibus hoc institutum confirmare nititur, tanquam certis rationibus fundatum. Inter eas numerat ac primo statim loco recenset impedimentum illud, quo munus sacrificandi inprimis statuit impediri, utpote *in quo summa quædam puritas & sanctitas requiratur, negarique non possit, quia in actu conjugii admixta sit quædam impuritas & pollutio, quæ quidem non sit peccatum, sed ex peccato tamen nata. Non enim solùm conjugium Sacerdotum*, ita porrò scribit Bellarminus, verum non adductum juris divini & Apostolici, sed humani & apotactici, (ne quid juxta Pauli phrasin durius dicam) *quod non conjugium, sed sacrilegium est*, (quo autem Apostolo definitore?) *verùm etiam sanctorum matrimonium sine pollutione quadam & turpitudine non exerceri, satis testator rebellio membrorum & humana in illo actu verecundia, quæ notante Augustino secretum semper quærit.* Accedit impedimentum aliud, quod secundæ rationis loco adfert Bellarminus, quo putat etiam impediri studium orationis & lectionis, in quo adsiduè Sacerdos debeat versari; *cum tamen oratio requirat mentem elevatam, purgatam atque tranquillam, actus verò conjugii teste eodem Augustino maximè hebetet aciem mentis, & deprimat ad inferiora & perturbet, & ipsam animam quodammodo faciat carnalem.* Quia utrobique ex Augustini opere de Civitate Dei testimonium desumitur, inde etiam responsio expectari debet. Ubi notandum, quod etsi scribat sanctus Doctor, *actum conjugalem quærere secretum*, non tamen id voluisse intellectum, quasi actus ille esset illicitus & inhonestus, quem ibidem licitum potius dixit & honestum, verbis notatu dignissimis: *Quid concubitus conjugalis, qui secundum matrimonialium præscripta tabularum procreandorum sit causa liberorum? Nonne & ipse tanquam* (rectius, quanquam) *sit licitus & honestus, remotum ab arbitris cubile requirit.* Post pauca: *& quoniam, sicut ait quidam Romani maximus Author eloquii*, Cicero nimirum, *omnia rectè*

lib. 14. c. 18.

facta in luce collocari se volunt, id est, *adpetunt sciri; hoc rectè factum sic adpetit sciri, ut tamen erubescat videri.* Et iterum post aliqua: *Sic hoc rectè factum ad sui notitiam adpetit lucem animorum, ut tamen refugiat oculorum. Unde hoc, nisi quia sic geritur, quod deceat ex naturâ, ut etiam quod pudeat, comitetur ex pœna.* Non igitur juxta Augustinum ipse actus conjugalis est peccaminosus vel culpabilis; sed pudor, qui post lapsum huic actui adnectitur, est
c.22. & 23. ex pœnâ. Expressit hanc suam augustus Pater mentem in paulò post sequentibus: *Certum est, masculum & fœminam ita primitùs institutos, ut nunc homines duos diversi sextus videmus & novimus. Quisquis autem dicit, non fuisse coituros nec generaturos, nisi peccassent, quid* (aliud) *dicit, nisi propter numerositatem sanctorum necessarium fuisse hominis peccatum?* Quod verò attinet impedimentum in studio orationis ac devotæ meditationis, Augustinum non de legitimo & moderato conjugii usu ibi fuisse locutum, alibi satis apertè testatus est, de sanctitate conjugum Christianorum non nisi elegantissimè scribens, eo in opere, quo duriora à Hieronymo contra Jovi-
cap.11. nianum scripta temperare & emollire pro bono conjugali laudabiliter laboravit: *Quod ait Apostolus, quæ innupta est, cogitat ea, quæ sunt Domini, ut sit sancta & corpore & spiritu; non sic accipiendum est, ut putemus, non esse sanctam corpore Christianam conjugem castam. Omnibus quippè fidelibus dictum est, quoniam corpora vestra templum in vobis est Spiritus Sancti, quem habetis à Deo? Sancta sunt etiam corpora conjugatorum fidem sibi & Domino servantium; cui sanctitati cujuslibet eorum nec infidelem obsistere conjugem, sed potius sanctitatem uxoris prodesse infideli viro, aut sanctitatem viri prodesse infideli uxori, idem Apostolus testis est, dicens: Sanctificatus est vir infidelis in uxore fideli, & sanctificata est mulier infidelis in fratre fideli.* Plura eo in scripto extant, quæ sanctitatem conjugum Christianorum à quibusvis improperiis divini ordinis osorum quam-optimè vindicare possunt. Sufficiant nunc indicasse locum, unde contra antagonistas arma non sine numero prostant.

Nos ad Bellarminum revertimur, visuri, an feliciori Marte ea repellere possit, quæ pro conjugio Clericorum ex Augustino adduci solent, utut hinc inde quædam
1. Timoth. 4. interveniant, quibus ex eodem Augustino diluere objectiones conatur Bellarminus. Videamus, quid utrobique præstiterit, & à quibus potissimum partibus stet Doctor
lib.30. contra Faust. c.5. & 6. augustus. Et ad locum quidem Apostolicum, eumque in hac re classicum, quo nuptias prohibere non modò hæreticorum notam esse scripsit Paulus, sed planè inter doctrinas à Satanâ in orbem invectas retulit, ex Augustino & aliis Ecclesiæ doctoribus monet Bellarminus, *notari ab Apostolo eos, qui absolute nuptias prohibeant*
lib. II. de morib. Manich. *ut malas, quales inprimis fuerint olim Tatianus, Marcion & Manichæus.* Quia autem
cap.18. & Epist.74. ad Devter. ex eodem Augustino objicitur, *Manichæos in specie non prohibuisse nuptias, nisi suis electis, qui apud eos erant quasi Sacerdotes & Monachi, & tamen dici eos ab Apostolo notatos, docente, prohibitionem nuptiarum esse doctrinam Dæmoniorum;* ideò occupatus est in eo Bellarminus, ut aliquam ostendat differentiam inter Manichæorum & Ecclesiæ Romanensis in hoc puncto doctrinam, ex Augustino evincere studens, *à Manichæis interdictas simpliciter nuptias, quia etsi eas permiserint auditoribus, id fecisse ideò, quia aliud obtinere non potuerint, imò eos sic permisisse nuptias ad explendam libidinem, ut tamen conceptum & liberorum procreationem cavendam esse monerent, id quod sit nuptias apertissimè detestari.* Addit, Romano-*Catholicos autem non solùm tolerare Christianos conjuges, sed & laudare, ac ideò potissimùm, quod ad procreationem liberorum nuptiæ à Deo institutæ noscantur.* Eò libentius hæc ex Bellarmino adscripsi, quia in responso ad indagandam Augustini sententiam ea occurrent, quæ non parùm præsens institutum illustrare possunt. Ubi inprimis est notandum, Faustum insignem Manichæum, contra quem Augustinus tres & triginta Libros scripsit, illam accusationem, quasi Paulus de Manichæis fuisset vaticinatus, in Catholicos mul-
lib.30. contra Faust. c.4. to cum impetu retorsisse, sequentia apud Augustinum contra Catholicos scribendo: *Videte, quæso, videte*, ne summæ dementiæ hoc sit, à Paulo dictum putare, quod
„ Dæmoniorum doctrina sit abstinentia omnis ciborum & prohibentes nubere,
„ quemadmodum nec illud, quod dicit, etiam virgines dicare Christo Dæmonio-
„ rum esse doctrinas, quod vos perinde sine consideratione legentes, ut cætera, ad
„ nos subinde respicitis, nec videtis hinc & virgines vestras Dæmoniorum doctrina
„ captas notari, & vos esse antistites Dæmoniorum, qui certatim semper ad hanc
„ eas incitetis professionem suasionibus vestris, ut penè jam major in Ecclesiis omni-
„ bus virginum apud vos, quam mulierum numerositas habeatur. Quid ergò,

num

num & vos jam desistitis à talibus inceptis? Quid in fraudem miseras inducitis " filias hominum, si non in eis Christi voluntas impletur, sed Dæmoniorum? Et ta- " men hoc nobis primò respondeatis velim, utrum omninò virgines facere doctrina " sit Dæmoniorum, an solùm per prohibitionem nubendi. Si per prohibitionem, " nihil ad nos; nam & ipsi tam stultum judicamus inhibere volentem, quam nefas & " impium cogere nolentem. Si verò favere huic quoque proposito & non reluctari volenti, id quoque doctrinam putatis esse Dæmoniorum, tacet nunc vestrum " periculum, ipsi jam timeo Apostolo, &c. *Post aliqua:* Non est interim, quod vos " existimetis solis hortamentis virgines facere, & non prohibitione nubendi; nobis " enim quoque hoc ipsum est insitum. Et demens profectò ille, non stultus tantum " est putandus, qui id existimet lege privata prohiberi posse, quod publica sit concessum. Dico autem hoc ipsum nubere. Quapropter & nos hortamur quidem volentes, ut permaneant, non tamen cogimus invitas, ut accedant. Novimus enim, " quantum voluntas, quantum & naturæ ipsius vis etiam contra legem publicam valeat, nedum adversus privatam, cui respondere sit liberum, nolo. Si igitur hoc modo virgines facere sine crimine est, extra culpam sumus & nos; sin quoque genere " virgines facere crimen est, *rei estis & vos*. Optimè videlicet pessimam egit causam Faustus, *eloquio suavis, ingenio callidus*, quali eum elogio sub initium operis stitit ipse Augustinus, aliqua suis hisce vindiciis pro depulsione accusationis gravissimæ interserens, quæ nobis quoque in præsenti tractatione usui esse poterunt. Nimirum nullius publicæ legis meminit Faustus, ubi doctrinæ Catholicorum de cœlibatu mentionem facit, eam non intermissurus, si certus ejus rei fuisset, cùm id ad suum contra Catholicos propositum quam-maximè inserviisset, eò scilicet magis accusationem retorsurus in accusatores. Quin & dum de virginibus Catholicorum agit, quas nullo tamen singulari voto, sed *suasionibus* saltem ad servandam virginitatem fuisse adductas, de cœlibatu verò sacerdotum & sacris in ecclesiâ ministeriis addictorum tanquam adjuncto quodam necessario nihil planè subjungit, credere non impar est, tum temporis nondum id omninò (multò minùs jure Apostolico) fuisse receptum, ut nulli Marito sacris apud Catholicos operanti uxorem habere eamque retinere licitum fuerit. Neque enim id silentio prætermisisset Faustus, cùm ad causæ contra catholicos defensionem non planè nullum attulisset momentum. Et si responsum Augustini ad objectiones Fausti perpendamus, quod ibidem legi potest, hic prolixè non exscribendum, nullibi in eo ad aliquam legem vel jus Apostolicum fuisse provocatum observabimus, quod tamen Bellarminus ex Augustino ostendere se posse putavit. Id nunc saltem notatu dignum est, si opinionem Manichæorum de usu conjugii *Electis* omninò prohibiti accuratè excutiamus, quam ab Apostolo inter doctrinas dæmoniorum numeratam Bellarminus statuit, & æquâ perpendamus lance, quinam huic Manichæorum errori propiores sint; Romanenses, Clericorum cœlibatum ex jure & lege urgentes, & conjugium ob turpitudinem aliquam & pollutionem Ecclesiæ Ministris prohibentes, an evangelici, illud juxta oraculum Apostoli honorabile in omnibus & apud omnes in usu debito statuentes, nemo non videt, his procul ab eo remotis, illos quam-proximè ad eos accedere, eorundemque non unis niti hypothesibus, quod paralleliſmus & utrorumque quoad potiores comparatio demonstrabit ad oculum.

Nos progredimur ea inter in vindicatione argumentorum pro Clericorum conjugio ex authoritate Augustini, prætermissis secundo & tertio, utpote per eandem Augustini authoritatem adhuc salvis, ad quantum, duplici testimonio Paulino fultum, quorum prius ad jus Apostolicum uxores non solùm habendi, sed & secum *circumducendi* provocat? posterius autem hortatur *Germanam* (Pauli, ut non improbabiliter adeò statuitur) *conjugem*, Philippis tum temporis degentem, ut fideles Fœminas, *Evodiam & Syntycken*, quas insigniter commendat, ope sua velit adjuvare. Utrumque hoc testimonium Pauli nobis authoritate Augustini eripere tentat Bellarminus, & quod ingenuè fateri necessum habemus, si in cæteris omnibus res ita haberet, Augustinus non esset noster, sed Papista. Non enim solùm quod prius testimonium iis consentit, qui Apostolum de aliis fidelibus fœminis, non propriè de uxoribus locutum sentiunt; sed & quoad posterius, eundem Apostolum non de *germana uxore* intelligi debere existimat, quia Paulum plane uxorem non habuisse credidit. Fatendum id est, inquam, scilicet, Augustinum ductu aliorum, qui jam tum cœlibatui Clericorum plus debito faverunt, seductum, id etiam defendisse, quod ad

1. Cor. 9. Philipp. 4.

rem hanc pertinere visum ei fuit. Sed num, quæ Augustino ex seculi genio adhæsit opinio, ad jus Apostolicum debet referri, ac sine omni contradictione recipi? Minimè id quidem, cùm & inter ipsos Ecclesiæ Romanensis Doctores ac acerrimos cœlibatus defensores sint, qui ab Augustini interpretatione hic fecerunt secessum, eundemque in modum utrumque Apostoli testimonium intellexerunt, quo ab evangelicis hodienùm solet intelligi. Non prolixè adducam decretum *Leonis* Papæ, hoc nomine Noni, quod *Gratianus* Jure Canonico inseruit, qui verba Apostoli de circumductione *Mulieris-Sororis* expressè de propriâ conjuge explicavit. Neque ad consensum *Laurentii Vallæ* & *Erasmi* provocabo, quos utut eruditissimos Viros plerisque Romanensibus ob libertatem styli & apertam in pluribus mentem minus gratos esse, satis est notum. Ex omnibus juvat nunc audire *Ambrosium Catharinum*, notissimum priori seculo epistolarum Pauli illustratorem, qui ad utrumquè ex eo testimonium contra Augustinum evangelicis favet, ad prius ita scribens: *Loquitur Apostolus, ut non-nulli* (non Lutherani, sed Papistæ) *volunt, de sua uxore, quam, ut expeditius discurreret prædicando, non ducebat secum, sicut cæteri Apostoli & fratres Domini, & quod magis mirum videbatur, etiam Cephas, ille Princeps Apostolorum, qui illud sibi permittebat.* Et post aliqua: *Vtebantur Apostoli ministerio mulierum* (conjugum) *ad multas commoditates, quas generoso quodam animo Paulus prætermittebat.* Quia verò Bellarminus vitæ à Paulo ductæ continentiam evidenter Augustinum deducere existimat ex eo inprimis testimonio, quo Apostolus velle & optare videtur, *ut omnes essent ei similes*; ideò operæ erit pretium, super eo etiam hujus *Catharini* audire sententiam, quæ hæc est: *Nullibi rectè colligitur, Paulum fuisse Virginem, nec inconjugatum quidem, ita ut nunquam habuerit conjugem, quia potius contra, cùm hic*, loco nimirùm posteriore, *scribat Viduis, quos vult manere, sicut seipsum; volebat enim eos manere castos in conjugio & viduitate. Nam superius*, loco videlicet priore, *vult omnes sicut seipsum & adloquebatur matrimonio junctos, innuens, se abstinere etiam vivente uxore, ita viduus censeretur reipsa, quia, quantum ad opus conjugii pertinet, talis erat, quod mihi magis placet; nam quod uxorem habuerit, compluribus testimoniis persuadetur & argumentis.* Quam maximè autem de eo meretur audiri in explicatione illius loci, ubi Paulus *Germanæ conjugis* mentionem facit, sequentia habens: *Si quis à me quærat, quid credam, huic respondeo, Constantissimè credo, & nullo modo dubito, Paulum, si ante conversionem non habuit uxorem, nunquam habuisse. Quod si quis rursum me roget, quid absolutè putas, habuit ne uxorem Paulus, an secus? respondeo primùm, me non ignorare, & Hieronymum* (cur omisit Augustinum?) *est nonnullos ex nostris id negare; contra autem antiquos Græcorum nonnullos asserere. Sed cùm ea, quæ ejusmodi sunt, vel de scripturis sanctis, vel de Historiis & Traditionibus accipi debeant, si quæratur, an contineatur in scripturis, Paulo nullam fuisse uxorem, id non reperiri arbitror. Sin autem è converso rogent, utrum existimem, de scripturis probari posse oppositum, respondeo, me ita existimare, modò non simus pertinaces & duri nimis; nam & in præsenti loco id suaderi crediderim.* Cætera non addo, satis enim est, *Catharinum* contra Augustinum agnovisse, Paulum fuisse uxoratum, idque ex iisdem demonstrasse locis, quæ Bellarminus authoritate Augustini evangelicis eripere conatus fuit.

c. Omninò, dist. 31.

1. Cor. 7.

conf. D. Dannh. Christ. Art. I. p. 128. seqq.

Pergamus nunc, & alia quoque argumenta videamus, quibus eâdem Augustini authoritate Bellarminus occurrere studet, ne conjugium præ cœlibatu Clericorum valeat. Insigne autem suppeditat prima conjugii institutio, verbis *Crescite & Multiplicamini*, à Mose luculenter expressa. Huic ut satis pro viribus faciat Bellarminus, negat, *præceptum in his sonare verbis, sed naturæ institutionem exprimi statuit*; quamvis in proximè sequentibus, quod præcipitanter scripsit, aliquâ ex parte emendet, scribens, *concedi posse, quod præceptum naturale sit de conjugio ineundo, sed quia sit affirmativum, non obligare, nisi in casu necessitatis, id est, quando periculum immineret, ne genus humanum pereat.* Addit, *Ecclesiæ Patres ad hoc respicientes dixisse, illud*, Crescite & multiplicamini, *tunc fuisse præceptum singulis hominibus, quando terra erat vacua, ut in exordio mundi & mox à diluvio; nunc autem cum terra sit plena, cœlum esse replendum, quod melius continendo, quàm nubendo fiat; & hanc solutionem esse etiam post alios Augustini.* Ipsam verborum, *Crescite & multiplicamini*, significationem quod attinet, etsi eam facilius obtinere possemus à Doctoribus Ebræis, linguæ, quâ & Deus conjugii author hæc verba protulit, & Moses Dei Amanuensis scripsit, magis gnari, quam Interpretes Latini, etiam ex recentiorum plerorumque numero, quos præceptum propriè ita dictum in hoc oraculo agnovisse, dudum

Gen. 1.

de S. Virgin. cap. 9.

dum ab aliis est ostensum, nihilo tamen minus, si ad Augustini quoque authoritatem respiciamus, exinde id non impetrabit Bellarminus, cujus respectu ad eam provocavit. Fatendum quidem & hic est ingenuè, eum loco per Bellarminum laudato ad imitationem *Hieronymi*, &, ut supra jam monui, pro temporis illius genio, aliqua de comparatione statûs conjugalis & virginalis ac utriusque differenti necessitate scripsisse, quæ rationem hujus præcepti quasi non amplius obligantis aliquâ ex parte videntur evertere, atque virginitatis prærogativam confirmare. Attamen non ausus est sanctus Doctor expresè ipsum hoc Dei præceptum, *Crescite & multiplicamini*, infirmare, aut esse præceptum negare, quia potius maluit illud silentio prætermittere, quam aliquid contra ejus literam satis claram ad hypotheseos suæ de *laude Sanctæ* (non autem invitæ, multò minus impuræ) *Virginitatis* confirmationem in præjudicium divinæ authoritatis proferre. Alibi quidem, ubi hunc locum contra Manichæorum deliria explicare in animo habuit, eum ad spiritualem traxit fœcunditatem, existimans, *eum post peccatum in carnalem fœcunditatem esse conversum*. At senior factus & hæc accuratiori trutinâ ponderans in retractationibus *omninò non adprobavit*. Undè palam est, Augustinum, etsi in hac quæstione à seculi genio seduci se passus sit, non tamen id constanter docuisse, quod Bellarminus authoritate ejus docere & lectori persuadere laboravit. Idem erit observandum circa vindicias argumenti sequentis, eo nitentis oraculo, quo Paulus *propter fornicationem* unumquemvis suam habere uxorem præcipit; utpotè contra quod Bellarminus inter alia id excipit, *dici hoc ab Apostolo iis, qui votum continentiæ non habeant, addens, præter alios Patres Augustinum quoque hanc exceptionem habere*. Fatendum & hic est, Augustinum, quamvis loco per Bellarminum citato expresè hoc Pauli oraculum & verbotenus non laudet, ibi tamen, ubi in margine ab editoribus ponitur, hæc exstare verba: *Virgo, quæ si nuberet, non peccaret; sanctimonialis, si nupserit, adultera reputabitur*.

vid. Selden. de Jure Nat. lib. V. cap. 3.

lib. I. de Gen. contra Manich. c. 19.

lib. 1. c. 10.

1. Cor. 7.

in Ps. 83.

Et quidem eadem ferè verba alibi quoque apud Augustinum leguntur, nimirùm in *de bono viduitatis* libro, ex quo tamen *Gratianus* tale Juri Canonico inseruit decretum, quod testari potest, augustum Doctorem mitius de conjugio etiam Deo sacrorum sensisse, quàm juxta stylum seculi, quo vixit, scripsisse. Verba à Gratiano citata hæc sunt: *Quidam nubentes post votum adserunt adulteros esse. Ego autem dico, quod graviter peccent, qui tales dividunt*. Præscripsit autem Gratianus huic Canoni sequens lemma: *Nubentes post votum, non esse ad invicem separandos*. Non planè nullius erit operæ pretium, quid de hoc Canone Augustiniano præter & post alios plures *Ferdinandus de Mendoza*, Concilii Illiberitani explicator statuerit. Rectè autem & verè dixit, *Gratianum summatim hæc ex toto capite retulisse*, propria Augustini verba referens, de quibus ingenuè testatur, *quod sanctus Pater non solùm nuptias post votum validè contrahi posse dixerit, sed, quod magis mirum, licitè id fieri posse affirmaverit*. Videamus ergò, quid scripserit Augustinus, & quæ ejus super hâc re mens fuerit. Etsi enim de hac quæstione inferius quoque agetur, quià tamen ad laudati oraculi Apostolici sensum ex authoritate Augustini indagandum quam-maximè pertinet, in antecessum id breviter excutiamus. Verba, quorum epitomen Gratianus exhibuit, hæc sunt: *Qui dicunt, talium* nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acutè & diligenter considerare, quid dicant; fallit eos quippè similitudo veritatis. Quia enim conjugium Christi dicuntur eligere, quæ Christianâ sanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes: Si viro suo vivo, quæ alteri nubit, adultera est, sicut ipse Dominus in Evangelio definivit; vivo ergò Christo, cui mors ultrà non dominatur, quæ conjugium ejus elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicunt, acutè quidem moventur, sed parum attendunt, hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas. Cùm enim laudabiliter etiam vivente viro ex ejus consensu continentiam Christo fœmina voveat; jam secundum istorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipsum Christum, quod sentire nefas est, adulterum faciat, cui vivente viro nubit. Deindè, cùm primæ nuptiæ melioris sint meriti, quàm secundæ, (NB. *Et hæc ad fermentum illius seculi pertinent*,) absit, ut sanctarum viduarum iste sit sensus, ut Christus eis videatur secundus quasi maritus; Ipsum enim habebant & antea, quando viris suis fideliter serviebant subditæ, non carnaliter, sed spiritualiter virum, cui Ecclesia ipsa, cujus membra sunt, conjux est, quæ Fidei, Spei, Charitatis integritate non in solis virginibus sanctis, NB. sed etiam in viduis & conjugatis fidelibus tota virgo est. Universæ quippe Ecclesiæ,

c. Quidam distinct. 27

lib. II. c. 28.

cap. 10.

„ clesiæ, cujus illæ membra sunt, Apostolus dicit. Artavi vos uni viro virginem cá-
„ stam exhibere Christo. Novit autem ille conjugem virginem sine corruptione
„ fœtare, quem in ipsa etiam carne potuit mater sine corruptione procreare,(rectius
„ generare.) Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, quâ putant, la-
„ psarum à sancto proposito fœminarum, si nupserint, non esse conjugia; non par-
„ vum malum, ut à maritis separentur uxores, quasi adulteræ sint, non uxores, &
„ cùm eas volunt separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum veros adul-
„ teros, cùm suis uxoribus *vivis alteras dixerint*. Hæc omnia ibi Augustinus, quæ
ideò prolixius & integro contextu hic leguntur exscripta, ut eò facilius iis occurri
possit exceptiunculis, quibus non pauci mentem Augustini satis claram obfuscare &
pervertere adnituntur, è quorum numero *Mendoza*, quem dixi, ultimus non est,
sed inter primos fortè, ut videbitur, si ejus superinde audiamus sententiam, ita post

conf. D. Dorsch. Indic. Iniqu. p. 268.

„ & præter alios plures scribentis: *Multa excogitarunt hujus* seculi scriptores ad dis-
„ solvendum hunc impeditum Augustini nodum, quem adversus Ecclesiæ nostræ
„ decreta & religionum institutum Brentius hæreticus, Petrus Martyr & alii eorum
„ sectatores adeò exultantes proponunt, ac si de universâ Ecclesiâ triumphassent.
„ Quidam enim hunc locum facilius negari posse, quàm solvi, dixerunt, ut Espen-
„ sæus. Alii liberius totum librum non esse Augustini adfirmantes, sed Juliani cujus-
„ dam Pelagii hæretici sectatoris. Sic Hosius Cardinalis, non minus eruditione &
„ pietate, quàm dignitate illustrissimus, in sua illa Christiana & docta catholicæ fidei
„ professione de matrimonii impedimentis. Qui majori reverentia & religione lo-
„ cum hunc Augustini tractarunt, de voto simplici, non de solenni intelligendum
„ docent, ut Gratianus, Lombardus & alii; idque communi scriptorum hujus ætatis
„ consensu receptum est, ut testantur Sotus, Bellarminus, ac tandem doctissimæ illæ
„ Gregoriani decreti adnotatione. Sed age, videamus, si Augustini mentem præstan-
„ tius adsequi non possimus, an examinare saltim possimus accuratius, nec mentem
„ tantum, sed & verba epistolæ (*Libri*) & epistolam (*Librum*) totam à calumnia obje-
„ cta vindicare, cum certò illam esse Augustini testetur Possidius. Augustinus enim
„ ibi eò intendit animum, ut doceret Julianam Viduam, & ejus etiam nomine omnes
„ Christianas, (ad Julianam enim scribebat, quæ nullo voto simplici, ut vocant, vel so-
„ lenni se devinxerat, sed continentiæ statum repulsis nuptiis secundis elegerat,) bo-
„ na & perfectionem viduitatis continentiæque; sic enim librum vel epistolam in-
„ scripsit, de *bono & perfectione viduitatis*. Multa dixit de illius laude, non tamen illa
„ tanti esse adfirmavit, ut si viduæ velint nubere secundò, ne urerentur, illis non lice-
„ ret; reprobat enim antiquum Tertulliani, secundas nuptias velut adulterium da-
„ mnantis, & cataphrygarum errorem, in quem ne impingeret Juliana, (ab eo enim
„ non procul aberat nimia continentiæ suæ laudatione,) multis verbis docet, suadet
„ atque contendit omnibus ferè capitibus præcedentibus. In hoc ergo persistens
„ proposito Augustinus, ad revincendam illius erroris falsitatem, post alia adjecit.
„ *Ipsa, quæ præscripsimus, cùm recitasset verba, ita pergit Mendoza:* Hæc eo animo &
„ consilio Augustinus, quibus nihil verius, nihil doctius, nihil sanctius, nihil antiquis
„ & recentibus Ecclesiæ Catholicæ moribus & decretis accommodatius vel scribi
„ potuit vel excogitari. Hoc autem solùm scripsisse & docuisse Augustinum, non ve-
„ rosimilibus argumentis, sed propriis rerum & mentis suæ notis confirmabo. *Non*
„ *vacat, omnia hæc adscribere, utpote prolixiora. Id saltim nunc porrò addam, quo proli-*
„ *xissimam hujus suæ explicationis deductionem finivit:* Non ergò nuptias post votum
„ emissum admittit Augustinus, ut Brentius contendit, &, quod magis miramur, Ho-
„ sius Cardinalis. Persuasus enim, hanc fuisse Augustini sententiam, opponit adversus
„ illam Cyprianum, Ambrosium, Basilium, Theophylactum, ea vocitantes adulte-
„ ria; cùm tamen sit certum, non tantum similia Augustinum cum Cypriano & reli-
„ quis Patribus sanctis, sed eadem prorsus & eodem Ecclesiæ Catholicæ sensu & Spi-
„ ritus Sancti adflatu Christianæ docuisse & sapienter, scilicet, viduas nullo emisso
„ voto justè matrimonium posse contrahere. *Et post aliqua.* Cùm ergò hæc sancta
„ & pia Augustini doctrina cum Divo Paulo, cum Pontificibus, cum Conciliorum de-
„ cretis mirè consentiat, quid opus est illam de simplici voto interpretari? Ex quibus
„ deducitur vera & germana Augustini sententia, continentiæ votum ut *factu li-*
„ citum, si ruptu illicitum & redditu esse necessarium, contextumque à Gratiano
„ relatum falsò tribui Augustino, cùm verbum illud, post votum, in toto Augustini
„ libro non extet, nec ad rem & causam Augustini & Julianæ spectabat, quæ de solo

bono

bono erat simplicis propositi continentiæ. Quod notandum est etiam ad ea, quæ Interpretes nostri, verbis Augustini graviter pressi, sensu *diverso docere solent.* Omnibus aliis prætermissis, quæ ad prolixam hanc verborum Augustini non tam interpretationem, quàm perversionem manifestam possent & fortè deberent observari, ea nunc tantum subjungere placet, quæ nuperus editor Concilii hujus Illiberitani à Mendoza illustrati, *Immanuel Gonzales*, Doctor Salmanticensis contra eam in additionibus suis notavit, utpotè in præsens sufficientia: *Sententia retenta, videlicet*, conjugia à religiosis viris sacratisque virginibus, seculis Ecclesiæ prioribus usque ad duodecimum, valida fuisse, licet prohibita, facilè defendi potest Augustinus à Gratiano relatus, cujus verba refert Mendoza; in eis enim sanctus Doctor apertè reprehendit eos, qui existimabant, nuptias hujusmodi nullas atque dirimendas esse, & adserit, hujusmodi conjugia nequaquam esse adulteria censenda, sed legitima, licet illicita, cùm adhuc ab Ecclesia non essent sub irritatione prohibita. Unde necessum non est, cum Mendoza in præsenti accipere Augustinum de secundis nuptiis, quas non-nulli suis temporibus parùm considerate damnaverant; agit enim sanctus Doctor de nuptiis post votum castitatis emissum celebratis, ut omnes fatentur Doctores, ideoque adducit locum Pauli, ubi de viduis post votum emissum ad nuptias transeuntibus agit Apostolus. Nec rectè pro suâ sententia expendit Mendoza, Augustinum scribere ad Julianam Viduam, quæ nullo tenebatur voto; igitur agit de secundis nuptiis. Sed licet hoc ita esse admittamus, quid indè? An, quia viduitatis propositum commendare cœpit, non potuit ad alia *conjuncta gradum facere*? Essent & in his & sequentibus, quæ mererentur censuram, nisi satis esse posset, videre Fratrum Cadmæorum inter se super laudata à *Gratiano* Augustini sententia pugnam, ex qua ad nostrum in præsens institutum non planè nihil commodi expectandum. 1. Timoth. 5.

Ego nunc iterùm plus ultra progredior, ex alio quodam Augustini loco ostensurus, eum sententiæ Apostoli, qui, *ut propter fornicationem unusquisque suam habeat uxorem*, præcipit, juxta orthodoxorum explicationem non ita fuisse contrarium, ut Bellarmino quidem & aliis pluribus visum est. Exhibet cum *Thomas Sanchez*, in de sacramento matrimonii opere, sequentem tractans Quæstionem: *Nam ei, qui* venereis tentationibus vexatus possim summabit, nec aliis adhibitis mediis, fore, ut illi consulatur, spes est, liceat suadere, ut matrimonium ineat, quamvis voto castitatis simplici adstrictus sit? *Addit pro uberiori Quæstionis intellectu:* Quæstio hæc ex eo pendet, an liceat minus malum consulere illi, qui majus perpetrare animo constituit, & ad id inducere illum? *Pro responsione subjungit:* Duplex est sententia. Prima ait, illicitum esse, id minus malum consulere. Altera, quam veriorem existimo, licet prima sit satis probabilis, ait, licitum esse, consulere minus malum gratia vitandi majoris, quando is, cui consulitur, constitutum apud se habebat majus illud malum perpetrare, & alia via à malo revocari nequit proposito. Ut si quis certus sit adulterium perpetrare, nec alio possit retrahi modo, illi potest suaderi, ut potius simplicem admittat fornicationem. Probatur ex Augustino, cujus sententia à *Gratiano* refertur in Jure Canonico, quæ hæc est: *Si facturus est, quod non licet, jam faciat adulterium, & non faciat homicidium; ut vivente uxore sua alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat.* Ubi Augustinus ei, qui decreverat uxorem necare, quo aliam duceret, consulit, ut potius adulterii reus sit, aliud vivente uxore matrimonium ineundo, quàm uxoricidii. Et quamvis glossa ibi explicet hunc textum, ut loquatur non consulendo, sed permittendo, ita ut sensus sit, potius esse permittendum minus malum; & eodem modo ibi explicat Turrecremata, explicat enim, faciat, id est, tolerabilius erit. At verò textus non permissionem, sed Consilium continet, quod clarè sonant verba, *jam faciat adulterium.* Alii autem volunt, eum textum minimè favere huic sententiæ, sed potius contrariæ, quod ibi Augustinus subdat, non esse illicitum pro illicito faciendum, concludens, si utrumque sit nefarium, alterum pro altero minimè perpetrandum esse, sed utrumque vitandum, Sic Gabriel, Immanuel Saa & Pererius. At alii, nominatim Abbas, Ananias, Adrianus, Sotus, Navarrus, Gutier, Aragonius, Molina, (dicens, esse rem apertam) explicant hunc textum, ut verè Augustinus consulat id minus malum; quia, quamvis dicat, neutrum crimen esse perpetrandum, neq; alteram pro altero eligendum, ac proinde eligentem minus delictum culpæ obnoxium esse; at expresè, quando delinquens utroque renuit abstinere, consulit illi, *ut minus exequatur malum.* Ad ipsam Thom. II. lib. 7. Disp. 11. lib. II. de adult. conjug. c. 15.

ipsam Augustini ex *Gratiano* sententiam, ejusque diversam apud Interpretes Papistas explicationem, nunc quidem nihil addo, cùm id hujus loci non sit; id tantum noto, si Augustinus juxta *Sanchezii* & aliorum, quos citat, sensum, in eo, quem formavit; casu, ipsum non concessit, sed consultus suasit adulterium, ad evitandum homicidium; an putandum est, eum ad evitandam fornicationem, voto obstrictis denegaturum fuisse honestum Matrimonium, quod sine omni exceptione quibusvis non permisit solùm, sed expresè præcepit Apostolus Dei Spiritu ductus, clarissimè scribens & omnibus in universum loco oraculi proponens, *Melius esse nubere, quàm uri ?*

Sed pergendum est in Vindiciis eorum, quæ Clericorum conjugio ex Augustino solent adduci, ubi jam non attentis iis, quæ ex canone Synodi Carthaginensis, tempore Augustini ac præsente eo celebratæ, supra fuerunt laudata, àque partis adversariæ glossis impertinentibus liberata; illud sicco pede prætermittendum non est, quod sub Augustini nomine ex *Gratiano* sibimet ipsi objicit Bellarminus testimonium, quo Clericorum continentia inter ea perfectionis Consilia refertur, quæ Ecclesia *post Apostolorum Instituta* addidisse dicitur. Illud enim eliminaturus respondet Bellarminus, *verba hæc non esse Augustini, sed Gratiani, qui sua cum verbis Augustini continuaverit, ut sæpe solitus facere; præterea, quod hic dicit Gratianus, bonum habere sensum. Cum enim ait, Ecclesiam addidisse quædam Consilia perfectionis, & in eis numerat continentiam Clericorum, dicere vult, Ecclesiam imposuisse Clericis continentiam præcepto servandam, quæ alioqui solùm erat consilium perfectionis. Nec enim credibile est, tam ineptum fuisse Gratianum, ut putaverit, continentiam non fuisse consilium perfectionis ante definitionem Ecclesiæ.* Atqui sicut fatendum est, verba hæc *Gratiani* esse, non Augustini, quæ tamen in antiquis editionibus, nominatim in illa quæ cum Glossa *Venetiis*, per *Baptistam de Tortis*, anno seculi prioris quarto, prodiit, ita cum verbis Augustini junguntur, ut lector Augustino non inspecto vel consulto per incuriam & minus accuratam contentorum utrobique ponderationem posset credere, omnia, quæ ibi eadem litera exhibentur, esse Augustini, etsi nota *Gratiani* ab Augustini Textu non parum discrepet, si debito inter se conferantur modo; ita in præsens contra Bellarminum sufficere potest, quod *Gratianus* suo tempore agnoverit, & Augustino quidem non invito, Clericorum continentiam neque divino vel Apostolico jure niti, sed inter Ecclesiæ tantum consilia referri, Bellarmino mentem *Gratiani* insigniter pervertente, dum consilium Ecclesiæ in præceptum mutare ausus est, verbis Gratiani apertissimè reclamantibus. Incidenter hic & ingenuè monendum est, dum de *Gratiani* sententia sub Augustini nomine per errorem vendita agitur, idem evenisse alii etiam *Gratiani* sententiæ ad præsentem materiam pertinenti, ei nominatim, quâ Gratianus *copulam Sacerdotalem nec legali, nec Evangelica vel Apostolica authoritate prohiberi* scripsit, in Nota ad testimonium aliquod Augustini de Sortibus, quæ tamen verba, dum itidem in editionibus antiquis eadem literarum formâ ac sine ullo discrimine leguntur, *Andreas Fricius Modrevius*, inter Irenicos seculi superioris scriptores satis notus, in *de emendatione Reipublicæ* Christianæ ad Regem, Senatum, Episcopos, Equites & populum Poloniæ universum Commentariis, de hoc eodem argumento satis prolixè agens tanquam Augustini verba ex Gratiano laudavit.

c. Cum igitur, 35. qu. 1.

c. Sors, 26. quæst. 2.

lib. IV. cap. 20. p. 301.

Nunc unum adhuc argumentum pro conjugio Clericorum supereſt vindicandum, ne & in eo Augustinus à partibus Evangelicorum omninò videatur dissentire. Exhibet illud verba Christi, quibus verbum de continentia, videlicet perpetuâ & Voto singulari adstricta, *non omnes capere dixit.* Dupliciter id Oraculum authoritate Augustini nobis eripere tentat Bellarminus, semel ad eum provocans Augustini *de adulterinis conjugiis* librum, ex quo Sanchezium in contrarium proximè vidimus agentem, ut opera ulteriori opus non sit; *deinde* eam obtendens Augustini doctrinam, quâ eum cum aliis Patribus perhibet docuisse, *neminem esse, qui continere non possit, si velit.* Iterùm fateor, Augustinum non adeò remotum ab hac videri doctrinâ, si verba ejus legantur ad quæ Bellarminus lectorem misit, quibus non diffisus est sanctus Pater id à Deo impetrare, *si gemitu interno pulsaret aures ejus, & fide solida in eum jactaret curam suam.* Sed dum Augustinus id de se in ea ætate præsumsit, quâ eum libros Confessionum scripsisse notum est, non sequitur, omnium id esse, cùm aliàs & alibi idem testetur, *utramque continentiam sive castitatem, videlicet & virginalem & conju-*

Matth. 19.

lib. 6. Confess. cap. 11.

de Contin. cap. 1.

conjugalem à Paulo prædicari tanquam singulare donum Dei. Quin & eo in loco, quem Bellarminus modò ad suas trahere conatus est partes, hæc sanctus Doctor ad laudata Christi verba addidit: *Qui potest, capiat, quod non omnes capiunt.*

Et jam posset hæc de cœlibatu Clericorum tractatio finem habere, cum de omnibus actum sit ex debito, quæ ad authoritatem Augustini in hoc etiam argumento vindicandam videbantur necessaria; nisi ex superfluo tribus tantum verbis de illa dicendum videretur Epistola, quam *Vdalricum* quondam Augustæ in Patria Episcopum ad Nicolaum Pontificem Romanum contra hunc cœlibatum scripsisse, præter *Centuriarum Magdeburgensium* scriptores testatur collector *orthodoxographorum* superiori seculo non multis post cœptam Dei gratia & Lutheri ministerio reformationem annis editorum, in qua præter alia illud inprimis Augustini testimonium notatu dignissimum legitur: *In timore Christi, in nomine Christi exhortor, quicunque non habetis temporalia, habere non cupiatis; quicunque habetis, in eis ne præsumatis. Dico autem, non si ista habetis, sed si in istis præsumatis, damnamini; si propter talia magni vobis videamini, si communem generis humani conditionem propter excellentem unitatem obliviscamini. Quod nimirum discretionis poculum ex illo fonte prædicationis Apostolicæ hauseritis:* Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem; adligatus es uxori, noli quærere solutionem. *Vbi & subditur:* Qui habent uxores, tanquam non habentes; & qui utuntur mundo, tanquam non utantur. *Item dicit de Vidua,* cui vult, nubat, tantum in Domino. *Nubere autem in Domino est, nihil in contrahendo Connubio, quod Dominus prohibeat, attentare.* Equidem manibus pedibusque contranititur Bellarminus & omnes alii, qui pro Clericorum cœlibatu militant, ne quid authoritatis hæc Epistola obtineat, varia conquirendo argumenta, ut suspecta de suppositione fiat lectori, quibus tamen post alios dudum satis ex asse fecit D. *Gerhardus* noster, ut ad plenariam confectionem nihil sit super. Illud tantum hic in gratiam lectoris moneo, celebrem quendam Virum in hujus argumenti tractatione occupatum de *Vasquezio* scribere, *rectius eum, quàm alios hodie Pontificios, hanc Epistolam sine tergiversatione ut genuinum scriptum adlegare & admittere.* Sed si ipse *Vasquezius* consulatur, aliter omninò eum de hac Epistola censuisse legitur, similem videlicet in modum, quo Bellarminus, utpote ad cujus examen apertissimè provocat, ex *Staphylo* etiam addens, *eam esse confictam.* Unde autem celebris hic Vir & in scriptis non unius generis & speciei authorum satis diligenter versatus id habuerit & hauserit, contrariam *Vasquezio* adscribens sententiam, hactenus divinare non licet. Videant ii, quorum interest, ne per ejus authoritatem lector de *Vasquezio* aliter sentiat, quàm par est & justum.

lib. V. de adult. conjug. cap. 18.

Confess. Cathol. Tom. III. p. 61.

in 3. p. Thom. Disp. 249. cap. 7.

Ego ad id tandem me confero, quod adpendicis loco excutiendum restat *de digamis,* circa quos hanc Quæstionem format Bellarminus, *Num Apostolica lege prohibitum sit, ne, qui post obitum primæ uxoris alteram duxit, ad sacros ordines admittatur?* Et quia hanc controversiam ex eo Apostoli oraculo decidendam esse agnoscit, quo *Episcopum (& Diaconum) unius uxoris Virum* esse vult, hinc ubi diversas Interpretum super eo sententias adduxit, ut eam omnibus modis defendat, quæ Apostolum de Digamiâ non solùm simultaneâ, sed etiam successivâ, aliàs *Deuterogamia,* intelligendum esse statuit, ad Patrum quoque authoritatem, Augustini nominatim provocat, addens, *unum esse Theodoretum, qui contrariam de Digamia saltem simultanea ab Apostolo prohibita tueatur sententiam.* Videamus ipsa Augustini verba, ut de ejus sententia eo commodius fieri possit judicium, quæ nimirum ipse laudat Bellarminus. Ita autem sanctus Doctor: *Non absurdè visum est, eum, qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium.* Ad quæ verba Bellarminus hæc notat: *Augustinus cùm dicit, numerum singularem uxorum excedere, impedimentum esse ordinationis, nec tamen esse peccatum, aperte indicat, se loqui de multitudine uxorum non uno tempore, sed diverso; nam eodem tempore plures habere uxores, Christiano plane nullo licet modo ex Augustini sententia.* Fatendum & hic iterum est, Augustinum contra Digamiam quoque successivam pugnasse, sed non ex jure quodam Apostolico, quod Bellarmino demonstrandum fuit, verùm ex more & usu seculi, quo ipse vixit, id quod verbis proximè antecedentibus manifestum fecit, scribens: *Sacramentum nuptiarum* temporis nostri *sic ad unum maritum & unam uxorem est redactum, ut Dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare, nisi unius uxoris Virum.* Ubi simul notari meretur, augustum Patrem verbis

1. Timoth. 3. Tit. 1.

de Bono Conjug. cap. 18.

verbis proximè sequentibus aliquam instituere comparationem inter Polygamiam Patriarcharum veteris, & monogamiam Sacerdotum Novi Testamenti, quæ locum habere non posset, nisi utrobique & Polygamia & Monogamia intelligeretur simultanea, utpotè quæ hic tertium vel terminum comparationis statuit. Verba hæc sunt: *Sicut plures uxores antiquorum Patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias uni Viro Christo subditas, ita noster Antistes unius uxoris Vir significat ex omnibus gentibus unitatem uni Viro Christo subditam.* Quæ Bellarminus, ut & hic successivam obtineat Digamiam vel potius *Devterogamiam* ab Augustino intellectam, regerit, frivola sunt. Scribit, *Antithesin Sacerdotum Testamenti Veteris & Novi in eo solum esse positam, quod illi plures habuerint uxores, isti unam; non autem in eo, quod illi habuerint plures simul, isti non.* Existimat, ex duobus id posse colligi. Primò, *Augustinus dicit, ideo Sacerdotes Novi Testamenti non posse plures habere uxores, quia significant Christi conjugium cum una Ecclesia; at Ecclesia una est omnino, non una post alteram.* Deinde, *idem Augustinus ibidem dicit, non esse peccatum, duas nunc habere uxores, sed tamen esse impedimentum ordinationis; at habere simul duas tempore Novi Testamenti, peccatum esse, idem docet Augustinus. Igitur cum dicit, Sacerdotem Novi Testamenti posse nisi unam habere uxorem, intelligit nec simul, nec successivè.* Frivola inquam hæc sunt, quibus rationem antitheseos Augustinianæ exhibet Bellarminus nulla ratione fultam, sed claritati verborum omni ex parte contrariam. Quid enim? Annon, sicut una est Ecclesia utriusque Testamenti, etiamsi repudiata Ecclesia Judaica, verè spiritualiter mortua, Christus è gentilitate novam sibi adaptavit vel adoptavit sponsam & conjugem; ita Viro etiam Sacerdoti mortua conjuge priori licebit in locum ejus aliam substituere, & quidem sine unitatis læsione, dum una post alteram suscipitur? Præterea, dum Augustinus fatetur, peccatum non esse, duas habere uxores, successivè nimirum; eometipso agnoscere debuit Bellarminus, eam legem, qua digamvis, vel rectius Devterogamis, ordinatio Ecclesiastica denegatur, neque divino, neque Apostolico Jure niti, sed humanam sapere, si quæ est, sapientiam & traditionem novam. Quod verò Augustinus in Monogamiæ Ecclesiasticæ encomio aliquam unitatis Ecclesiasticæ significationem exhibuit, ultra scopum extendi non debet, quia hæc significatio unitatis etiam in Digamia successiva vel Devterogamia locum habere potest, ut modò de unitate Ecclesiæ utriusque Testamenti observatum est, & ipse Augustinus, quod de Monogamia Sacerdotum scripsit, in eodem ferè comparationis tertio & termino de Monogamia cunctorum fidelium voluit intellectum, hæc in paulò post sequentibus addens: *Sicut sacramentum pluralium Nuptiarum illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subjectam in omnibus terrenis gentibus, sic sacramentum nuptiarum singularum nostri temporis significat unitatem omnium nostrum Deo subjectam futuram in una cœlesti Civitate.* Sicut ergo Augustinus significationem unitatis ostendit in Monogamia Sacerdotali, ita eam quoque exhibuit in Monogamia aliorum fidelium, quibus Digamiam, imo Polygamiam succedaneam Jure Apostolico fuisse prohibitam, Bellarminus statuere non audebit, nisi Paulo in faciem velit contradicere. Posito autem, quamvis non concesso, Augustinum contra successivam quoque Sacerdotum & Ministrorum Ecclesiæ Digamiam quasi ex jure Apostolico egisse, quod tamen ab eo non factum vidimus; etsi insuper hic toti in vindicanda Augustini authoritate simus occupati, quantum videlicet Aletheæ sanctitas permittit; nihilo tamen minus non immeritò illud lectori accuratius ponderandum potest proponi, an ita authoritate Augustini hic standum sit, ubi plures alii Patres, Græci pariter & Latini, alia planè via in indaganda Apostoli sententia procedendum existimarunt. Bellarminus quidem unum esse *Theodoretum* audacter, vel impudenter potius & ignoranter pronuntiat, *qui contrariam de Digamia saltem simultanea ab Apostolo prohibita tueatur sententiam*; è Græcis *Chrysostomum, Theophylactum, Oecumenium*; è Latinis *Hieronymum, Anselmum, Sedulium* cum aliis pluribus ad suas trahens partes, sine omni exceptione sibi adstipulantes. At sincerè magis hanc rem tractavit *Espenæus*, scriptor superioris seculi eruditissimus, post *Theodoretum* ingenuè *Chrysostomum, Theophylactum, Hieronymum*, Pauli Oraculum de Digamiâ saltem simultaneâ intelligentes laudans, eorumque sententiam super hac re verbotenus & prolixe adducens, unde satis superque potest constare, in alia eos, quàm Augustinum, quod oraculi Paulini sensum fuisse sententia. De *Hieronymo* in specie idem agnovit *Sixtus Senensis*, duobus in locis verba ejus huc pertinentia exhibens, hac cum observatione, *Sedulium & Anselmum*

Comment. ad Epist. I. ad Timoth. Bibl. S. lib. 6. Annot. 318. & 325.

sclmum idem cum Hieronymo statuisse. Ipsa exscribere verba opus non est, neque instituti ratio requirit, cùm satis esse possit, hos scriptores Papistas testimonium contra Bellarminum dedisse, aliosque Patres & Ecclesiæ Doctores, eosque satis illustres loco Augustini nobis concessisse, quamvis nec ille in totum nobis sit contrarius, ut prolixè vidimus. Ut è recentioribus unum & alterum insuper audiamus interpretem, *Claudius Guilliandus*, expositor scripturæ à *Possevino* insigniter laudatus, quamvis *Augustini* opinionem de Digamiâ succedaneâ non reprobet, eam tamen, quæ digamiam simultaneam ab Apostolo tantum prohiberi adserit, in collationibus suis præponit sequentem causam prohibiti Apostolici reddens: *Hoc dixit, quia multi eo tempore plures habebant uxores, imitantes, ut adserebant, Veteris Testamenti Patres.* Ambrosius Catharinus, quem supra quoque testem habuimus, etsi & is pro *Augustini* stet sententia, ea tamen interserit, quæ nostro inservire possunt instituto, sequentia scribens: *In lege Christiana nunquam fuit licitum, duobus eodem tempore copulari, nisi Iudæis fortè ad cordis duritiam & ad tempus; & propter hos id fortè dictum est, quo SALTEN digami arcerentur ab Episcopatu.* Juvat his tandem addere, quæ *Erasmus* ad hoc Pauli oraculum notavit: *Id nunc nimium durè*, ne dicam ridiculè, ad unum « torquent Ecclesiam. Ad Chrysostomus interpretatur de unica uxore, quam habeat Episcopus; addens tamen, esse non-nullos, qui sic exponant, unius uxoris virum, qui fuerit semel duntaxat maritus. Et periclitatur Chrysostomus, ne Paulus « exigere videatur ab Episcopo, ut uxorem habeat. At nunc non solùm à tot Presbyteris exigitur castitas, verùm etiam ab hypodiaconis contractum dirimitur matrimonium. Quin id quoque vehementer adstringunt, quod eo seculo, quo summa erat Sacerdotum raritas, instituit Paulus servandum in Episcopis, ut non adiret « hunc honorem digamus. Jam enim, cùm tot sint Sacerdotum ubique millia, excluduntur à Sacerdotio, qui vel imprudentes duxerint corruptam; imò qui ante Baptismum habuerit uxorem, & à baptismo duxerit alteram priore defuncta, arcetur à « Sacerdotio, licet hac in parte graviter reclamante Hieronymo. Quia illud magis « mirum, cùm tot egregias dotes requirat Paulus in Episcopo, cæteris prætermissis, « solius uxoris habetur ratio. Admittitur incestus, admittitur homicida, admittitur « pirata, admittitur Sodomita, sacrilegus, parricida; denique quis non? Solus excluditur digamus ab hoc honore, qui solus nihil admisit. Mirum est autem, ut quæ- « dam urgemus, ac plus-quam mordicus tenemus, ad quædam prorsus conniventes. « Si quis perpendat horum temporum statum, quotam hominum portionem greges « Monachorum occupent, quotam Sacerdotum & Clericorum collegia; deindè perpendat, quàm pauci è tanto numero verè servent vitæ castimoniam, in quæ libidinum genera quàm innumeri devergant, quanto cum probro complures palàm incesti sint & impudici, fortassis judicabit magis expedire, ut iis, qui prorsus non continent, jus fiat publici matrimonii, quod absque malâ famâ purè sancteque colant « potius, quàm infeliciter ac turpiter libidinentur. Sed etiam atque etiam vereor, ne « census Ecclesiastici castrent hodiè Clericos verius, quàm pietas, dum metuimus, « ne, quod tenemus, intercipiatur, aut certè *nihil accedat*. Quibus Erasmi verbis totam « hanc de cœlibatu vel conjugio Clericorum tractationem utpotè notatu dignissimis claudere placet.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM & seqq.

De

Exemptione Clericorum,

à

Iugo potestatis politicæ.

QUæ Evangelicorum circa hanc Controversiam de Clericorum exemtione sit sententia, & qua in re à Doctoribus Papæis dissentiant, ipsa docet praxis. Quibus distinctionibus & limitationibus ea circumscribatur & de jure circumscribi debeat, præter Theologos ante annos non ita multos peculiari tractatu ostendit celebris quidam Jurisconsultus, Clericorum & Pastorum inter Evangelicos causam, contra pseudo-politicorum tyrannidem egregiè tuitus, laudem indè non parcam reportans. Nobis Augustini authoritas & hic attendenda venit, quam ex eo inprimis loco, ad quem Bellarminus in primæ propositionis demonstratione provocavit, suprà non semel vindicatam licet legere, nominatim, ubi de regimine Monarchico Ecclesiæ, de Jure adpellationum, de Præside Conciliorum Generali, eorumque

vid. Consil. Witteb part. II. p. 182. seqq.

que supra Romanum Pontificem potestate prolixius fuit actum, quibus si addantur, quæ ex aliis & parallelis Augustini locis in tractatione quæstionis de regimine secularium in Ecclesia fuêre producta, præsentem quoque controversiam non parum illustrare possunt. Nunc ex abundanti illud adhuc subjungo, quod, cùm in hac quæstione primum meritissimo & classicum occupet locum Apostoli oraculum, quo omnem sine omni exceptione animam *potestatibus sublimioribus* vult subditam, præter alios interpretes Papæos *Esthius* ingenuè fateatur, *omnes veterum commentatores, tam Græcos, quàm Latinos, & in specie Augustinum statuisse, Paulum hoc loco de potestate tantum seculari agere, idque & contextum sermonis, & gladii ac tributorum mentionem satis indicare.* Quorsum pertinet, quod idem Doctor augustus in hujus oraculi explicatione generatim bene monuit: *Cùm constemus ex anima & corpore, quamdiu in hac vita temporali sumus, rebus etiam temporalibus ad subsidium degendæ hujus vitæ utamur, oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc pertinet vitam, subditos esse potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus; ex illa verò parte, qua credimus Deo, & in regnum ejus vocamur, non nos oportet esse subditos tui quam homini, id ipsum in nobis everiere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus est.* Et quia Bellarminus in quintæ propositionis super hac controversia illustratione Christi inprimis oraculum urget, quo *liberos esse filios* pronuntiavit, addita Augustini explicatione, placet eam huc adponere, ne quid in veritatis præjudicium docuisse videatur sanctus Pater, qui Christi verba sequentem in modum exposuit: *Quod dixit, liberi sunt filii, in omni regno intelligendum est, liberos esse regis filios, non vectigales. Multò magis ergo liberi debent esse in regno terreno filii illius regis, sub quo sunt omnia terræ regna.* Atqui Bellarminus & juxta ejus doctrinam Clerici Romanenses vix se solos Dei filios dicere audebunt, exclusis fidelibus cæteris omnibus; adeoque se etiam solos dicere non possunt liberos, àque omni potestatis politicæ jugo exemtos.

Rom. 13.

Matth. 17.

LIBRI SECVNDI,

De

MONACHIS,

CAPUT PRIMUM & seqq.

De

Nomine, Naturâ, Varietate, Confirmatione, Origine Monachorum & religiosorum.

ANte-quàm examen hujus controversiæ, utut perbreve & succinctum adgrediamur, quid de statu monachismi antiquorum, nominatim seculo Augustini, statuerint antehàc evangelici confessores, tempore reformationis per *Lutherum* Dei organum inchoatæ, operæ pretium erit audire, qui mentem suam hac de re sequentibus expresserunt verbis: *Augustini tempore libera erant Collegia; posteà ubique corrupta disciplina, addita sunt vota, ut tanquam excogitato carcere disciplina restitueretur.* Non attentis jàm iis, quæ Bellarminus ex Augustino opposuit, utpotè quæ suo ordine & loco responsum accipient, id nunc ea inter inprimis meretur observari, quod in Harmonia Confessionis Augustanæ, quam superiori adhuc seculo *Andreas Fabricius*, Leodius edidit, non solùm in genere illa responsio, quæ nomine Imperatoris Caroli & Principum *Romano*-Catholicorum conscripta fuit, agnoscat, *Monasteria olim fuisse scholas literarum*; Johannes quoque *Cochlæus*, juratissimus Augustanæ Confessionis & Evangelicorum hostis, in discussione hujus articuli, fateatur, *non solum olim, sed nostris adhuc temporibus, in Monasteriis, tam locupletibus, quàm pauperibus, fuisse scholas doctrinæ*; verùm etiam Johannes à *Daventria*, in refutatione ejusdem, etsi demonstrandum in se susceperint, *non Augustini solum tempore, sed & ante Evangelii initium fuisse religiosos, qui relictis rerum mundanarum vanitatibus voto sese obstrinxerint*, dubitanterque scripserit, *incertum adhuc esse, an omnia tempore Augustini Collegia fuerint libera, cum certò constet, quod mox post Apostolos solennem Monachi fecerint professionem*; illud tamen in veritatis gratiam sibimet

Art. 6. abusus.

sibimet ipsi contrarius addiderit: *Ante Augustinum fuisse Monachos, qui initio Ecclesiæ nascentis publicè & solenniter profiterentur Monachatum*, hæc notanter subjungens: *Puto, tunc turpius fuisse, professione & proposito decidere,* (forsitan, decedere,) *quàm nunc est, votis nullam præstare fidem.* Quod tempora ante Augustinum, imò ante Evangelium, ut Daventria scribit, attinet, de quibus contra *Boulducum & Caramuelem*, Monachismum votivum in Ecclesiâ Veteris Testamenti quærentes, in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* ex occasione actum est, illud saltem hic placet adscribere judicium, quod *Lucas Holstenius*, in dissertationis proœmialis fragmento *ad Codicem regularum* lectori statim sub initium exhibuit, ita scribens: *Frustra sunt, qui verum & perfectum Monachismum Christianismo vetustiorem faciunt, cujus in Veteri Testamento figura magis, quàm forma; præsagia potius, quàm exempla reperiuntur. Anachoresis Eliæ, hujus & Elisæi discipulorum convictus, Nazaræorum & Rechabitarum instituta; tumsi quæ occurrunt alia hujus generis, videri possunt quædam quasi rudimenta gratiæ Monachos facere exordientis. Esseni quoque, quorum Ebræi meminerunt, uti & quos Philo describit, (quanquam hos Hieronymus fuisse Christianos putat,) multis, ut palam est, differentiis à Monachorum instituto discrepabant.* Possent quidem & hæc aliquod sustinere examen, nisi multò tolerabiliora essent præ iis, quæ communiter in hoc argumento legi solent. Sufficiat nunc contra *Daventriam* ex proprio, quod nobis suppeditat, testimonio observasse, Augustini tempore ea vota, quæ hodiè Cœnobitas utriusque sexus rigorosissimè solent adstringere, nondum ità obtinuisse, cùm expressè ea ad nostra referat tempora, Monachis verò Augustini tempore solam professionem & propositum in genere adscribat, nullâ specificatione voti addita; neque omninò statuat impossibile tum fuisse, ab hoc decedere proposito, sed tantum, quod cum aliquâ turpitudine fuerit conjunctum. Atqui non tangunt hæc & similia scopum vel controversiæ statum, qui inter Evangelicos & Papistas præcisè non est, an tempore Augustini, vel ante etiam, fuerint hic & ibi Collegia Monachorum & Monialium, separatim sub certo quodam instituto viventium, quod negare, esset, soli in die mero lumen auferre; sed an eadem fuerit cœnobitarum ratio tum, quæ hodie est, & num Augustinus hanc professionem à Jure quodam divino derivaverit, vel agnoverit, esse eam instituti Apostolici, tantæque perfectionis, quanta hodie eidem communiter solet adscribi; quin &, quod hic inprimis attendendum est, an Bellarminus pro instituti hujus commendatione semper ex genuinis & indubitatis utrinque Augustini scriptis militaverit, imò, an Augustinum testem pro ratione scopi idoneum laudaverit? Certè si hæc singula rite observentur, quod par est atque justum, multa Bellarmino auferentur arma, quæ ex Augustini panophia ad victoriam contra hæreticos obtinendam mutuò sumsisse voluit videri, id quod sequens examen ad lydium veritatis lapidem nunc ostendet.

Et ut in antecessum breviter aliquid dicatur de iis Augustini in laudem Monachismi contra ejus vituperatores testimoniis, quæ Bellarminus in præfatione non ita parcè citat ex variis ejus libris & tractatibus, si res æqua ponderetur lance, adparebit, ea Evangelicos non tangere, utpotè statum hunc, qualem tempore Augustini fuisse confessores Augustani agnoverunt, non ita vituperantes, ut vulgò ipsis imputatur, quique ideò tanquam omnis continentiæ osores non male tentum, sed pessime audiunt, quamvis dudum in publico suam testati innocentiam, ad quam hic quoque non indebita fit provocatio. Ad ipsam hujus controversiæ tractationem ut deveniatur, dum Augustinus illud regii vatis oraculum illustrat, quo *habitare fratres in unum* dicitur bonum & jucundum, aliaque inter ad elogium fraternæ unionis amplificandum monet, *Canticum hoc dulcissimum excitasse homines, & de secularibus fecisse Monachos*; Augustinum hic munus historici executum esse, nemo non videt, narrantem videlicet, quid occasione hujus dicti ab aliquibus factum sit, non quid ipse Spiritus sanctus, ex cujus inspiratione id profectum est, primariò intenderit, de quo interpretes consulendi. Aliàs si Monachismus indè præcipuam expectare debet laudem, quod ejus sectatores ab hoc oraculo non ritè intellecto se excitari ad hoc institutum sunt passi; laudent etiam Monachi Eunuchismum *Origenis*, qui verborum Christi de triplici Eunuchorum genere vel specie sensum adsequi impotens, virum se esse noluit, & quæ ejus fuit intentio, propter regnum cœlorum semetipsum castravit. Ut alia non minoris absurditatis facinora silentio nunc tegam, quæ Dei verbum pro fundamento visa sunt habere; ne videlicet Monachorum pie & in bono

Psal. 132. vel 133.

inter se conspirantium unitatem damnare videar, quam laudasse Davidem ex Augustino voluit Bellarminus.

de moribus Eccles. cap. 31.

Varietatem ordinum quod attinet, verum est, quod Augustinus suo tempore duo agnoverit genera religiosorum, *unum anachoretarum, alterum cœnobitarum*; sed quod ea ex institûto divino vel exemplo Apostolico duxerint Originem, nullibi dicit vel agnoscit Augustinus. Ut jam non dicam, ipsum agnoscere Bellarminum, quoad numerum non consentire Augustino cæteros Ecclesiæ scriptores, qui hanc tractarunt materiam, in specie *Hieronymum & Cassianum*, quia & *Isidorum* quoque; quorum hic quidem diversa Eremitarum & Anachoretarum genera constituit, ex illis autem unus tertium, alter quartum genus addidit, de quibus tamen Bellarminus judicavit, *quod non sint vera religiosorum genera, sed potius relaxationes quædam & religionum corruptiones.* Quæ ipsa diversitas ostendit, ordines hos divinam institutionem aut exemplum Apostolicum ante & pro se non habere. De ipsa Augustini regulâ, ad quam Bellarminus, sicut & ad cæteras *Dominici, Francisci* &c. provocat, non pauca essent dicenda, nisi brevitas aliud jam imponeret. Illud sufficere potest in præsens, ex tribus regulis, quæ primo operum Tomo sub Augustini nomine exstant, ipsum quoque Bellarminum numero & ordine tertiam, reliquis duabus exclusis, Augustino adscribere, hâc cum observatione, *eam non viris, sed fœminis esse datam*, & haberi, in serie epistolarum Augustini; quæ verba etiam sua esse voluit laudatus paulò ante *Lucas Holstenius*, hanc sub nomine Augustini regulam exhibens parte tertiâ *Codicis regularum*, in quâ non nisi *regulæ ad virgines* scriptæ continentur, & quidem eo verborum tenore, quo inter epistolas legitur, contra quàm *Caramuel* fecit, eam quasi viris inscriptam suæ *regulari Theologiæ* inferens, & commentario satis prolixo illustrans. Et quia Bellarmini hic præprimis ratio est habenda, si ejus sententiæ ab *Holstenio* adprobatæ nunc quidem adquiescamus, per se cadunt, quæcunque non solùm ante hoc seculum in editione operum Augustini Parisinâ *Richardus Cenomanus*, Sorbonista, in Antidoto contra *Erasmi* censuram regulæ huic subnexo, sed & non ita pridem *Carolus Moreau*, Eremita Augustinianus, in pro Augustino *Vindiciis quadripartitis*, argumenta congesserunt, ut & viris eam præscripsisse videatur regulam Augustinus, altero horum in eo etiam occupato, ut demonstret, regulam hanc Augustini à non uno Pontificum Romanorum fuisse adprobatam, quod tamen ad præsens institutum non pertinet. Addo nunc, quod D. *Dorscheus* circa hanc Augustini epistolam & regulam optimè observavit, *in ea Augustinum non sanctimoniales in universum instituere; sed Monachas*, hoc est, *Viduas aut virgines, quæ exercitationis spiritualis gratiâ in unum congressæ sint & cohabitaverint, qualis Collegii ducem & præpositam se præbuerit ipsius Augustini soror.* Ubi simul & illud monet notandum, illas *sanctimoniales vel potius Monachas habuisse licentiam de illo recedendi proposito, cùm nuspiam voto solenni & perpetuo innodatas dicat sanctus Pater*, alia ex eo loca subjungens parallela, quæ exemplis id comprobant.

conf. le Cointe Annal. Franciæ Eccles. A. 536. num. 213. & seqq.

part. I. qu. 16. p. 113 in Indic. Iniqu. p. 194.

Ipsum Augustini exemplum ut etiam videamus, memorat Bellarminus ex duobus ejus sermonibus, quos *de communi vita Clericorum* scripsisse perhibetur, *quod in Episcopatu jam constitutus religionem Clericorum regularium instituerit.* Verùm sunt illi sermones ex eorum numero, quos *ad Fratres in Eremo* habuisse vulgo persuasum est, quos tamen Augustinum non agnoscere authorem, præter alios plures ipse Bellarminus *in de scriptoribus Ecclesiasticis* opere fateri est coactus. Et quamvis duos hosce velit exceptos, alios tamen neque iis parcere, per ea constat, quæ mox sub initium suarum pro Augustino Vindiciarum laudatus proximè scriptor adduxit, de eo quam-maximè sollicitus, ut non solùm hi duo, sed & omnes cæteri sermones Eremitici pro genuino Augustini fœtu agnoscantur. Adeò non indubitata sunt omnia Augustini scripta, ex quibus Bellarminum hactenus pro Monachismi instituto militasse vidimus. Sed pergendum est, atque porrò videndum, quid ultrà Bellarminus mercium pro Monachismi instituto sub Augustini authoritate commendet. Ubi sicut grati acceptamus Bellarmini confessionem, quâ Augustinum quoque inter cæteros religionum monasticarum authores agnoscit *nullam à Pontifice adprobationem regulæ legi quæsivisse, idque propterea, quod nondum extaret jus Ecclesiasticum id præcipiens*; ita dum, quæ de *Antonio* in vita ejus leguntur, quam vulgò *Athanasium* scripsisse perhibent, authoritate Augustini munire conatur; quasi & is

cùm

cum aliis *Athanasio* vitam *Antonii* adscripsisset, fallitur & fallit Bellarminus. Facit quidem Augustinus loco per Bellarminum citato mentionem vitæ *Antonii*, sed quod eam *Athanasius* scripserit; ne verbulo quidem indicat, sed à sola Bellarmini liberalitate in addendo id profectum est. Quamvis si id esset, quod tamen non est, minus nihilo adhuc probandum incumberet Bellarmino, vitam *Antonii* scriptam ab *Athanasio* & lectam ab Augustino esse eam, quæ hodienum extare dicitur. Quas enim eum in finem collegit rationes Bellarminus contra *Magdeburgensium Centuriarum* scriptores, præter alios *Rivetus* inprimis in *Critico* ita examinavit, ut si *Labbæus*, quod promisit, vellet præstare, & argumenta Bellarmini ab exceptionibus & instantiis *Riveti* vindicare, satis & hic inveniret, quod ageret. lib. 8. confess. cap. 6.

Ad id, quod Bellarminus porrò ex *Dionysii* Areopagitæ libro *de Hierarchiâ Ecclesiasticâ* pro exhibendâ & ostendendâ Monasticæ professionis formâ refert, addens, etiamsi liber hic Augustino & aliis ante se Patribus fuerit incognitus, non adeò multum interesse, sed *signum esse, authorem hunc non extitisse illorum tempore*; hoc breviter notandum, quod oculatissimus Sorbonista *Launojus* in bipartito *de duobus Dionysiis* opere post Bellarminum inter alia observavit, *seculo Areopagitæ inauditam fuisse Monachorum diversitatem, inauditum quoque consecrationis monasticæ mysterium*, quæ duo in hujus libri capite per Bellarminum citato traduntur; imò *Auctores quarti & quinti seculi vix ita loqui*. Et quia hic sub Dionysii nomine scriptor ibidem in descriptione Onomatologiæ monasticæ ad *divinos præceptores* suos provocat, nullique præter Paulum & reliquos Apostolorum Dionysi fuerint Præceptores, indè etiam constare posse idem monet *Launojus*, supposititum esse hunc Dionysio librum, *quia Paulus cæterique Apostolorum nullibi de Monachis ita, sicut hic author, loquantur, nullibi Monachos ita distinguunt; qui verò ita de variis Monachorum generibus scripserint, post Apostolorum & Dionysii hujus tempora vixisse, eoquemet ipso Areopagitæ hunc abjudicare librum*. Idem nuper prolixissimè singulari libro ostendit *Dallæjus* post operam *Launoii* hunc pseudo Dionysiastrum cum pulvillo excutiens, ubi inprimis *Halloixii* Lojolitæ, acerrimi operum Areopagitæ adscriptorum propugnatoris, Areopagiticam orationem cum Paulinâ absurdissimè comparantis temeritas castigatur, ac Ideæ hujus in alio quamvis argumento adductum ab eo velut ex Augustino exemplum refellitur. Part. II. p. 211. cap. 24. 28. & 30. Ibid. c. 31.

Post hæc ad Apostolorum nos ducit exemplum Bellarminus, quos *primos fuisse Monachos Christianos, vitamque instituisse cœnobiticam, ubi omnia essent communia, ac voto ad eam se obligasse perfectionem, quia & ab eorum exemplo religiones cœpisse*, ex quarto & quinto actorum capite Augustinum docere, innuit, idque loco duplici, quæ jam intuebimur. Et primum quidem quod attinet, non negamus, adscribere Augustinum aliquod votum Apostolis, quos vocat certa quadam ratione *potentissimos*, verum non respectu illius communionis, quæ in actibus eorum commendatur, cujus nulla planè ibidem extat mentio, sed occasione illius gloriationis, quâ Petrus communi Apostolorum nomine se omnia, quæ habuerant, reliquisse, Christumque vocantem secutos esse dixit; quod per votum aliquod factum esse, quale in Monachismi professione nunc requiritur, an Augustinus rectè scripserit, videant, qui omnia Patrum dicta satagunt defendere, in quorum numero Bellarminus quidem non est, non semel liberrimè ab Augustini & omnium aliorum Ecclesiæ Doctorum sententia recedens, cujus in posterum quoque exempla suppeditabuntur. Quamvis autem in Bellarmini gratiam Augustino, vel potius in Augustini gratiam Bellarmino concederemus aliquam voti speciem, qua Apostoli à Christo vocati per omnium suorum, quæ habebant, ultroneam & liberrimam derelictionem se ad perpetuam paupertatem obligatos fecisse dici possent, an ea propter Monachos propriè dictos fuisse eos dicet aliquis, vitamque instituentes cœnobiticam, quos imitari deceat, quicunque perfectam pro hujus seculi statu vitam ducere studeat, Deoque pro viribus placere? Multa certè intercedunt hic dissimilia, quæ aliter judicare docent, ubi singularitas instituti Apostolorum attenditur, quod quicunque prætendunt hodiè, etiam extra Monachismi statum, se & alios plurimùm fallunt, idque sibi attribuunt, ad quod nullam omninò vocationem ex debito possunt ostendere, de aliorum vocatione legitima & extra omne dubium posita quam-maximè solliciti. Posterius Augustini testimonium, quod pro aliorum exemplo Bellarminus è sermonibus *de communi vita Clericorum* producit, singulare non requirit examen, cùm paulò ante sit lib. 17. de Civit. Dei, cap. 4. Matth. 19.

ostensum, esse hos sermones in censu eorum, de quibus ab ipsis sincerioribus inter Censores Papæos non immeritò dubitatur. Hoc tantum ex superfluo nunc placet addere, si promiscuè id adprobari debet, quod exemplo Apostolorum non attentis rerum circumstantiis à quocunque hic & nunc fieri videmus, neque eam esse rejiciendam bonorum communionem, quam Anabaptistas ad imitationem illius exempli hodienùm observare videmus, & de eâ gloriari legimus.

lib. III. contra liter. Petil. cap. 40.

Quod Augustinus, id quod ulterius objicit Bellarminus, ad Petiliani Donatistæ accusationem, quâ eum ob institutum vitæ genus Monasticum inter alia arguit, nihil respondit, ac eomet ipso verum id esse fassus est, nullum planè de Origine Monachismi divinâ vel instituto ejus Apostolico testimonium præbet, quia potius, si res accuratius, ut par est, ponderetur, contrarium exhibet. Si enim juris esset divini Monachismus, aut exemplum ante se haberet Apostolicum, institutionem ejus sibi quoque passus non fuisset adscribi Augustinus, quod nemo non videt, quantum momenti in hoc habeat negotio, præsertim cùm augustus hic Doctor alias non nisi ex sacris scripturis contra adversarios egerit, id quod ex laudato etiam contra Petilianum opere plus satis constat. In specie, si ad tria deveniatur vota, obedientiæ nimirum, Paupertatis & Castitatis, quæ ab Antiquis etiam observata fuisse, ex citato superius Augustini libro *de Moribus Ecclesiæ* Bellarminus ostendere conatur; neque hic inficias imus, extare ibi à sancto Patre memorata harum virtutum documenta, ab iis observata, qui religiosam ex more illius seculi vitam sive inter Anachoretas, sive inter Cœnobitas ducere studuerunt. Sed oculatus præ aliis pluribus fuisset Bellarminus, si in Augustino eam votorum rationem vidisset & ostendere potuisset, quâ hodiè obligari solent & rigidissimè constringi, qui ad Perfectionis Christianæ statum contendere in vanum & irrito conatu laborant; si ea præter, quod semper hic ante omnia venit attendendum, in hoc Augustini testimonio, quod singulare Monachismi illo tempore florentis Elogium continet, aliquod pro his votis mandatum vel exemplum ad imitationem ex sacris literis, vel etiam, quod itidem hic non negligendum, aliquod promissum pro divino hujus rei beneplacito exhibuisset, ita ut horum votorum rei possent esse certi, se per obedientiam priori exhibitam, quam infra videbimus cœcam, per Paupertatem insuper voluntariam, quâ nihil ad necessitatem desideratur, per Castitatem quoque perpetuam, perpetuis tentationibus & gravissimis ustionibus obnoxiam, in profectiori vivere statu, Deoque magis placere, quàm liberos, servos, discipulos, subditos, auditores suis Parentibus, Heris, Præceptoribus, Magistratibus, Doctoribus ex mandato Dei & corde simplici pro viribus obedientes; quàm itidem Abrahamo, Isaaco, Jacobo, laudatissimis & dilectissimis Deo Patriarchis similes temporalibus Bonis per media non illegitima Deo specialiter labores eorum benedicente adfluentes, non tamen animo eisdem adhærentes, sed iisdem ad clementissimi Largitoris Dei gloriam ac proximi necessitatem ex debito utentes, Fidemque salvificam, quâ se coram Deo in hoc seculo justos esse, in altero autem & futuro beatos fore toti confidunt, verè bonis & non humanâ, sed divinâ traditione commendatis operibus tanquam fructibus generosis exhibentes & demonstrantes; quàm & porrò conjuges pios, ita castitatem servantes conjugalem, ut quidquid in usu conjugii ex instituto non solùm divino, sed & ex humanâ post lapsum imbecillitate veniat inter, quod omninò non licet evitare, id tamen à cultu Dei vi Fœderis Baptismatis debito abstrahere & impedire se non sinant, certi, ea, quæcunque super adhuc sunt, quorum causâ quotidiè Deo supplicia obferunt, propter Christi sufficiens meritum, quod sibi per Fidem veram adplicant, non imputatum, sed tectum, imò penitus ablatum & oblivioni commendatum iri. Nisi enim de his & singulis omninò sint indubii Votifices Papæi, non video, quâ ratione majoris præ cætero hominum statu perfectionis gloriam sibi adscribere meritò possint vel debeant.

Jam ad Bellarminum, & eo duce ad Augustinum nobis est redeundum, eaque pro Monachismi Statu testimonia, quæ Bellarminus adducit, ubi mendacia detegere & calumnias refutare se gloriatur, quas ab Evangelicis Doctoribus contra eum proferri existimat. Ut accusationes has ab inusto crimine hic liberemus, instituti ratio non permittit, quæ Augustini tantum Vindicias postulat. Et quidem ad id mendacium, quod Lutherum committere circa comparationem Virginitatis cum statu conjugali refert Bellarminus, sequens Augustini testimonium ad prærogativam Virginitatis demonstrandam exhibet: *Cùm perpetuæ Continentiæ professores se conjugatis comparantes secundum scripturas compererint, eos infra esse & opere & mercede & voto & præmio, statim*

de S. Virgin. c. 31.

statim veniat in mentem, quod scriptum est: Quantò major es, tantò humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Ne & hic ingenuitas sincera possit desiderari, fatemur porrò, Augustinum nimiâ Virginitatis laude abreptum, quod fieri solet, plus eidem detulisse, quàm par fuerit, cùm id non absque statûs conjugalis, qui tamen Deum agnoscit institutorem, contemtu factum sit. Et quia Augustinus expressè scribit, *secundum scripturas* infra esse conjugatos, operæ fecisset pretium, si indicasset, secundum quas hæc inferioritas conjugatorum manifesta esset. Si enim ad illud Apostoli oraculum respexit, quo ex respectu circumstantiæ temporis illius, ob tempestates persecutionum imminentes, statum solitarium præ conjugato, tanquam ad eas sustinendas magis aptum commendavit; in antecedente de *Cælibatu Sacerdotum* capite jam fuit ostensum, quàm impertinenter & inconsequenter illud ad præsentem Controversiam trahatur, utut & Augustinus & omnes cæteri Virginitatis Encomiastæ hyperbolici hoc solo non ritè intellecto, & plus ultra-quàm par erat, extenso nitantur. Equidem, quidquid in laudem Virginitatis, in excessu etiam, scripserit Augustinus, grati tamen agnoscimus, quæ idem alibi verè *secundum scripturas* statui conjugali adscripsit Elogia, quæ ex libro ejus *de Bono conjugali* proximè videbimus, ubi prius breviter fuerit discussum id, quod ex eo de Voto Mariæ Virginis beatissimæ genitricis adduxit Bellarminus. Dum enim *Lutherus* noster in *de Votis Monasticis* libro scripsit, *primitivam Novi Fœderis Ecclesiam in totum ignorasse vovendæ cujusque rei usum*, eum videlicet in modum, quo hodiè apud Papistas Vota solent fieri; opponit Bellarminus exemplum Virginis Mariæ, quam voviſse continentiam ex Augustino docet, scribente: *Quomodo, ait Maria, fiet istud, quoniam verùm non cognosco? quod profectò non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset.* Solenne hoc Votum fuisse, qualia hodiè solent fieri, vix ipse Bellarminus credidit. Quale verò illud fuerit, juvat ex eodem Augustino audire, cujus sequentia, potissimùm ex hoc libello desumta, ut Annotator observat, verba Gratianus recitat: *Beata Maria proposuit se servaturam Virginitatis votum in corde, sed ipsum Virginitatis votum non expressit ore. Subjecit se divinæ dispositioni, dum proposuit se perseveraturam Virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Commutans ergò Virginitatem suam divinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam adpetendo, sed Divinæ inspirationi in utroque obediendo. Postea verò cum Filium genuit, & quod corde conceperat, simul cum Viro labiis expressit, & uterque in Virginitate permansit.* Glossator Juris Canonici sequentia margini adjecit: *Sic ergo patet, quod Maria non voverat Continentiam, sed proposuerat vovere & Virginitatem conservare, nisi Deus aliter revelaret, vel lex prohiberet, vel parentes cogerent.* Quæ Glossatoris verba etsi nullo nitantur Veritatis in scripturâ revelatæ fundamento, satis tamen est, quod sententiam Bellarmini evertant, Mariam de facto Continentiam voviſse contendentis. Non multum dissimiliter sententiarum Magister *Lombardus*, ad eadem Augustini verba, quæ Gratianus ex Libello de sanctâ Virginitate collegit, respiciens scripsit: *Proposuerat Maria manere in Virginitate, nisi Deus aliter facere juberet, secundum quod videtur Angelo dixisse. Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco*, id est, *me non cogniturum proposui. Neque enim, quia Virum tunc non cognoscebat, necesse erat inquiri, quomodo posset habere filium, sed quia se nunquam proposuerat cogniturum. Dicit enim Beda, quod in Virginitate disposuerat manere.* Beda autem, quia non pauca debet Augustino, hic quoque ejus mentem exprimere voluisse non est improbabile. Quantum verò inter dispositionem, propositum, voluntatem, & ipsum interſit votum, nemo non agnoscit; quamvis neque ipsa dispositio, propositum, voluntas Continentiam vovendi ex verbis Mariæ Virginis, ulloque alio infallibili & fide digno constet documento, quidquid etiam superstitiosis Votificibus videatur.

1. Cor. 7.

de S. Virgin. c. 4.

c. 27. qu. 2. Beata.

lib. IV. dist. 28. n. C.

Nunc ad alia transimus, & illud in specie, quod Bellarminus *Luthero* Vitam conjugatorum cœlibatui non anteponenti quidem, attamen comparanti, hæresin Joviniani, contra quem *Hieronymus* scripsit, objiciens, ad Augustini testimonium provocavit, non solùm Joviniani librum nominantis *vaniloquia*, sed & è contrario libros *Hieronymi* eidem oppositus vocantis *suavissimam præclarissimamque disputationem.* Verùm non silentio prætermittendum falsi crimen hic commisit Bellarminus, dum ipsa epistolarum Augustini à Bellarmino productarum inscriptio & argumentum,

Epist. 28. & 29. ad Hieron.

tum, totaque tractatio ostendit, non ibi ab Augustino quæstionem de cœlibatu aut virginitate, sed de *animarum de natura & origine reatus sive peccati omnibus in universum hominibus post lapsum à nativitate adhærentis*, item de *paritate sive imparitate virtutum & vitiorum*, de quorum utroque Hieronymus in suis contra Jovinianum libris egerat. Quoad illam verò de virginitatis prærogativa controversiam, quam *Hieronymus* idem in laudatis contra Jovinianum libris prolixissimè tractavit, non est, ut Bellarminus *Lutherum* rigorosius vel etiam iniquius judicasse contra Hieronymum causetur. Præter enim quàm, quod *Erasmus*, acerrimus quondam Lutheri oppugnator, non mitius censuit, utpotè quem ob liberiorem in aliis quoque capitibus pennam cæteris scriptoribus Papæis non adeò acceptum fuisse notius est, quàm ut prolixè debeat moneri; vehementissimus certè Philippicarum contra Augustanæ Confessionis symbolum author, *Alphonsus Virvesius*, in Harmonia *Andreæ Fabricii* superius laudata, circa articulum de Cœlibatu & Matrimonio occupatus, *Hieronymi* faciens mentionem, vi veritatis manifestæ adactus negare non potuit, sed ingenuè
p. m. 378. fateri debuit, *cum matrimonio fuisse iniquiorem*. Quæ ex ore hostis infensissimi confessio loco Apologiæ pro Luthero esse potest & debet, excessiva & hyperbolica virginitatis elogia, quæ cum detractione matrimoniià Deo in beatissimo ante lapsum statu instituti, & post lapsum quoque ab eodem non absque singulari favoris documento confirmati, sunt conjuncta, ipsumque tangunt authorem humani generis conservatorem benignissimum, in Hieronymo ex debito & merito castigante. Quin ipse *Hieronymus* non unam pro hisce libris, & quod *Virvesio* judice iniquior matrimonio visus tum non paucis fuit, apologiam scribere fuit coactus, quamvis nunquam eò adactus, ut quæ ex fervore nimio in laudem virginitatis contra matrimonii Encomiasten, ab uno ad aliud extremum, ut non paucis Ecclesiæ Doctoribus in aliis etiam Doctrinæ capitibus accidisse, annales Ecclesiastici varia exemplorum congerie docent, dilapsus scripsit, non dico revocaverit, sed aliquo saltem temperamento emolliverit, ut ætate senior factus, quæ aliàs in laudem vitæ Monasticæ scripsit, non potuerit non agnoscere, *se pro ætate antehàc lusisse, & calentibus adhuc Rhetorum studiis atque doctrinis quædam flore scholastico depinxisse*. Accedit non improbabilis conjectura quorundam, statuentium, ideò Augustinum *de bono conjugali* librum scripsisse, ut quæ *Hieronymus* in gratiam virginitatis detraxit matrimonio, eidem ex debito restitueretur; ita tamen, ut non facilè potuerit observari, contra quem ista scriptio fuerit instituta. Videtur illud Augustinus ipse non obscurè adeò insinuare, ubi in *Retractationibus* opusculi hujus facit mentionem, expressè memorans, jactatum fuisse tum
lib. II. c. 22. Romæ, *Jovinianoresponderi non posse cum laude, sed cum vituperatione nuptiarum*; id quod de Hieronymi contra Jovinianum libris intelligi debere, nemo non videt. In illo certè libro Augustinus non pauca habet in matrimonii honorem egregia, inter
cap. 11. quæ præprimis sequentia notatu digna videntur: *Quod Apostolus ait, quæ innupta est, cogitat ea, quæ sunt Domini, ut sit sancta & corpore & Spiritu; non sic accipiendum est, ut putemus, non esse sanctam corpore Christianam conjugem castam, omnibus quippè dictum est fidelibus, nescitis, quoniam corpora vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis à Deo? Sancta sunt etiam corpora conjugatorum, fidem sibi & Domino servantium; cui sanctitati cujuslibet eorum nec infidelem obsistere conjugem, sed potius sanctitatem uxoris prodesse infideli viro, aut sanctitatem viri prodesse infideli uxori, idem Apostolus testis est, dicens, sanctificatus est enim vir infidelis in uxore fideli, & sanctificata est mulier infidelis in Fratre fideli.* Etsi autem Augustinus quoque in antecedentibus & sequentibus non semel virginitatem præferat matrimonio, illiusque quàm hujus cum *Hieronymo* majus, statuat meritum, præter tamen Apostoli mentem id fieri, supra jam est indicatum.

Ordo nunc requirit, ut vindiciæ scribantur illius articuli Confessionis Augustanæ, ex quo sub initium hujus controversiæ dictum fuit, *quod Monasteria tempore Augustini libera fuerint collegia, posteà autem corruptâ ubique disciplina addita sint vota, ut tanquam excogitato carcere disciplina restitueretur.* Duo his ex Augustino opponit Bellarminus, ne liber ille Symbolicus de seculo Augustini verum scripsisse videatur. Et primò quidem ex duplici testimonio Augustini demonstrare conatur, *jam eo vivente Monachos votis fuisse adstrictos.* Prius ita ha-
in Psal. 75. bet: *Nemo positus in monasterio frater dicat, recedo de Monasterio; neque enim soli, qui sunt in monasterio, perventuri sunt ad regnum cælorum, & illi, qui ibi non*

sunt,

sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei, sed illi non voverunt, tu vovisti. Poste- in Psal. 99.
rius autem hunc in modum: *Dum non perseveraverit (quis) implere, quod vovit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi.* Ad utrumque locum respondit D. *Dorscheus*, qui totam hanc materiam enucleatissimè tractavit. De priori hæc Indic. Iniqu. p. 265. seqq.
monuit: *Habuerunt monasticæ exercitationes illæ suas promissiones & obligationes, suas periodos & terminos. Temerarii fuerunt, qui ex libidine egerunt, & existimarunt, licere sibi, quoties & quandocunque placuerit, è monasterio exire & vitæ genus quodcunque superioribus inconsultis eligere. Aliter disciplina jubebat, ordinata dimissio requirebatur; quid enim, aliter si fuissent institutæ congregationes illæ, fuissent, nisi aliqua hominum conciliabula suis obtemperantium libidinibus? Rectè ergò Augustinum animadvertimus differentiam constituentem inter eum, qui extra Societatem Asceticam vivit, & eum, qui ei est intermixtus. Illum libertate absoluta gaudere permittimus, permittimus & hoc, ex lege vitæ asceticæ illis, qui ei fuerunt obstricti, hoc non licuisse. Probamus ergo, quod Augustinus illorum reprehendit conclusionem, qui licere sibi putarunt monasticam pro lubitu congregationem dimittere, quia etiam extra monasterium salus æterna sperari posset. Dicimus, quia voverunt, se ad placitum & examen superiorum in asceticis illis exercitamentis victuros, ideò etiam teneri, legibus illis stare.* De posteriori sequentia: *Subscribimus & nos, eos, qui monasticis exercitationibus animum manciparunt, & sancti illius propositi legibus sese submiserunt, atque hoc sensu voverunt disciplinæ observantiam, & posteà societati piæ oneriosi sunt, adversantur progressui in charitatis & virtutis exercitamentis, reluctantur monitis salutaribus, superiorum adspernantur imperia, invidia, æmulatione, odiis, impuritatibus se coinquinant, esse desertores propositi sancti, & voti non redditi seu promissorum non præstitorum reos.* Esse hanc sancti Patris mentem, ex contextu patet, quem prolixius exscribere neque libet, neque licet. Breviter & tribus quod ajunt verbis, agunt hæc augustissimi Doctoris testimonia non de ea votorum ratione, quæ hodie obtinet, ad quod inprimis *Confessores Augustani* respexerunt, ex collatione antiqui temporis & moderni observantes, quantum hoc ab illo mutatum, & quàm alia hodie sit votorum ratio, quam antehàc, ita ut in comparatione utrorumque vota tempore Augustini facta pro nullis haberi possint. Et, si de votis propriè dictis Augustinus omninò intelligi debet, in his certe testimoniis aliud nullum, quàm votum vel promissio obedientiæ, quamvis non cœcæ, continetur, cùm tamen Bellarminus plurium in se susceperit demonstrationem, de quibus postmodum suo loco in specie.

Alterum, quod Bellarminus contra Augustanam Confessionem pro monachismi antiquitate ex Augustino profert, est, *Monasteria olim non fuisse scholas literarum sacrarum & aliarum disciplinarum; Augustinum enim cum aliis Monachorum instituta describentem meminisse quidem Orationis, Jejuniorum, Psalmodiæ, Continentiæ, Obedientiæ, Paupertatis, de scholis literarum & Dialecticæ aliarumque disciplinarum ne verbum habere.* de moribus Eccles. cap. 31. Quasi verò Exercitia hæc Oratoria & Musica, ad quæ non nisi sobrios & jejunos accedere fas est, studium item continentiæ & debitæ superioribus obedientiæ, cum animo non paupere quidem, at paucis contento, tollant aut impediant studia literarum, inprimis sacrarum, ut iis non imbutos fuisse statuendum sit, quos ex monasteriis ad Clericatum sive majoris sive minoris gradus prævia vocatione adsumtos, proximè ab Augustino docebimur. Prætermisso enim nunc, quod ad demonstrandam consiliorum præcellentiam ex Augustino profert Bellarminus, utpotè cujus examen ad succedens caput pertinet, ubi de consiliis ex professo agetur; neque attento, quod ex eodem de pollutione conjugali adducit, quia caput antecedens illud jam excussit; quia & neglecto, quod ex sermonibus *de communi vitâ Clericorum* memorat, Augustinum *non Episcopum, sed Monachum esse voluisse, & ideò nunquam iviisse ad loca, quæ Episcopo carebant, ne fortè Episcopus ibi esse cogeretur*, cùm his sermonibus tanquam non omni ex parte indubitatis sententia jam sit dicta, hocque Augustini exemplum de monachismi desiderio ad rem nihil faciat præsentem, quia non, quid Augustinus in juventute fecerit vel desideraverit, quæritur, sed quid tanquam Ecclesiæ Doctor publicè docuerit & scripserit; his, inquam, nunc sepositis, duo adhuc supersunt loca, de quibus videndum, an ea sistant Augustinum veritatis evangelicæ testem, an verò opinionis Papisticæ suffraganeum? In priori ita legitur sanctus Pater Monachos sub Abbate Eudoxiæ

Epist. 81. ad Eudox. doxio adscripsisse: *Vos fratres exhortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis & usque in finem perseveretis, ac, si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avidâ suscipiatis, nec blandiente desidiâ respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui mansuetos docet vias suas; nec otium vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis.* Digna hæc verba fuerunt visa, quæ corpori Juris Canonici à *Gratiano* inserrentur. Clara autem satis videntur, ex quibus possit demonstrari, tempore Augustini Monasteria fuisse scholas, id est, Ecclesiæ Seminaria, undè ad officia Ecclesiastica desumi potuerint viri & literis probè exculti, & aliis exercitamentis ad altiora quævis & graviora præparati. Sed aliter visum Bellarmino & planè contrarium, ita super hæc Augustini verba scribenti: *Si Monachi illi præparabant se ad Ecclesiastica munera, quid opus fuit eos hortari, ne recusarent ea munera, si quando ad ea vocarentur?* Deindè, *cur Augustinus eos hortatur, ut propositum suum custodiant, & usque in finem perseverent, si non erant ibi perpetuò mansuri, sed solùm ad tempus, donec videlicet se Ministerio præparassent Ecclesiastico?* Atqui non parùm errat Bellarminus, ea iterum, quæ inter se contraria non sunt, opponendo. Quasi verò Augustini adhortatio ipsius instituti rationem tolleret. Dicat ergò Bellarminus contra semet ipsum, nullam quoque illius propositi fuisse rationem, quod ut custodiant & usque in finem perseverent, ipso agnoscente & fatente Bellarmino hortatus est Augustinus. Sed videamus, quale illud fuerit propositum, & vanitas illationis Bellarminianæ eò manifestior erit. Certè, si Augustini verba ritè ponderaverimus, aliud nullum erit, quàm id ipsum, quod Monachis revocat in memoriam, ut nimirum seriò cogitent, ideò se monasticum ordinem semel suscepisse, ut si per varias animi corporisque exercitationes præparati, post aliquod temporis spatium digni iis, quorum interest, videantur, ut ad clericatum transeant; Deoque & Ecclesiæ in publico quodam officio inserviant, promtos ex debito se sistant, neque otium & desidiam labori antehabeant; neque tamen è contrario semetipsos contra debitum Ecclesiis obtendant, vel ante justum tempus se præ aliis dignos æstiment, sed ordinariam potius vocationem patienti humilitate expectent. Et ad hanc Augustini exhortationem non improbabiliter ansam præbuisse videtur ex una parte quorundam vana imaginatio, ex alterâ verò in aliquibus vitæ monasticæ nimius amor, cum fuga laboris in munere Ecclesiastico conjunctus, sub specie humilitatis tectus. Utrique vitio occurrendum statuit Augustinus, id quod ex verbis proximè sequentibus patet, quibus mentem suam satis apertè ostendit Doctor augustus: *Sicut inter ignem & aquam via est tenenda, ut nec exuratur homo, nec demergatur; sic inter apicem superbiæ & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum est, Non declinantes, neque ad dextram, neque ad sinistram. Sunt enim, qui dum nimis timent, ne quasi in dextram rapti extollantur, in sinistram lapsi demerguntur; & sunt rursus, qui dum nimis se auferunt à sinistra, ne torpida vacationis mollitie sorbeantur, ex altera parte jactantiæ fastu corrupti atque consumti, in favillam fumumque vanescunt.* Idem observare licet ex lemmate his Augustini verbis in Jure Canonico citatis præscripto, compendium eorum ita exprimente: *Ecclesiastica officia nec avida elatione Monachi suscipiant, nec blandiente desidia respuant.* Ut adeò Bellarminiani cerebri commentum hic nullum plane locum possit habere, utpotè claris Augustini verbis expressè contrarium. Super jam adhuc est posterior ex ultimis, qui examen requirunt, locus, ubi Augustinus scribit sequentia: *Magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit. ibi enim dixit, si vis ad vitam ingredi, serva mandata; hic autem, si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes &c.* Ne autem hic tangam, quod Bellarminus existimat, *Augustinum apertissimè hisce verbis docere, vitam Monasticam vita secularium esse perfectiorem,* quia, ut dixi, sequens tractatio hanc ex professo controversiam excutiet; illud saltem venit notandum, Bellarminum insigniter errare, dum lectori vult persuasum, *Augustinum his verbis docuisse, quod Christus vitam monasticam quasi perfectionem adprobaverit.* In hujus controversiæ tractatione incidit mentio de ipsius Augustini *Monachatu*, cui peculiarem libellum ad Imperatorem *Maximilianum*, opposuisse *Iacobum Wimphelingum*, Selestadianum, SS. Theol. Licentiatum, A. 1503. ac argumentis non trivialibus probasse, *Augustinum neque fratrem, neque Monachum cucullo indutum fuisse*, testis est author, qui ante hoc decennium edidit iteratò *Catalogum*

c. 16. qu. 1. Vos autem

Epist. 89. ad Hilar. quæst. 4.

locum testium veritatis cum Auctario insigni, *Iohannes Conradus Dietericus*, Professor nonita pridem Giessensis, uti nomen ejus prodidit non semel nuperus Bibliothecæ curiosæ collector *Hallervordius*. Et quia ratio potissima eorum, qui *Monachismum* Augustino adfingunt, versatur in authoritate sermonum quorundam *ad Fratres in Eremo*, inter Augustini opera extantium, prolixam eorum censuram è *Pauli Langii*, Monachi, *Chronico Citizensi* adducit, lectu per omnia dignissimam. His juvat addere, quæ post alios plures hanc in rem scripsit *Petrus à S. Trudone*, Canonicus regularis, ante hoc viginti, & quod excedit, Annos *Lovanii* in publicam edens lucem *Augustini Testamentum* contra *Iohannem Rivium* inprimis & *Christianum Lupum*, utrumque ordinis *Eremitarum*, qui se *filios Augustini primogenitos* esse gloriantur, quos verò scriptor hic in *examine* hujus Testamenti *neque primo, sed & neque secundo aut tertio-genitos esse*, probandum in se suscepit, *cum licentia & adprobatione ordinariorum*, caput quartum post decimum huic consecrans labori, quo ex claris & indubitatis demonstretur testimoniis *fictitius Augustini Monachismus*, & quidem hoc ordine: *Augustinus* in libris retractationum sua secundum diversas vitæ conditiones scripta recensens *nullam prorsus Monachismi facit mentionem*, sed distribuit primò in ea, quæ scripsit nondum baptizatus, sed adhuc Catechumenus; secundò in ea, quæ scripsit baptizatus adhuc in Italia constitutus; tertiò in ea, quæ scripsit in Africa; quartò in ea, quæ scripsit apud Hipponem regium Presbyter; denique in ea, quæ scripsit Episcopus. Similiter agens de vestibus suis *sermone secundo de disquisitione Clericorum suorum*, quem habuit existens Episcopus, suam distribuit vitam in Episcopatum seu Clericatum, Professionem secularem & in domo paterna mansionem. Ita *Possidonius* etiam secundùm diversas vitæ conditiones agens de scriptis Augustini, *non meminit Monachismi*. Augustinus ipse in epistola post septuagesimam sexta ad *Aurelium* se contra Monachos distinguit & inter Clericos reponit. Imò, cum aliquando in exordiis suæ conversionis in Eremum confugere decrevisset, à Deo se prohibitum fuisse testatur, *ultimo decimi Confessionum libri capite*. In regulâ quoque nulla fit mentio Eremi aut Eremitarum &c. Idem sæpissimè se vocat Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Clericum; nam scribens Episcopis eos vocat Coepiscopos & consacerdotes, scribens Presbyteris vocat compresbyteros, scribens Diaconis vocat condiaconos, scribens Clericis vocat conclericos, *scribens Monachis nusquam tamen eos vocat con-Monachos*, sed aliis honorat titulis, cùm tamen non erubuisset sibi nomen Monachi tribuere, aut Monachis scribens con-Monachi, *si fuisset Monachus*, sed de eo potius in Domino fuisset gloriatus. Præter id nullus Patrum coævorum in scriptis suis Augustinum vocat *Monachum*, sed vel Papam, vel Episcopum, vel coepiscopum, vel simpliciter Augustinum. Ipse similiter etiam ante-quàm esset Presbyter vel Episcopus, non aliter se intitulat, quàm Augustinum; loquens itidem de Monachis, de ipsorum Monachismo dicit, *vestrum propositum*, nunquam verò, *nostrum*, ostendens, aliud suæ vitæ propositum esse ac Professionem à Monachali distinctam. *Hæc scriptoris Sovanensis contra Monachismum Augustini sunt argumenta*, quibus hinc indè in opere laudato interserit responsa ad objectiones partis adversariæ, quæ Monachismo videntur favere, è quorum numero dum inter alia *Rivius* inprimis probravit ad ultima matris Monicæ verba, quibus filium paulò ante finem legitur adlocuta decimo libri confessionum noni capite, *servum Dei* vocans, ostendit capite operis septimo, non exindè sequi, *eum fuisse Monachum, aut id solùm Monachis tribui*, cùm & seipsum jam Episcopum vocet servum Dei, quando tamen Monachus non fuerit, imò & servum Christi servorumque ejus, aut æquivalenter famulum, similiter servos Dei vocet *Ambrosium* & simplicianum, quia & omnes Sacerdotes & Altaris Ministros, quorum nullus tamen fuerit Monachus. Quod verò *Lupus* objicit, Augustinum in libro de opere Monachorum, loquendo de Monachis Africanis, frequenter eos vocare *filios*, respondet capite post decimum quinto *examinator Testamenti, si Monachi sint omnes*, quos Augustinus vocat filios, Clerici etiam erunt Monachi, & omnes ferè totius Africæ seculares, non solùm plebei & tanquam Episcopo subditi, ac consequenter filii spirituales, sed qualescunque cujusvis ferè conditionis; omnes enim quos Christo gignere aut in fide & moribus erudire cupiebat, aut quibus benè volebat, hoc suavissimo ac adfectuosissimo titulo decorat more consueto quibusvis ferè superioribus. *Addit ibidem*, simile huic argumentum esse, quod desumitur ex nomine *Fratrum*; quia omnis ferè generis homines vocet *fratres* Augustinus, quod utrumque pluribus exemplis ex *inscriptionibus* epistolarum confirmat.

Tan-

Tandem quamvis Augustinus ipse in *Enarratione* Psalmi post centesimum & trigesimum secundi vel tertii se *Monachum* vocat, testatur hic *Vindex Antimonastitus* capite post decimum septimo, Augustinum ibi non aliter se Monachum vocare, quàm quo sensu *omnes Catholicos* vocet Monachos, eo scilicet, *quod Ecclesiæ servarent unitatem*, & non sequerentur partem donati, ad ipsum provocans textum, quem clarissimè hoc convincere scribit. Hæc pauca libasse sufficiat, & locum indicasse, undè plura licet accersere.

CAPUT SEPTIMUM & seqq.

De

Consiliis Evangelicæ Perfectionis.

VT de iis ordine & distinctè agat, ac quænam inter ea & præcepta sit differentia ostendat Bellarminus, quatuor modos explicat, evincere studens, Consilia *ex parte materiæ* sive objecti, *ex parte subjecti*, *ex parte formæ*, *ex parte finis* antehabenda esse præceptis. Et quò probabiliorem sistat hanc opinionem, ad omnes hos quatuor modos testimonia Augustini subnectit, sanctum hunc Patrem ad suas trahens partes. Equidem, id quod ad antecedentes quoque de cœlibatu Clericorum & statu Monachismi controversias ex debitâ ingenuitate sumus fassi, neque hic negare possumus, non videri solùm, sed esse reverà Augustinum Consiliis, quæ Evangelica dicuntur, & quibus major, quàm præceptis adscribitur perfectio, justo amplius addictiorem, ea hinc indè iis elogia attribuentem, quæ si testimoniis S. Scripturæ in suo sensu intellectis confirmare debuisset, aquam sibi hærere non potuisset non observare. Hinc D. *Chemnitius* noster hujus quoque opinionis seminaria inter reliquas Patrum stipulas retulit, quamvis hâc cum limitatione, esse sententias de hoc argumento in Augustini etiam scriptis valdè dissimiles, id quod postmodùm videbitur. Ea inter sicut in aliis pluribus Controversiis egregiam navavit operam, origines earum ex Antiquitate Ecclesiasticâ ostendendo; ita hic quoque multâ cum observatione exposuit occasionem huic opinioni datam, eamque duplicem, *unam*, quâ stoicorum sententiæ de viro inprimis perfecto non diu post Apostolorum tempora ab illis in Ecclesiam sunt invectæ, qui in scholis Philosophorum enutriti ad Christianismum conversi doctrinam Ecclesiæ ad Philosophorum placita accommodare conati fuerunt, eum videlicet in finem, ut hâc ratione ea, quæ in verbo Dei horridius dicta videbantur, mitigarentur, ac hujus mundi sapientibus Ecclesiæ doctrina gratior redderetur, minusque ab ea abhorrerent. *Alteram*, qua ferventibus Ecclesiæ Doctorum, origenis nominatim, & aliorum quorundam disputationibus cum juratissimis orthodoxæ veritatis hostibus, Celso, Proclo, Porphyrio, & inprimis Juliano, Apostatarum pissimo, inter alia id præsertim ac omnibus modis oppugnante, quod Christus suis quondam discipulis in concione montana proposuit; Verba Christi, utpotè primo adspectu difficilia, & tum temporis nondum satis intellecta, nulla ratione commodiori ab objectionibus adversariorum gravissimisque eorum accusationibus liberari posse existimarunt, qui pro Doctrinæ Christianæ sinceritate Apologias scripserunt, quàm si Christum ibi non præcepta, sed consilia tantum tradidisse dicerent, hocque responso, etsi non ex veris Evangelici Textus fundamentis desumto, criminationes hostium retunderent, ac Ecclesiæ doctrinam tunc receptam ab omni accusatione purgarent, idque, quod variam injicere posset suspicionem, à se hac ratione amolirentur. Quamvis autem hoc ita fuerit, exque publicis Ecclesiæ Doctorum illo tempore viventium scriptis adhuc hodie per Dei gratiam superstitibus manifestum satis sit eis, quia ea diligentius evolvere non dedignantur, exque hoc fonte hyperbolica illa consiliorum evangelicorum elogia manasse sit indubium, quæ in Augustini etiam scriptis non semel leguntur; optimè tamen simul id quoque observavit & monuit *Chemnitius*, hanc de perfectione consiliorum sententiam non eò trahi debere, quasi lex Dei perfecta posset obedientia non tantum impleri, verùm etiam aliquid melius supererogari, cùm Augustinus in libello *de perfectione Justitiæ* & aliàs sæpe ex proposito istam ex scriptura refutet sententiam, ac contrariam de impossibilitate implectionis & imperfectione Justitiæ insigniter pro illorum temporum ratione illustret, ut infra suo ostendetur loco. Debuit omninò hoc in antecessum præmitti, ne vel Augustinus ad partes etiam invitus trahi videatur, vel plane deseratur & desertus negligatur. Agnoscamus, inquam, S. Patrem cum aliis sui seculi Doctoribus voce consilii in

Locor. Theol. Part. II. p. m. 106. seqq.

Matth. V.

filii in significatu strictiori usum vel potius abusum præbuisse ansam posteriorum seculorum scriptoribus, quos tamen à mente augusti Doctoris non parum recessisse sequens examen breve ostendet. Et quidem ut ordinem à Bellarmino observatum sequamur, ad demonstrandam Consiliorum perfectionem & prærogativam ratione materiæ circa quam vel objecti, ex cujus respectu *materia præcepti bona quidem sit, sed Consilii melior atq; perfectior, loquendo nimirum de præceptis, quæ circa eandem materiam, circa quam Consilia etiam, versantur, dum Consilia non solum includunt præcepta, sed & aliquid supra addunt*, sequentem Bellarminus ex Augustino locum commendat: *Illæ amantes, quibus terrenæ viluerunt nuptiæ, quæ terrenos amplexus non desideraverunt, usque adeò acceptarunt præceptum, ut non recusarent Consilium; ut plus placerent, plus se ornaverunt.* Ut constet scopus, quem Augustinus in hoc virginitatis elogio sibi habuit propositum, ex antecedentibus proximè verbis est manifestum, eum ad illud Apostoli oraculum respexisse, quo se de virginibus Domini præceptum non habere, sed Consilium dare scripsit, quod verò non ad perpetuum, sed ad illud tantum tempus pertinere, quale tum fuit, ob gravissimas persecutiones luctuosum valdè, non semel hactenus est indicatum, infrà suo etiam loco ulterius monebitur. Nunc id saltem notetur, an existimari debeat, vel Apostolum, vel ejus exemplo Augustinum ausum fuisse, illud de virginibus Consilium tanquam melius & perfectius Domini præcepto anteponere, aliquamq; Dominicis præceptis de suo addere perfectionem. Id ne cogitemus, Apostoli & post eum augustissimi Doctoris modestia ex pluribus nota documentis prohibet. Quoad secundum differentiæ modum vel gradum, qui est ex parte subjecti, seu materiæ in quâ, statuit Bellarminus *distingui Consilia à præceptis, quod hæc sint omnibus communia, non item illa*, idque iterum ad Augustini sententiam scribentis: *De virginitate dicitur, qui potest capere, capiat; de justitia non dicitur, qui potest facere, faciat; sed, omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excinditur & in ignem mittetur.* Possunt hæc sano sensu intellecta aliquem habere locum, modò ne ultra tertium & terminum comparationis res extendatur, atq; Consilia hominum Domini præceptis ex indebito præferantur, ob quam inordinationem Pharisæi quondam à Christo graviter fuerunt objurgati. Pergit Bellarminus, & ex parte formæ Consilia à præceptis differre docet, *quod hæc in suâ obligent, illa autem in libero hominis arbitrio sint posita*, Augustino id etiam observante: *Neque sicut, non mœchaberis, non occides; ita dici potest, non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur; si fiunt ista, laudantur, nisi fiant illa, damnantur.* In his quoque non multùm refragabimur, si res ita proponatur, ut divinis suus maneat honor institutis, neque humana prævaleant. Restat ultimus differentiæ gradus, finem sive effectum respiciens, cujus ratione Bellarminus scribit *præcepta ab hominibus observata habere præmium, non observata habere pœnam; consilia autem etsi non observata nullam habere pœnam, observata verò majus habere præmium* Augustino iterum teste laudato: *Quoniam de vitatis remissisve peccatis adeunda est vita æterna, in quâ est egregia quædam gloria, non omnibus in æternum victuri, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequendæ parum est, liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi voveatur liberatori, quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse, sit laudis.* Ad quod nihil aliud dico, quàm quod suprà jam circa Pauli consilium monui observandum, quia ad idem Augustinus verbis proximè sequentibus lectorem ducit, Consilium certo tempori destinatum in perpetuum & continuò duraturum contra Apostoli mentem mutans. Et hæc breviter circa quatuor differentiæ inter Consilia & Præcepta modos vel gradus quoad Augustini sententiam observasse satis esse potest.

Serm. 18. de Verbis Apost.

1. Cor. 7.

Serm. 61. de Temp.

de S. Virgin. c. 30.

Nunc ad examen testimonium est deveniendum, quibus horum Consiliorum perfectionem & prærogativam Bellarminus ostendere & demonstrare satagit, Augustino non semel ad partes tracto, eventu tamen non semper tam prospero, qui singularis gloriæ materiam præbere possit, id quod breviter videbimus. Et primum quidem testimonium ex V. T. desumtum hoc est: *Non dicat Eunuchus, ego lignum aridum; quia hæc dicit Dominus, qui custodierint sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & servaverint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus nomen æternum dabo eis, quod non peribit.* Bellarminus de eo sic scribit: *Quod hic agatur de continentibus voluntariis, non de abscissis vel sic natis, qui necessariò continent, docet præter alios Ecclesiæ Doctores Augustinus, & patet ex præmio, quod Eunuchis promittitur. Nec enim ulla est ratio, cur Eunuchis natis vel abscissis major promittatur gloria, quàm sit filiorum & filiarum Dei. Addit autem subtiliter Augustinus: Si quis contendat, Esaiam de veris loqui eunuchis, adhuc nostram juvari causam. Nam si Eunuchis, qui continent se, quia non possunt aliud facere, major*

Esa. 56.

Ibid. c. 24. & 25.

major promittitur gloria, quàm Iustis conjugatis; majore iis promittitur ratione, qui se continebunt, etiamsi possent non continere. Post aliqua subjungit: *Quod autem continentia non solùm sit utilis in hac vita, sed sit verè meritoria gloriæ singularis, ex illis patet verbis, nomen æternum dabo eis, quod non peribit, quod sic Augustinus exponit: Quid tergiversaris impia cœcitas, quid temporalem tantummodo utilitatem promittis continentibus sanctis?* Nomen æternum dabo eis. *Et si fortè hic ipsum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco,* Nec unquam deerit. *Quid quæris amplius, quid dicis amplius? Aeternum hoc nomen, quidquid illud est, spadonibus Dei, quod utique gloriam quandam propriam excellentemque significat, non erit commune cum multis, quamvis in eodem regno & in eadem domo constitutis; nam ideò fortasse & nomen est dictum, quod eos, quibus datur, distinguat à cæteris.* Hæc Augustinus & ex eo Bellarminus, ad quæ prætermissis aliorum Interpretum, antiquorum & recentium sententiis, huic non usque quaque consentientibus, omnium ferè postremum hujus Prophetæ expositorem, *Gabrielem Alvarez*, consulere placet, utpotè contra hanc Augustini Glossam expresse & directe agentem, hæc inter alia notanter scribendo: *Scopus illius Propheticæ orationis est, in Ecclesiâ Christi Evangelicâ multò secus ac in Synagoga & populo Ebræo censum civium fore ineundum. Ab Ecclesia nullum genus, ordinem, statum & conditionem arceri, nullum naturæ vitium aut natalium, nullum corporis defectum & jacturam obesse. Absint animi vitia, quæ verè sunt deformia & probrosa; adsint virtutum decora & ornamenta, reliqua omnia non venturain lances & examen. E vitiis aut virtutibus quemlibet esse æstimandum, generis aliarumque conditionum in neutram partem ullum pondus esse futurum.* Hæc cùm in antecedentibus & consequentibus prolixè contra Augustinum firmasset, nihilque ad eorum verisimilitudinem demonstrandam intermisisset, tandem sic finivit: *At quærat jam ex me lector hoc in loco, quamobrem Augustini & aliorum Patrum sanctorum expositionem submoverim, qua in eunucho virginem agnoscunt.* Respondeo, *Augustinum & cæteros Patres non sumcertus agere literaliter, si unum exemeris Augustinum; nec si agerent, sto modo esset mirum, secus eos interpretari, quàm posicat Acoluthia, cùm seorsim tractent, quod observat sanctis Patribus generatim accidere S. Gregorius in Prologo Moralium. Quod attinet ac virginitatis Encomium & excellentiam, si scriptura non ferat, non fuerit vera laus petita ex interpretatione falsa; neque desunt alia clariora testimonia, quibus virginitas conjugio præponitur,* de quibus proximè suo ordine & numero. Ne autem omninò contrarius videatur Augustino, hæc addit: *Quin & ex hoc ipso loco, prout à nobis exponitur una cum multis, sua laus Castimoniæ constat, quod benè advertit Augustinus. Nam si tot ac tanta dona spondentur eunuchis corporalibus, hoc est, prole carentibus, licet à natura proveniat,* si boni sint viri; *quantò majora eos manebunt præmia, qui sponte se castraverunt propter regnum cœlorum, si cum virginitate alias virtutes conjugaverint.* Quæ ultima authoris verba satis manifestè ostendunt, & eunuchis obventuram à Deo gratiam, non ob eam præcise causam, quod eunuchi sunt, sed *si boni sint viri;* & virgines spontaneo se studio castrantes manere apud Deum præmia, non in quantum sunt virgines, sed *si cum virginitate alias virtutes conjugaverint.*

Secundo ad demonstrandam Consiliorum perfectionem testimonio, quod ex sapientiæ libro est desumtum, quia ex Augustino nulla intercedit authoritas, prætermisso, succedit *tertium,* sistens evangelicam ex ore Christi parabolam, qua regnum
Matth. 13. cœlorum, id est, Ecclesia militans bonæ comparatur terræ, cujus una pars reddebat fructum centesimum, alia sexagesimum, alia tricesimum, circa cujus intellectum monet Bellarminus, Augustinum cum aliis docere, *distingui merita casti conjugii, viduitatis & virginitatis, exque eo adparere, continentiam virginalem esse majus bonum, & magis meritorium apud Deum, quàm sit castitas conjugalis, ac proindè divinum esse Consilium; cùm Deus id, quod non præcipit, & tamen commendat, abiisq; anteponit rebus, sine dubio consulat.* De Augustini circa hoc testimonium sententia notari debet, eum variè in ejus explicatione versari. Videamus exindè quædam ad institutum præsens pertinentia. Ita autem in comparatione status conjugalis & virginalis occupatus ad laudatum ex parabola testimonium respiciens scribit inter alia augustus Do-
de S. Virgin. c. 44. & 45. ctor: *Quis nesciat, obedientem mulierem inobedienti virgini præponendam?* Videt hic lector attentus, ex mente Augustini non virginitatis statum in se commendari, nisi aliæ ad eam virtutes accesserint, quem in modum Gabriel Alvarez proximè sententiam ejus optimè expressis. Pergit S. Pater: *Sed cùm ambæ sint obedientes præceptis Dei, itane trepidabit (quis) sanctam virginitatem castis etiam nuptiis, & continentiam*

præ-

præferre connubio fructum centenum præire centeno? En, quâ ratione Augustinus utrumque & virginalem & conjugalem statum *Dei præceptis* niti statuat, & hinc numero Consiliorum eximat, utut illum huic prævalere existimet, hâc quamvis cautione additâ: *Hæc tamen vel hæc virgo obediens & Deum timens, illi vel illi mulieri obedienti & Deum timenti anteferre se non audeat, alioquin non erit humilis, & Deus superbis resistit.* Et qui dixi, Augustinum variè in hujus testimonii explicatione versari, sequentia id abundanter ostendunt, ubi post plura utplurimum ex aliorum mente ità porrò scribit: *Quidquid significet fœcunditatis illa diversitas, viderint, qui hæc melius, quàm nos, intelligunt, sive virginalis vita in centeno fructu sit, in sexageno vidualis, in triceno autem conjugalis; sive centena fertilitas Martyrio potius imputetur, sexagena continentiæ, & vicena connubio; sive virginitas accedente Martyrio centenum impleat fructum, sola verò in sexageno sit conjugati autem ferentes tricenum ad sexagenum perveniant, si Maures fuerint; sive, quod probabilius mihi videtur, quoniam gratia divina* NB *multa sunt munera, & est aliud alio majus ac melius intelligendum est plura esse, quam ut in tres differentias distribui possint.* Et iterum post aliqua: *Multa ergo sunt dona, & alia aliis clariora ac superiora singulis singula; & aliquando alter fructuosus est donis paucioribus sed potioribus, alter inferioribus sed pluribus. Et quem admodum inter se vel coæquentur vel distinguantur in accipiendis honoribus æternis, quis hominum audeat judicare; dum tamen constet, & multa esse ista diversa, & non ad præsens tempus, sed in æternum prodesse meliora?* Hanc Augustini modestiam non sine laude imitatus inter Papæos Interpretes Esthius scripsit: *Sensus simplicissimus & maximè literalis videtur, ut hic numeri diversitas referatur in genere ad diversitatem fructuum ac meritorum in Ecclesia.* Quamvis enim in eo *Esthius* ab Augustino videtur differre, quod hic ad futurum, ille verò ad præsens referat seculum; hic ad triumphantem, ille ad militantem Ecclesiam; convenient tamen in eo, quod uterque per exclusionem numeri præcisè ternarii, in genere de donorum divinitùs concessorum, ac provenientium exindè fructuum diversitate Christum egisse, sensui literali quam proximum existimant. Intra hos terminos si cæteri quoque interpretes Papæi stetissent, Augustinum ad suas trahere partes, utpotè invitum vix ausi fuissent.

Quartum nunc sequitur pro Consiliorum perfectione testimonium, illud exhibens ex ore iterùm Christi oraculum, de quo ad Augustini mentem & sub initium hujus, & sub finem proximè antecedentis Controversiæ de Clericorum cœlibatu ex occasione per Bellarminum oblatâ fuit actum, quo Christus Apostolis Matrimonii, non nisi per adulterium, repudiato Repudii apud Judæos antehàc usitati libello, solubilis difficultatem objicientibus, hoc responsi loco dedit: *Qui potest capere, capiat;* ad Matth. 19. quod Bellarminus, ut non præceptum, sed Consilium in eo exhiberi probet, non solùm illud Augustini testimonium adducit, quod eum ad demonstrandam Consiliorum perfectionem in genere paulò ante vidimus adhibuisse, ubi differentiam eorum à præceptis ex parte subjecti seu materiæ in quâ conatus est ostendere, sed & ad ea provocat verba, quæ in laudato hactenus non semel libro de sanctâ virginitate leguntur sequentia: *Christo laudanti eos, qui se castraverunt, non propter hoc seculum, sed propter regnum cœlorum, Christianus contradicat, adfirmans, hoc vitæ præsenti esse utile, non futuræ, &c.* cap. 24. Sed Augustinum & hic hypothesi ad defendendum susceptæ nimis inservisse, hæcque Christi verba præter dicentis mentem ad suum traxisse propositum, nemo non à falsis liber præjudiciis ex integro contextu & locorum similium paralleliâ videt. Hinc *Grotius* aliàs in non paucis papizans, non solùm ex loco Marci parallelo, διὰ τὴν βασιλείαν τῦ Θεῦ, idem esse statuit, ac ἕνεκεν εὐαγγελίυ; sed & ex *Clemente Alexandrino* illud interpretatur, δι' ἀγάπην πρὸς τὸν Θεὸν, id est, ut juxta Pauli oraculum melius possint μεριμνᾶν τὰ τῦ κυρίυ, quod idem ex origene etiam comprobat. Quod autem Christi verba attinet, *Qui potest capere capiat*, quæ Bellarminus aliquod in se Consilium continere existimat, & quidem non adeò difficile, multò minus impossibile, idque ideò præprimis, quia numero ferè innumero utriusque sunt sexus, qui consilium hoc sequi & hinc in statu perfectiori præ omnibus aliis vivere se gloriantur; notari meretur ejusdem Augustini observatio, si ad Christi verba, non omnes capiunt verbum hoc, optimè scribentis: *Multi non capiunt, & qui sunt qui capiunt?* Quo ipso S. Pater, si non omnimodam impossibilitatem, maximam certè hujus Consilii difficultatem testari voluit, quæ sanè nulla esset, si tot millia hominum illud sequi, & verbum hoc capere possent, id est, perpetuæ & puræ castitatis dono non nisi rarissimo præditæ essent. Et quia *Conzenius* ad hæc Christi verba ingenuè agnovit, Augustinum à principio

conf. Selden. de Jure Natur. lib. V. c. 16. p. m. 631.

in Ps. 103.

cipio libri *de Continentia*, qui tamen non est undiquaq; indubitatus, *non continentiam modo virginalem, sed conjugalem quoq; Dei donum ex authoritate Apostoli nominare*; hinc ad hominem & ex concessis facillimum erit concludere, si castitas & continentia conjugalis Dei donum est quæ non apud omnes conjugatos est invenire, pro majori longè & excellentiori dono continentiam virginalem esse habendam, & idò etiam multò rariorem inveniri, apud eos quoque, qui illam sectari contra alios sipercilioſè volunt videri, comet ipso fastu, si quâ castitate essent præditi, gloriam turpiter contaminantes, contra & in quos Augustinum proximè vidimus singulari zelo invehentem.

Ad *quintum* nunc vertimus nos pro Consiliorum perfectione testimonium, quo juxta Bellarminum Christus adolescenti Pharisaico sequens Consilium dedisse legitur:

Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis.* Quinque expositiones hujus loci refellendas in se suscepit Bellarminus, quarum primam *Hieronymo* adscribit, ubi nemo non videt, quâ potestate is *Hieronymi* sententiam refutavit, quia sibi non consentientem existimavit; eademuti licitum esse etiam contra Augustinum, si ejus sententia Christi scopo adversari videretur. Sed videamus, quæ augusti Doctoris mens circa hæc verba fuerit. Eam Bellarminus in refutandis secundâ & tertiâ expositionibus sequenti modo exhibet:

Epist. 89. ad Hilar. quæst. 4. *Vidrit ille juvenis, quem ad modum legis mandata servaverit. Verùntamen Magister bonus mandata legis ab ista excellentiori perfectione distinxit &c.* Sequntur hic, quæ sub finem antecedentis proximè capitis leguntur. Et iterum: *Qui illud perfectionis de vendendis rebus suis Consilium tam grande tamque præclarum non receperunt, & tamen à damnabilibus immunes criminibus esurientem Christum paverunt, non sedebunt quidem cum Christo sublimiter indicaturi, sed tamen adipsius dexteram stabunt misericorditer judicandi.* Porrò: *Apostolus præcipiens, divitibus seculi hujus præcipe, non superbe &c. puto, quod divites instruebat, non fallebat, non dicens, præcipe divitibus Mundi hujus, ut vendant omnia, quæ habent, & dent pauperibus, & sequantur Dominum, sed non superbe sapere &c.* Varia hic ex Augustino congerit Bellarminus, quæ ad observationem trahi possent, nisi eadem sæpius iterare esset inconsultum. Id nunc inprimis è re præsenti videtur esse, quod Augustinus verba Christi illustraturus, quibus aliquod Consilium censet exhiberi, confert illud Apostoli oraculum, quo expressum ad divites præceptum continetur, undè adminimum hoc constat, quia id, quod Paulus expresse, divitibus inculcari præcipit, Augustino teste, aliam omninò rationem habet, quàm quod Christus juveni Pharisæo sive suasit sive mandavit; esse illud præceptum universale & catholicum, omnibus scriptum & datum divitibus, hoc verò sive consilium sive præceptum esse è contrario speciale, imò personale, quod utut *Conzenius* ad vitam æternam consequendam non absolutè necessarium dixit, ad Augustini consensum & hic provocans, *Esthius* etiam existimavit, posse intelligi ad perfectionem, notanter tamen addidit, *non male intelligi necessarium absolute ad salutem*, juveni nimirum huic in specie, *qui confidebat in divitiis, & ideo pene opus erat relinquere divitias, ut salvetur*, vel, ne divitiæ in viâ salutis, in cujus inquisitione videri volebat sollicitè occupatus, essent impedimento. Aliàs si in genere & omnibus in universum divitibus absolutè necessarium esset ad æternæ beatitudinis adquisitionem divitias relinquere, hæcque venditio bonorum temporalium esset causa, *sine qua non liceret* aut daretur ingredi regnum cœlorum, non veniret sub Elogio Consilii, quo videlicet sensu in oppositione ad præceptum à Consultoribus Papæis sumitur, sed sub elogio præcepti, ad quod omnes sine exceptione divites essent obligati & ad quod seriò inculcandum divitibus Timotheum hortari debuisset Paulus, quem in aliis sine prævio Domini præcepto ad Consilia non adeò impromtum fuisse & supra jam vidimus & proximè iteratâ vice videbimus. Si enim nulla ante se habens vestigia, quod ipse fatetur ingenuè, consilium se suppeditare posse tempori accommodum existimavit, qui se Dei Spiritu regi confisus est, adeoque indubius fuit, nihil à se proponi, quod Dominicis esset contrarium præceptis; cur non potius observasset ea in re præsenti vestigia, quæ Domini esse non ignoravit, si hoc ejus sive Consilium sive præceptum juveni Pharisæo datum non pro personali habuisset, quale etiam illud fuisse, ex omnibus Historiæ circumstantiis manifestissimum est. Præter cætera, quæ ad hoc testimonium ex *Iansenio* Gandavensi id *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* sunt adducta, id superpondii loco nunc accedat, quod ex Augustini Enchiridio ad præsens insti-

Institutum non malè laudavit: *Quæcunque mandat Deus, ex quibus unum est, non mæchaberis; & quæcunque non jubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus unum est, Bonum est homini mulierem non tangere; tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum & proximum propter Deum, & in hoc seculo, & in futuro,* Id quod ad correctionem sententiæ ex Augustino per Bellarminum propositæ correctionem satis esse potest. Nunc id porrò videndum, quod idem Bellarminus in refutatione expositionis quintæ ad vindicandum Augustini authoritatem produxit. Adscribit eam *Guilielmo de sancto Amore*, contra quem scripsisse *Thomam Aquinatem* refert. Statuit is, ut Bellarminus quidem ejus refert sententiam, *Verba Domini ad juvenem Pharisaicum intelligi debere secundum animi præparationem, & verum continere præceptum, sicut illud, quod Christus alibi dixit:* Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe illi & alteram, &c. *id enim juxta Augustini expositionem esse præceptum, etsi in animi præparatione intelligatur.* Bellarminus huic comparationi nihil aliud potuit opponere, quàm negando eam, idque ideo, *quia Consilium, quod vocat, de relinquendis rebus ipse Christus, Apostoli & alii plures sancti non in animi solùm præparatione retinuerint, sed re ipsa & factis impleverint, cùm tamen præceptum, quod agnoscit, de maxillâ percussori præbenda non possit re ipsa sine proximi damno & Dei offensione impleri, & ideò intelligatur sola præcipi patientia.* Quem verò ad modum illud me non intelligere fateor ingenuè, quod de proximi damno & offensione Dei hic infert Bellarminus; ita quam-maximè fallitur, si Augustinum de eâ tantum animi præparatione ad patientiam existimat esse locutum, quæ non simul conjuncta sit cum voluntate patiendi. Patebit mens sancti Patris, si integrum ex eo locum accuratè perpendamus, ubi hunc in modum scribit: *Ita præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus est, pertinent, quàm ad opus, quod in apertò sit, ut teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia.* Et hæc in gratiam Bellarmini videntur scripta, sed sequentia augusti Doctoris sententiam melius explicant: *In manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus benè velle debemus.* Et quia Bellarminus in commendatione Consilii de relinquendis temporalibus bonis ad exempla Christi, Apostolorum & aliorum insuper sanctorum provocavit, videat lector, quid è contrario Augustinus ibidem ad illustrandum hoc de maxillâ percussori præbendâ præceptum per Christi in primis & Pauli exempla in medium protulerit, quâ nimirum ratione illud propriis etiam exemplis intelligendum esse docuerint. Prolixius enim hæc exscribere non vacat, præsertim cùm præsentem Controversiam non ita propè attingant.

Comment. in Concord. Evang. cap. 100. p. m. 261.

Matth. V. Epist. ad Marcell.

Et porrò nunc nobis est eundum, videlicet post *sextum* pro Consiliorum perfectione testimonium, quod nullum ab Augustini authoritate habet subsidium, ad *septimum*, quod illud Apostoli oraculum, exhibet, ex quo hactenus solo, si vulgatam admittamus versionem, nomen Consilii fuit depromtum, & quo Augustinum ad commendandam Consiliorum rationem fuisse ductum, credere non impar est. Nimirum scripsit suo tempore Paulus, *Bonum est mulierem non tangere*, suasit ob illorum temporum rationem, *solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Dixit innuptis adhuc & viduis, *Bonum est, si sic permanserint, sicut ego.* Adductus certis rationibus pronuntiavit, *Volo omnes esse, sicut meipsum.* Imò expresè Consilii voce per laudatum Interpretem Latinum usus est, *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam à Domino consecutus misericordiam, ut sim fidelis.* In comparatione status conjugalis & virginalis suam ita expressit mentem, *Qui matrimonio suam jungit Virginem, benè facit, & qui non jungit, melius facit.* Denique de viduâ hæc monuit, *Cui vult, nubat, tantum in Domino; beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum Consilium.* Hæc sunt præcipua, quæ ad nauseam usque Consiliarii Papistæ & in primis Voti Continentiæ ex Consilio Apostoli jactatores crepare solent, suoque Instituto obtendere, primo intuitu non parum ad rem facientia, eoque magis plausibilia, quia augustissimus Patrum & sanctissimus inter Doctores Augustinus hæc quam-maximè ad commendationem Consiliorum & inter ea Virginitatis perpetuæ existimavit inservire, eo in primis in libro, quem de sanctâ scripsit Virginitate, hoc argumentum ex professo & singulari tractans studio, undè Bellarminus tria depromsit loca, quæ, ne quid præter videri possimus iviisse, quod ad Institutum pertinet, huc ordine eo ponemus, qui à Bellarmino fuit observatus. Primus est: *Hoc modo exhortatur ad Virginitatem Continentiamque perpetuam, ut aliquantulum à nuptiis etiam deterreret.* Secundus: *Mirabiliter desipiunt, qui putant, hujus Continentiæ bonum non esse ne-*

1. Cor. 7.

cap. 16.

cap. 13. *esse necessarium propter regnum cœlorum, sed propter præsens seculum, quod scilicet conjugia terrenis pluribus curis atque arctioribus distendantur, quâ molestiâ Virgines &* cap. 14. *continentes carent, &c.* Tertius: *Quoniam adeunda est vita æterna, in qua est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris,* & quæ sequuntur paulò ante laudata. Ipsius Apostoli mentem circa hanc quæstionem quod attinet, non prolixè adduco ex eodem capite, loca, quibus manifestè satis suam expressit mentem, locutus videlicet sensu non absoluto ac si in & per se status Virginalis melior esset statu conjugali, sed respectivo, quoad illius nimirum temporis circumstantiam, quo Paulus tum vixit & scripsit; neque etiam repeto, quæ de Augustini mente circa legitimum horum verborum sensum hactenus non semel monui, ne justo sæpius authoritatem sancti Patris lædere videar, quem tamen à seculi genio abreptum Apostoli in hac quæstione sententias non ritè ex debito ponderasse, certo est certius. Certè dum Apostolum ita ad Continentiam Virginitatemque perpetuam scribit adhortatum, *ut aliquantulum à nuptiis etiam deterreret,* si extra considerationem circumstantiæ temporis id voluit intellectum, nescio, annon id cum aliquâ Apostoli injuriâ conjunctum videri possit? Quia & non adeò desipere sunt dicendi, qui Continentiæ bonum à Paulo laudatum putant esse necessarium *propter seculum præsens, quia nimirum conjugia curis pluribus atque arctioribus distenduntur, qua molestia Virgines & continentes non ignotum est carere,* dum ipse Paulus id satis expresè insinuaverit. Et quamvis certos Gloriæ gradus in æternæ beatitudinis statu futuros nulli planè dubitemus, nullibi tamen apertè revelatum scimus, Virgines prælatum iri piis & castis conjugibus, quin potius ex ore Christi certum est, fideles olim Patriarchas, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, ob seriam pietatem Deo ita dilectos, ut per nomina eorum posteris innotescere singulari favoris documento voluerit, omnes conjugatos & plurium liberorum Patres, primæ sedis gratiâ præ aliis pluribus, iis etiam sine dubio, qui Virginitatis perpetuæ gloriâ intumescunt, fruituros & beatos fore, quale promissum Virginibus factum neque in Novi, neque Veteris Testamenti scriptis legitur, eo videlicet in sensu, qui in hac quæstione attenditur. Id si Bellarminus nobiscum attendisset, eâ insuper ab Augustino dissentiendi libertate usus, quâ cum in sequentibus Controversiis non semel usum fuisse cum Deo & die videbimus, facilè nobiscum Doctori augusto ea potuisset condonare, quæ is nimio ductus Virginitatis studio etiam contra Pauli mentem hic & ibi scripsit, alibi tamen ita pennam temperans, ut nihil contra Matrimonii honorem scripsisse videri voluerit, cujus generis aliqua superius fuerunt annotata.

Non multum dissimilia dici debent ad ea, quæ *octavum* ordine testimonium pro Consiliorum perfectione & singularitate à Bellarmino laudatum ex Augustino proponit, quamvis certâ ratione ad institutum præsens impertinentia videri possint. Urget nimirum Bellarminus Pauli exemplum, de semet ipso memorantis, quod in cur- 1. Cor. 9. su Muneris Apostolici plus præstiterit, quàm sibi fuerit præceptum, *& singularem propterea gloriam apud Deum meruerit. Nam cùm Dominus ordinaverit, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio viverent, Paulum maluisse gratis Evangelium prædicare, & sic opus facere supererogationis.* Et ne id ex mente propriâ videatur scripsisse, post alios Patres Augustinum quoque, tanquam sibi in hac expositione consentien- de opere Monach. cap. 5. tem laudat, ita videlicet scribentem: *Audiverat stabularius, ad quem vulneratus est perductus, si quid amplius erogaveris, in redeundo reddam tibi. Amplius ergo erogabat Paulus, qui suis, ut ipse testatur, sumtibus* (aliàs, *stipendiis*) *militabat.* Sed præter id, quod Bellarminus ad hanc de Consiliis materiam hoc Apostoli testimonium trahit, cujus aliquis usus juxta citatam Augustini explicationem in quæstione de operibus, quæ phrasi apud Papæos receptâ ex versione vulgatâ dicuntur vulgò supererogatoria, esse posset; id præsertim hic attendi debet, num Augustinus benè exemplum Luc. 10. Samaritani ex parabolâ ad illustrandam Pauli in exhibendis operibus supererogationis laudem contulerit, cùm *Esthius,* Annotator ad difficiliora scripturæ loca maximi apud suos æstimatus ingenuè agnoverit, hæc, quæ vocantur opera supererogationis, hic, nimirum in laudatâ de Samaritano parabolâ, *propriè non fundari.* Et quod Pauli de semet ipso testimonium attinet, ita id comparatum est, ut neque opus supererogationis, neque Consilium aliquod Evangelicum propriè & in eo sensu exhibeat, quo hic ad mentem partis adversariæ adhibetur. Quamvis enim Paulus potuisset eo jure uti, ad quod eum provocasse vidimus, id est, de Evangelio, vel de eorum bonis temporalibus vivere, quibus Evangelium prædicavit; tamen quia vix

fine

sine scandalo quodam & Evangelici cursus impedimento id à Corinthiis, qui prædicationem Apostolicam susceperunt, petere & tanquam jus aliquod sibi debitum extorquere potuit, hinc præsenti usus est consilio, quod tamen ob summam necessitatem præcepti & debiti vim habuisse dici debet, ut videlicet aliis deficientibus mediis, ne Ecclesiam noviter plantari cœptam desereret, quæ ejus ope quam-maximè indigebat, arte manuariâ, quam antehac ex Instituto Pharisæorum didicerat, victum sibi quæreret, nullaque omninò ratione auditoribus suis molestus esset. Id etsi magnum & singulare quid potuit videri, id est, opus aliquod supererogationis, indebitum videlicet, & à voluntate Pauli liberrimâ profectum; non tamen dissimile fuit ei, quàm si civium aliquis in Patriæ communi necessitate suis etiam sumtibus & stipendiis contra hostem publicum militet, ne per ejus incrementum res-publica & communis quidquam capiat & patiatur detrimenti, ad quod præstandum omnes in universum cives in tali passu obligatos esse, nemo rerum civilium non inexpertus nescit. Ut adeò Paulus gloriam exindè & laudem meritus quidem sit, sed non eam, quasi supra debitum & præceptum quid fecerit, verùm quia nihil omninò eorum intermisit, quæ ad regni & Ecclesiæ Christi propagationem ullo videbantur pertinere modo, strenuus nimirum Athleta, & vas electissimum.

Vltimum nunc super adhuc est è sacris pro Consiliorum perfectione testimonium, ex ultimo sacri Codicis Libro desumtum, ex Apocalypsi videlicet Johannæâ, undè sequentia Bellarminus verba depromsit: *Nemo poterat dicere Canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt, qui cum Mulieribus non sunt coinquinati; Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum, quocunque iverit.* Hæc verba præter alios Patres Augustinum quoque de veris exponere Virginibus perhibet Bellarminus, occasione eorum Virgines ita adscribentem: *Videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc sequi non valet. Videbit, nec invidebit, & collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis. Nam & illud Canticum novum, proprium vestrum, dicere non poterit, audire autem poterit & delectari vestro tam excellenti bono. Sed vos, qui & dicetis & audietis, quia & hoc, quod dicetis, à vobis audietis, felicius exultabitis jucundiusque regnabitis.* Contra hanc Augustini sententiam nihil aliud profero, quàm quod arcani sensus Apocalyptici vestigator *Ludovicus ab Alcasar* in Commentario ad oraculum hoc notavit, nimirum, *hos centum quadraginta quatuor millia haud dubiè eosdem esse ipsos, qui capite septimo continentur, docente Hieronymo contra Iovinianum, & manifestum esse, cùm utrobique idem sit numerus eorum, qui sequuntur Agnum, & similiter de iis dicatur, Agnus reget illos & deducet eos.* Quamobrem sicut illo capite per ingentem hunc numerum significari dixit Alcasar primitivæ Ecclesiæ Christianos, qui majori ex parte fuerint Israelitæ; ita etiam hoc in loco monet eandem esse hujus tantæ multitudinis significationem. Postquam verò eorum recensuit sententiam, qui de veris, ut Bellarminus loquitur, hoc Oraculum intellexerunt Virginibus, suæ mentis hanc dedit interpretationem: *Enimverò, nisi me fallit animus, non solùm Apocalypseos consequentia & series, sed etiam hic ipsemet Textus præsens diversam interpretationem deposcit.* Inter cæteras hujus suæ interpretationis rationes hæc præprimis eminet: Ut *virginitatis nomen hic mystice desumatur, non modò Ænigmatis stylus permittit, sed contextus etiam. Nam ubi nos legimus, virgines enim sunt, habetur Græcè, παρθενοι, quod nomen fœmineum est, & puellas significat intactas. Manifestum verò est, minimè hujus loci sensum esse, hos omnes Citharœdos esse puellas illibatas. Quamobrem ipse contextus invitat, ut virginum nomen allegoricè accipiatur, sicuti ab Apostolo accipitur, ad Corinthios scribente:* Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. *Undè Origines, Hieronymus, Augustinus, Hesychius, atque Fulgentius apud Lauretum* (v. Virgo) *colligunt, in sacris literis non solùm Ecclesiam adpellari virginem, sed omnes etiam animas puras, quæ minimè patiuntur violari se à concupiscentiis & adfectibus pravis, sed integras se Christo reservant. Itaque vitæ atque doctrinæ integritas & perfectio pro mystica virginitate reputatur.* Et hactenus ex S. Scripturæ testimoniis Augustini authoritate firmatis pro Consiliorum perfectione militavit Bellarminus.

cap. 14.

de S. Virgin. c. 29.

II. Cor. 11.

NB

Nunc ad Patrum recurrit consensum, interq; eos Augustini etiam; de quo etsi in genere iterùm dici posset, quod hactenus non semel fuit observatum, placet tamen ea in specie loca breviter examinare, in quibus certam sibi & indubiam Bellarminus promisit

de S. Virgin. c. 30. misit victoriam. Primus est, quo Virgines Augustinus ita adloquitur: *In illis, nimirum præceptis, Dominus debitum imperat vobis, in his autem, videlicet Consiliis, si quid amplius supererogaveritis, in redeundo reddet vobis.* Secundus *Ambierunt virgines majorem pulchritudinem cordis sui, tanquam dicerent: Quid jubes? ne adulteræsimus? hoc præcipis? Amando te plus facimus, quàm præcipis.* Tertius: *Quæcunque mandat Deus, ex quibus unum est, non mœchaberis, &c.* quæ paulò ante ex *Ianseenio Gandavensi* fuerunt citata. *Quoad primum*, quid de supererogatione ex parabolâ Christi statuendum sit, ex *Esthio* proximè vidimus. *Quoad secundum*, supra quoque jam dictum est, Augustinum hoc Virginitatis Elogium consilio Apostoli non ritè juxta temporis circumstantiam expensò debere. *Quoad tertium*, etsi eodem nitatur Apostoli consilio, dum tamen expressè & præcepti & consilii observationem ad dilectionem Dei & proximi, in hoc æque seculo ac in futuro refert, facilè potest tolerari.

Serm. 18. de Verb. Apost. Enchir. c. 121.

His ergò dissensis, videamus nunc, qualem se Bellarminus præstet in solutione objectionum, quæ contra jactatam Consiliorum perfectionem ex scripturâ pariter & Augustino, id est, ex oraculis scripturæ ad mentem Augustini explicatis fieri solent. Ubi rejectis, quas Pelagianorum esse dicit, ne eorum causam videamur agere, etsi non omnia, quæ hæretici vel dixerunt vel scripserunt, hæretica esse, notius sit, quàm ut prolixè hic deduci debeat; ea solùm attingemus, quæ *Petro Martyri*, Doctori reformato adscribit, non ut eum, sed Augustinum in communi causâ ab eo laudatum pro virili vindicemus, easque augustissimum Doctorem hypotheses fovisse ostendamus, quibus salvis laudata Consiliorum perfectio vix locum habere possit. Suo autem meritissimo inter omnia, quæ non pauca sunt, quasi in acie stat illud utriusque Testamenti oraculum, quo Deum diligere jubemur *ex toto corde, &c. undè nimirum nihil superesse videtur non debitum, quod erogemus, cùm quidquid agimus, corde, animâ, mente ac viribus agamus, quæ omnia Deo sunt obstricta.* Accedit consensus Augustini, oraculum hoc eum in sensum explicantis, & simul docentis, hoc dilectionis præceptum, ut & præceptum non concupiscendi; in hac non impleri posse vitâ. Tria præprimis citantur loca, quibus Pater Sanctus hunc suum testatus est consensum, quæ hic omninò legi oportet, & quidem magis integra, quàm à Bellarmino exhibentur: Primus est: *Hæc regula dilectionis constituta est divinitus, ut omnes cogitationes tuas & omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas, à quo ea habes ipsa, quæ confers. Quàm autem ait*, toto corde, totâ animâ, totâ mente, *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut aliâ re frui velit; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus currit dilectionis impetus.* Secundus: *Talem constituamus animam humanam in hoc corruptibili corpore, quæ etsi nondum illa supereminentissimâ perfectione Charitatis Dei omnes motus terrenæ libidinis absorbuerit atque consumserit, in minore tamen justitiâ ad illicitum aliquid operandum eidem libidini nullâ inclinatione consentiat, ut ad illam vitam jam immortalem pertineat*, diliges Dominum Deum tuum, &c. *ad hanc autem*, non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus; *ad illam*, Non concupisces, *ad istam*, post Concupiscentias tuas non eas; *ad illam, nihil amplius quærere, quàm in perfectione ea persistere, ad istam, hoc, quod agit, habere in opere, & illius perfectionem sperare pro mercede; ut per illam justus sine fine vivat in specie, quam in ista desideravit, per hanc autem justus vivat ex Fide, in quâ illam certo fine desiderat.* Tertius: *Quotquot sumus perfecti, hoc sapiamus, id est, quotquot perfectè currimus, hoc sapiamus, quod nondum simus perfecti, ut illic perficiamur, quo perfectè adhuc currimus, ut cum venerit, quod perfectum est, quod ex parte est, destruatur, id est, non jam ex parte sit, sed ex toto, quia Fidei & Spei jam res ipsa, non quæ credatur & speretur, sed quæ videatur teneaturque, succedet, Charitas autem, quæ in his tribus major est, non auferatur, sed augeatur & impleatur, contemplata quod credebat, & quod sperabat indepta; in quaplenitudine Charitatis illud præceptum implebitur*, diliges Dominum Deum tuum &c. *Nam cum est adhuc aliquid carnalis Concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus; non enim dare sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit justus sine ullo omninò peccato, quia lex nulla erit in membris ejus repugnans legi menti ejus, sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum.* Quid ex his Augustini testimoniis contra Consiliorum perfectionem possit concludi, benè vidit Bellarminus, & hinc manibus laboravit pedibusque, ut eorum clarita-

Deut. 6. Matth. 22.

lib. I. de Doctr. Christ. cap. 22.

I. de Spir. & lit. c. ult.

de Perf. Instit. paulo ante med.

ritatem aliquâ ratione obfuscet, ne augustus Doctor id scripsisse & docuisse videatur, quod verba satis manifesta exhibent. Varia ob id ipsum fingit, quibus dubium hujus oraculi sensum, dubiam quoque sancti Patris super eo mentem facere satagit. Quadruplex autem responsum suppeditat, quamvis secundum & ultimum modò sibi placere ostendat, semper Augustini authoritate munitus. Et *primò* quidem dicit, quod illam attinet enumerationem, dum Deus dicitur diligendus *ex toto corde*, &c. quosdam ex Patribus, in specie Augustinum existimasse, *illa omnia esse diversa*, & ideò conatos esse eorum ostendere distinctionem, *ut videlicet anima significet partem animæ vegetantis, cor sentientis, mentem intelligentis, vel aliquid ejusmodi.* Sed ut non prolixè urgeam, Bellarminum hic minus philosophicè loqui, dum partes animæ vocat, quas paulò ante rectius potentias dixit, alii facultates nominant; neque id etiam Bellarmino rigorosè objiciam, in citato Augustini loco nullam omninò hujus divisionis fieri mentionem; id ante omnia venit attendendum, nihil eam, etiamsi concederetur & Augustini authoritate firma esset, hypothesi contra perfectionem Consiliorum & ad imperfectionem justitiæ in hoc seculo confirmandam obesse vel auferre. Ideò ipse Bellarminus ultrò eam dimisit, *secundò* statuens, simpliciorem & scripturæ conformiorem esse eorum sententiam, qui ista omnia è contrario idem significare docent, *& more Scripturæ multa & varia poni nomina ad rem eandem explicandam, majoris expressionis gratiâ; itaque idem esse, diligere corde, diligere anima, & diligere mente, nimirum, diligere verè, sincerè, non fictè, non simulatè.* Verùm posito, etsi non concesso, idem diversis hisce vocibus indigitari, videlicet dilectionem veram & sinceram, quæ juxta Augustini verba præcepti enucleatissimè illustrantis sententiam *non sit ex parte, sed ex toto*; quid, quæso, contra justitiæ in hoc seculo imperfectionem ad demonstrandam Consiliorum perfectionem indè poterit evinci? Nihil omninò, nisi Consiliorum jactatores glorioli velint de semetipsis, inaniter quamvis, præsumere, posse se hoc de Deo verè & sincerè diligendo præceptum in hujus adhuc seculi imperfecto statu servare, eidemque satis ex asse & ad unguem facere, quod tamen Augustinus expressissimè futuro gloriosæ perfectionis statui humanæ imbecillitatis memor adscripsit. Videamus nunc, quid porrò Bellarminus responderit. *Tertiò* igitur, quantum ad particulam, *toto*, concedit esse Patrum quorundam, & Augustini nominatim, hanc expositionem, *imperari nobis hoc mandato omnes gradus charitatis, quos vel in hoc mundo, vel in alio habere possimus ita ut semper Deum amemus & non sit in nobis ullus motus cupiditatis neque voluntarius, neque involuntarius, cum Dei amore pugnans, exque eo rectè deduci, hoc mandatum in hac vita perfectè impleri non posse*; at statim subjungit, *hanc sententiam non pugnare cum sententia de perfectione Consiliorum, tametsi non videatur sacris literis admodum conformis.* Prius, nimirum, quod hæc Patrum sententia, vel oraculi de dilectione Dei explicatio, Augustini etiam authoritate fulta, non pugnet cum sententiâ de Consiliorum perfectione, ex eo constare putat Bellarminus, *quod iisdem Patres adsirmant, hoc præceptum, licet perfectè non possit impleri in hac vita, non tamen facere prævaricatores, si non impleatur.* Magnus Apollo hîc fuisset Bellarminus, si id, quod Patribus, & nominatim Augustino adscripsit, claris demonstrare potuisset testimoniis. Sed ne id frustra scripsisse videatur, satis speciosè Augustini inprimis mentem huic proposito consonam depingere conatus est. Videamus, quæ fuerit augustissimi Doctoris sententia; ubi notatu dignum est, Bellarminum exindè pro suâ militare sententiâ, undè supra pro nullitate perfectionis & justitiæ in hac vita fuerunt producta Testimonia. Et quidem è libri *de Spiritu & literâ* capite ultimo sequentia in rem suam esse existimat: *Ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, ut admoneremur, quid Fide exposcere, quo spem præmittere debeamus.* Et infra: *Neque, si esse nondum potest tanta Dei dilectio, quantaili plena perfectaque cognitioni debetur, jam culpæ deputandum est, &c.* Ex libro autem de perfectione justitiæ: *Cur non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si, quo currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis ostenderetur, præceptis?* Addit Bellarminus, *ad finem libri ejusdem docere Augustinum, motus Concupiscentiæ involuntarios, licet prohibiti sint hoc præcepto, adeo tamen peccata non esse, ut non opus sit dicere pro eis, Dimitte nobis debita nostra.* Posterius, videlicet, sententiam hanc Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum, de impossibilitate legis implendæ, non esse conformem

lib. I. de Doctr. Christ. cap. 22.

divinis

divinis literis, ostendere se posse putat Bellarminus, dum *quartò* aliam planè oraculi hujus de dilectione Dei explicationem producit in medium, statuens, *illud ex toto corde, non significare omnes actus cordis, vel omnem intentionem possibilem, ita ut imperetur, ut nihil corde agamus, nisi Deum diligere, idque summa amoris vehementia; sed solùm ut amemus Deum præcipuo amore, nihilq; illi in amore anteponamus vel æquemus, ac proindè solùm in hoc præcepto contineatur id, quod faciendum est, non etiam finis, ob quem id faciendum.* Ex hac explicatione postquam sex deduxit corollaria, eamque variis Scripturæ dictis, quin & exemplis eorum, qui Mandatum hoc impleverint, munire studuit, Patrum quoque consensum more suo adjecit, interque eos Augustini etiam, non solùm in genere docentis, *nihil impossibile Deum præcepisse*, sed & de mandato dilectionis in specie scribentis, *Quomodo grave est, cum dilectionis sit mandatum?* Alibi etiam sequentia exhibentis: *Non imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret, ut ab homine fieret*, de quibus Augustini verbis censet Bellarminus, *quod in iis aut mutaverit priorem sententiam, aut certè explicaverit.* Hæc omnia in rem suam Bellarminus, quæ id. eò prolixius exscribi debuerunt, ut lector æquitatis studiosus videat, quâ methodo circa Augustini authoritatem versari soleat Bellarminus, videlicet, mox ejus sententiam amplectens, mox verò reprobans, ubi ad nutum non scripsisse videtur. Et quamvis hæc de impossibilitate legis implendæ & concupiscentiarum in renatis adhuc reliquarum reatu doctrina præcisè huc non pertineat, ubi contra perfectionem Consiliorum agitur, sed suum infra locum singularem sit occupatura; hic tamen omninò prætermitti neque potest, neque debet, quia impossibilitate hac obtentâ, illustre argumentum contra Consiliorum perfectionem potest formari, quod elidere parti adversariæ non adeò facilè, imò impossibile est.

de Naturâ & gratiâ, cap. 69. in Ps. 36.

Nobis Augustini iterùm doctrina est vindicanda, utpotè quam Bellarminus non parum depravavit, inque sensum à mente Authoris planè alienum nequiter detorsit, id quod breviter demonstrandum erit. Quamvis enim grati agnoscamus concessum nobis à Bellarmino consensum Augustini, quoad impossibilitatem legis implendæ; non tamen videre licet, quâ ratione vel quonam modo hæc concessa ex Augustini authoritate impossibilitas cum jactatâ Consiliorum perfectione conveniat, ut quidem Bellarminus existimat, comet ipso tamen evertens hanc convenientiam, dum firmatam Augustini authoritate impossibilitatem sacris literis non adeò conformem videri putat. De utroque paucis, & primùm quidem de utriusque sententiæ convenientia, quam Bellarminus indè scribit constare, quia præter alios Patres Augustinus etiam adfirmet, *præceptum de diligendo Deo licet perfectè non possit impleri in hac vita, non tamen facere prævaricatores, si non impleatur.* Atqui non id docere Augustinum, ex illis testimoniis quæ Bellarminus laudavit, si ex integro contextu ritè ponderentur, scopusque & mens sancti Doctoris ex debito attendatur, satis constabit superque. Non pauca in laudato capite ultimo libri de *Spiritu & litera*, habet augustus Pater, quæ nostram confirmare possunt pro impossibilitate sententiam, præter id, quod paulò ante jam fuit exindè productum. Postea enim quàm ipsa legis verba, prout jacent, adduxit, ita de eis suam explicavit mentem: *Quid certius, his impletis impleri omninò justitiam? Verùntamen qui hoc attendit, illud etiam attendat, quàm in multis offendamus omnes, dum putamus, Deo, quem diligimus, placere vel non displicere, quod facimus, & postea per scripturam ejus, sive certa & perspicua ratione commoniti, cùm dicerimus, quod ei non placeat pœnitendo deprecamur, ut ignoscat. Plena est humana vita talibus documentis.* Et post aliqua: *Hoc est primum præceptum justitiæ, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, &c. cui est deproximo diligendo alterum consequens, quod in illa vita complebimus, cùm videbimus facie ad faciem.* Et post illa verba, ad quæ Bellarminus loco priore provocavit: *Per hoc, quantum mihi videtur, in ea, quæ perficienda est justitia, multùm in hac vita ille profecit, qui, quam longè sit à perfectione justitiæ, proficiendo cognovit.* Satis aperte ostendit Augustinus, quid de possibilitate & impossibilitate legis implendæ sentiat, ut prolixiori explicatione opus non sit. Verùm illud aliquam habere videtur difficultatem, quod loco posteriore juxta Bellarmini citationem scripsit: *Neq; si esse nondum potest tanta Dei dilectio, quanta illi plenæ perfectæq; cognitioni debetur, jam culpæ deputandum est, &c.* Fatendum est, videri hæc verba ad Bellarmini mentem illustrandam conducere, si extra contextum accipiantur, quo autem attracto non id voluisse Augustinum, patebit. In proximè antecedentibus hæc habentur:

Dici

Dici potest quædam Justitia minor huic vitæ competens, qua Justus ex fide vivit, quamvis à Domino peregrinus, & ideò per fidem ambulans, nondum per speciem. Non absurdè dicitur, etiam ad istam pertinere, ne peccet. In proximè sequentibus hæc adduntur: *Aliud est, totam nondum adsequi charitatem, aliud, nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quamvis longe minus amet Deum, quam cum potest amare conspectum, nihil tamen adpetere illicitum; sicut etiam in his, quæ sensibus corporis adjacent, oculus potest nullis delectari tenebris, quamvis non possit in fulgentissima luce defigi.* Et horsum pertinent, quæ supra exindè fuerunt laudata. Quæ omnia si attentè considerentur, illud facient manifestum, Augustinum satis expressum facere discrimen inter dilectionem Dei in hac vita & futura; illi adscribere majorem, huic verò minorem ejus gradum; illi supereminentissimam attribuere perfectionem, huic aliquam imperfectionem, quamvis in fidelibus ita considerandam, ut quia justus ex fide vivit, hæc minor & imperfectior dilectio, & quæcunque adhuc desunt, ex gratia & ob fidem, qua coram Deo sunt & verè dicuntur justi, culpæ in rigoroso Dei judicio non deputentur, sed Christi justitia & dilectione omnium perfectissimâ tegantur, ne quid super in iis sit damnationis; hac tamen cum obligatione expressa, ut nunquam non memores sint debitæ huic beneficio gratitudinis, id est, ut omnibus semper studeant viribus, illicita quævis fugere, & ex residuâ imbecillitate commissa pœnitendo deprecari, ne deputentur culpæ, sed ex gratia ignoscantur. Et ut hæc augusti Doctoris sententia adhuc magis pateſiat, placet porrò ea subnectere, quæ ipse S. Pater jam laudatis adjunxit: *His constitutis, peccatum erit hominis ex fide viventis, aliquando alicui delectationi illicitæ consentire, non tantum in illis horrendis facinoribus & flagitiis perpetrandis, verum etiam in istis levioribus, ut, vel aurem alicui voci, quæ audienda non esset, vel linguam alicui, quæ dicenda non esset, accommodet, vel in ipso corde aliquid ita cogitet, ut mallet licitum, quod malè delectat, & per præceptum scitur illicitum, etiam ista quippè consensio est ad peccatum, quæ utique fieret, nisi pœna terreret.* Quia verò Augustinus hunc *de Spiritu & litera* librum, ut ipse in *retractationibus* monet, scripsit & in eo *acriter disputavit contra inimicos gratiæ Dei, qua justificatur impius*, hinc ex eorum sententia ad hominem disputando sequens absurdum deduxit: *Tales justi ex fide viventes non opus habent dicere, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; falsumque esse convincunt, quod scriptum est, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et illud, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmet ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Et illud, quia non est homo, qui non peccabit. Et illud, non est justus in terra, qui faciat bonum, & non peccabit. Utrumque enim hoc testimonium non de præterito dicit, id est, peccavit, sed de futuro, id est, peccabit; & si quæ alia in hanc sententiam sanctæ commemorat scriptura. Sed quoniam hæc falsa esse non possunt, illud esse consequens video, ut qualemlibet vel quantamlibet in hac vita potuerimus definire Justitiam, nullus in ea sit hominum, qui nullum habeat omnino peccatum, omnique homini sit necessarium, dare ut detur illi, dimittere ut dimittatur illi; &, si quid habet Justitiæ, non de suo sibi præsumere, sed de gratia justificantis Dei, & adhuc tamen ab illo esurire & sitire Justitiam, qui est panis vivus, & apud quem fons vitæ, qui sic operatur Justificationem in sanctis suis in tentatione hujus vitæ laborantibus, ut tamen sit, & quod petentibus largiter adjiciat, & quod confitentibus clementer agnoscat.* Mitto plura uberius adscribere, cum ex his sufficientem constet, aliter considerari ab Augustino peccati reatum in homine, qui in hac vita constitutus, etiamsi per fidem sit justificatus, nunquam tamen non est verè & in se peccator; aliter gratiam Dei, peccata homini per fidem justificato non imputantis, sed respectu meriti per Christum perfectissimi eidem seriò pœnitenti remittentis & ex paterno favore ignoscentis. lib. II. c. 37.

Ea nunc videamus loca, quæ Bellarminus ex Augustini libro *de perfectione justitiæ* laudavit, ut aliquid, etsi non adeò multum, obtineat; quorum prior sicut nihil habet, quod sententiæ de impossibilitate legis contra Consiliorum perfectionem possit obesse, ita posterior omninò vindicandus est, utpotè à Bellarmino habitus indignissimè. Dicit Bellarminus, Augustinum circa libri illius finem docere, *motus concupiscentiæ involuntarios, licet prohibiti sint hoc Præcepto, adeò tamen peccata non esse, ut non opus sit dicere pro iis, dimitte nobis debita nostra.* Ut Augustini mentem à Bellarmino non sincerè propositam fuisse ostendatur, non contraria ejus testimonia ex eodem hoc libro prolixè citabo, quæ alibi possunt legi, & ne sanctus Pater contraria sibi scripsisse in hoc non levi momento videatur; sed ipsam ejus sententiam lectori proponam, quo ipse modo eam ad finem illius libri exposuit, ut fucus poster. vid. D. Höpfn. de Justific. Disp. III. p. 203. edit.

fucus Bellarmini eò evadat manifestior. Ita autem ibi Doctor augustissimus: *Quisquis fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem vel aliquos homines putat, excepto uno Mediatore Dei & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinæ scripturæ.* Porrò, *quisquis dicit, post acceptam remissionem peccatorum ita quenquam hominem juste vixisse in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omninò peccatum, contradicit Apostolo Iohanni, qui ait, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Non enim ait, habuimus, sed, habemus. Quod si quis adserat, de illo esse dictum peccato, quod habitat in carne mortali nostra secundum vitium, quod peccantis primi hominis voluntate contractum est, cujus peccati desideriis ne obediamus, Paulus præcepit, non autem peccare, qui eidem peccato, quamvis in carne habitanti, ad nullum opus malum omninò consentit vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamvis ipsa moveatur concupiscentia, quæ alio modo peccati nomen accepit, quod ei consentire sit peccare, nobisque moveatur invitis; subtiliter quidem ista discernit, sed videat, quid agatur de Oratione Dominica, ubi dicimus. Dimitte nobis debita nostra, quod, nisi fallor, non opus esset dicere, si nunquam vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione ejusdem peccati desideriis aliquantulum consentiremus, sed tantummodo dicendum esset. Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Sequentia iterùm brevitatis causâ omitto, lectori judicare docto pauca hæc exhibens, ut videat, num Bellarminus Augustini sententiam sine fuco & crimine falsi hic proposuerit, & quæ sancti Patris mens in hoc Fidei puncto fuerit; quamvis mirum esse non debeat, Bellarminum in hac sententiarum collatione non adeò magnam adhibuisse industriam, cùm alteram ex eis, & quam Augustino non potuit non adscribere, sacris literis non adeò conformem videri statuerit, aliam & alienam planè oraculi de dilectione Dei fingens explicationem, utut non erubuerit, per vim & obtorto quasi collo Augustinum hic quoque sibi vindicare, ex eo præprimis, quod non solùm in genere docuerit, *Deum nihil impossibile præcepisse*, sed & in specie de mandato dilectionis statuerit, *id grave non esse*, per quæ Bellarminus existimat, *Augustinum vel mutasse priorem sententiam, vel eam explicasse.* At cum larvis hic pugnat Bellarminus, dum quæ Augustinus de aliquali & comparativâ impletionis possibilitate & negatâ gravitate omnimodâ mandati dilectionis sano docuit sensu, Evangelicis absolutam possibilitatem & impletionis perfectionem negantibus voluit opposita, utpotè nullibi docentibus, Deum vel in primo ante lapsum statu aliquid impossibile homini præcepisse, vel legem Decalogicam nunc etiam post lapsum homini per Fidem justificato ita esse observatu impossibilem, ut non obedientiâ quâdam inchoatâ suam in dilectione Dei gratitudinem ope ejusdem adjutus possit exhibere, utut nunquam non ob adhærentes omni ex parte imperfectiones, ne in eo ullam quærat gloriam, sed semper Deo cor pœnitens sistat, ac quotidiè defectus peccaminosos humiliter deprecetur, quam-maximè obligatus. Ostendit id ipsum Augustinus ibidem loci, ad quem Bellarminus provocavit, nimirum circa finem libri de Naturâ & Gratiâ, uti cum notabili differentiâ suam de possibilitate impletionis Mandatorum Dei in genere, & in specie mandati Dilectionis sententiam exposuit, scribens: *Charitas inchoata est inchoata Justitia, Charitas provecta est provecta Justitia, Charitas magna est magna Justitia, Charitas perfecta est perfecta Justitia; sed Charitas de corde puro, & conscientia bona, & Fide non ficta, quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita, sed major, si non habet, quo crescat, cùm de mortali excesserit vita.* Quæ præterea Bellarminus ex Augustini Enarratione in Psalmum quinquagesimum & sextum vel juxta Ebræos septimum de possibilitate impletionis Præceptorum Dei adduxit, non in genere ad omnia pertinent utriusque Decalogi tabulæ de dilectione Dei & proximi Præcepta, sed ad illud in specie, quo fideles Christiani ad exemplum Christi jubentur suam pro fratribus animam ponere, de quo ita mox sub initium citatæ Enarrationis: *Fecit Ipse, quod docuit; fecerunt Apostoli, quod ab Illo didicerunt, & nobis faciendum prædicaverunt. Faciamus & nos, quia etsi non sumus, quod Ille, secundum id, quod creavit nos; quod Ille tamen sumus secundum id, quod factus est propter nos. Si solus fecisset, facere nemo nostrum deberet audere imitari; ita enim Ille homo erat, ut & Deus esset. Sed in eo, quod homo erat, imitati sunt servi Domi-*

Dominum & Discipuli Magistrum, & fecerunt, qui nos præcesserunt in familiâ Ejus, patres quidem nostri, sed tamen & conservi. Neq; imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret esse, ut hoc ab homine fieret. Si considerans infirmitatem tuam deficis sub Præcepto, confortare in Exemplo. Sed etiamsi exemplum ad te multum est, adest Ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium. Ad cætera Petri Martyris contra perfectionem Consiliorum argumenta Bellarminus ex Augustino parcus est, adeoque operâ faciliori expediendus.

Et ad argumentum quidem *secundum*, quo Christi Oraculum *de portæ angustiâ* & arctâ ad Vitam æternamque Beatitudinem viâ urgetur, nihil aliud ex Augustino potuit opponere, quàm quod in laudato proximè Libro de *Naturâ & Gratiâ* legitur scripsisse, *Omnia Charitati esse facilia*, quod ad modum hujus ævi intelligendum esse, ex eodem loco fuit indicatum. Matth. 7. cap. 69.

Ad tertium verò, quo operibus Supererogationis opponuntur defectus & quorumvis operum bonorum imperfectiones, quorum Respectu Psaltes Regius Deo supplex factus debitâ humilitate rogavit: *Ne intres in Iudicium cum Servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; dum Bellarminus ex Augustino & aliis Patribus respondet, *non quidem posse hominem justificari coram Deo, quia nemo sit, qui venialia non habeat peccata, ea tamen non impedire, quin homo justus sit, & multa faciat opera bona, etiam Supererogationis, cùm David non dicat, non justificabitur omne opus, sed omnis vivens*; grandem injuriam infert maximamque vim facit Sancto Doctori, ne verbulo mentionem operum Supererogationis hic facienti; id quod manifestum erit, si ipsa augusti Patris Verba videamus, quæ Bellarminus respexisse voluit videri: Ps. 143. De Perfect. Justit.

Hoc est, ne intres in Iudicium cum Servo tuo, noli me judicare secundum Te, qui es sine peccato, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quod de hâc Vitâ dictum sine difficili quæstione intelligitur; & quod ait, non justificabitur, ad illam Iustitiæ perfectionem retulit, quæ in hâc Vitâ non est. Id quod amplius in ipsâ hujus Psalmi Enarratione ostendit, Davidis humilitatem sequentibus verbis commendans: *Meritò iste humilis in corpore Christi, discens à capite, quoniam mitis est & humilis corde*, inquit, *Ne intres in Iudicium cum Servo tuo. Quare hoc? quare times? quia non justificabitur coram Te omnis vivens. Omnis vivens, hic utiq; vivens, in carne vivens, moriturus vivens, natus homo, ex hominibus vivens, de Adamo Adam vivens. Omnis itaq; vivens justificare fortè potest se coram se, non coram Te. Quomodo coram se? sibi placens, Tibi displicens. Coram Te autem non justificabitur omnis vivens. Noli ergò intrare mecum in Iudicium Domine, Deus meus. Quantumlibet rectus mihi videar, producis Tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, & pravus invenior.* Nihil quidquam hic Sanctus Pater de quali-quali etiam perfectione, multò minus de operibus Supererogationis, quin potius omnia juxta veram Regii Psaltis mentem ad significandam imperfectionem omnimodam dirigit, eos simul graviter accusans, qui suas coram DEO justitias commendare audent: *Qui sunt, inquit, qui cum DEO volunt intrare in Iudicium, nisi qui ignorantes DEI Iustitiam, suam volunt constituere?* *Contra quos etiam graviter invehentem DEum introducit: Quid vultis mecum in Iudicio contendere & vestras commemorare Iustitias? Commemorate vestras Iustitias, Ego novi facinora vestra. Quomodo Iustitiam adprobabo, ubi damnabo Superbiam?* Addantur cætera, & adparebit, Bellarminum Augustini mentem minus sincerè Lectori proposuisse, eam Davidis verborum explicationem ex augusti Doctoris Sententiâ exhibens, cui Ipsemet soli fidere ausus non est, obque id ipsum aliam ex *Arnobio, Hilario, Hieronymo & Euthymio* adduxit, quæ ipsissima tamen Augustini etiam est, per omnia conveniens cum eâ, quam vidimus, & necquidquam proposito Bellarmini inserviens, aut Evangelicorum Sententiæ contraria, quod Bellarminus videre pro nimio contradicendi studio non potuit. In sequentibus argumentis *Petri Martyris*, ad quæ Bellarminus respondere conatus est, Augustini nomen tacetur, usque ad ultima duo, ubi dum in tertio post decimum arguitur, *non carere Superbiâ & arrogantiâ, ut homo dicat, se plus facere, quàm teneatur, & CHRISTO fieri injuriam non vulgarem, utpote qui frustra dici possit mortuus, si homo legem valuisset præstare, aut plus efficere, quàm in illâ fuerit præceptum*; respondet Bellarminus, *istam Superbiam non timuisse illas Virgines, quæ Augustino teste & interprete ad Christum dixerunt, Amando te plus facimus, quam præcipis.* Serm. 13. de Verb. Apost. Sed suprà jam fuit ostensum, Augustini hæc nomine Virginum verba niti Oraculo Apostoli de Consilio nimis quàm par est, & mens Authoris concedit, extenso, quod præsenti argumento nullo planè modo facere potest satis, aut omninò illud enervare.

In ultimo, videlicet post decimum quarto contra Consiliorum perfectionem argumento dicitur, *Nolle DEum plus amare, si plus possis, gravissimum esse peccatum; nihil ergò posse superaddi, quod non debeas. Et probari antecedens non solùm indè, quod, qui non vult DEum amare, quantum potest, videatur negare, DEum esse Summum Bonum; sed & abutatur DEI dono qui plus diligere potest & non vult, cùm plus diligere sine dubio DEI donum sit.* Ad posterius respondet Bellarminus, *illum abuti dono DEI, qui eo non utitur, quando est necessarium; qui autem paratus sit eo uti, si necessarium sit, etiamsi nunquam fortasse utatur, non dici eo abuti.* Ne autem hoc frustra videatur & de suo dixisse, præter tritum Apostoli in hâc Quæstione Oraculum, Augustinum laudat testem, de Abrahamo Patriarchâ & Johanne Apostolo in comparatione Eorum notanter monentem, *Illum habuisse donum Continentiæ non minus, quàm hunc, ita ut potuerit semper continere, & tamen nunquam continuisse, ne in extremâ quidem Senectute, & hunc habuisse donum patiendi Martyrium, non minus, quam Petrum, & tamen non exercuisse illud.* At non ferit Scopum id, quod de Abrahamo & Johanne ex Augustini Sententiâ respondet Bellarminus, cùm donum continendi & patiendi Martyrium res sit non omnium temporum, locorum & personarum, sicut debitum amandi DEUM ex toto corde, ad quod nullus hominum nullo non loco & tempore non obligatur, nisi obtineat illa novorum quorundam *Moralistarum* doctrina, quibus in rigore loquendo videtur, *quod homo non teneatur unquam per totam vitam suam elicere actum amoris Dei*, quam tamen non solùm Facultas Theologica *Lovanienſis*, ad Requisitionem Episcopi Gandavensis, cum pluribus aliis similibus ante Annos non ita multos improbavit, & suis sigillatim Censuris perstrinxit, referente *Sinnichio* & testante, eundem Articulum æquivalenter saltem à *Tamburino* tradi, plurimaque ex Augustino & aliis Patribus colligente testimonia, huic inauditæ antehàc Doctrinæ omninò contraria; sed & ipse Pontifex *Alexander* ordine & numero septimus paulò ante finem Vitæ & Regiminis, horum & Sorbonistarum Parisiensium exemplo monitus, adeoque non *motu proprio*, quæ aliàs Bullarum Pontificalium solennis est formula, gladio tanquam nodum aliquem gordium dissecuit, ac Constitutione super id editâ publicè inposterum doceri prohibuit, ut ex Adpendice *Thomæ del-Bene*, Clerici Regularis, ad opus de Officio Sacerrimæ Inquisitionis circa hæresin constat, cujus Constitutionis primam partem, in quâ hic articulus primum occupat locum, *Voluſius* quoque, præter & post alios, tertiæ parti Castigationis acatholicæ contra *Maresium* adjunxit, ut Germani etiam de novâ hâc *Theologiâ Morali* aliquod habeant Specimen, *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* ibi, ubi de Sanctitate Ecclesiæ tanquam singulari Nota agitur, non pauca ejus documenta exhibentibus.

De Bono Conjug. cap. 21.

in Saule Ex-Rege, lib. I. cap. 102. num. 382. seqq. conf. Amad. Guim. opusc. pag. m. 130. seqq. vid. etiam Andr. de Mendo, in Stat. Dissert. 1. Quæst. 15. pag. 38. seqq.

CAPUT DECIMUM SEXTUM, & seqq.

De

Votorum quidditate & differentiâ.

Quæ de Votorum natura aliàs in genere solent moneri, nullum hic locum habent, nobis in ea tantum re occupatis, quæ Augustini authoritatem contra impertinentes utplurimùm allegationes vindicandam respicit & requirit. Et quia Bellarminus probare satagit, *omne quod fit ex Voto, etiamsi à DEO non sit præceptum, verè & propriè DEI cultum esse*; & quidem Augustini authoritate, videndum est, an res ita se habeat. Argumentatur Bellarminus, ut hanc Propositionem firmet, inter alia etiam à minori ad majus, sequentem in modum: *Omni actu Virtutis, etiam non præcepto, nec ex Voto, sed tamen propter DEum facto, colitur DEus; ergò multo majus* (rectius, magis) *si is actus fiat ex Voto, Deus eo coletur.* Antecedens præter aliqua Scripturæ & quorundam Patrum dicta ex Augustini duobus testimoniis probat, quorum priore legitur monuisse, *ne CHRISTO ulla subtrahatur oblatio*, posteriore autem, omne opus bonum, factum propter DEUM, vocasse Sacrificium, certumque sit, *Sacrificium propriè DEI cultum esse.* Non agam hic contra nimiam Propositionis Bellarminianæ generalitatem, non contra argumentationem ejus Instantiis pluribus obnoxiam, ac inconsequentem, quam nectit, consequentiam, nemini facilè perviam; Illud saltem ostendendum venit, Augustinum impertinenter hic laudari. Quod ad prius, etsi illud omninò removere liceret, utpote

De Bono Viduit. cap. 9. lib. 10. de Civit. Dei. cap. 6.

ex

ex eo desumtum libro, quem non Augustinum, sed Julianum quendam Sectatorem Pelagii agnoscere patrem, *Hosii* Cardinalis authoritate *Mendozam* Concilii Illiberitani Vindicem & Illustratorem supra monuisse nondum dememinimus; quia tamen argumento Bellarmini parum aut nihil planè prodest, ut pleniori textu huc ponatur, non erit inconsultum. Hæc autem ibi extant: *Quoniam, sicut ait Dominus, non omnes capiunt Verbum hoc, quæ potest capere, capiat; quæ se non continet, nubat; quæ non cepit, deliberet; quæ adgressa est, perseveret. Nulla adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio.* Videat jam Lector, an hæc ad scopum demonstrationis Bellarminianæ ritè possint & legitimè adhiberi. Probare debuit antecedens, *quod nimirum omni actu Virtutis, etiam non præcepto, nec ex Voto, sed tamen propter Deum facto, colatur Deus*; ex his autem verbis probatur consequens, quod Voto continentiæ, quam sub nomine oblationis Christo factæ Augustinus intelligit, colatur Christus, neque ita facilè illud Votum sit infringendum. Ea præter demonstratio generalis requirit, ut liquidum fiat, *omni actu Virtutis propter Deum facto coli Deum*; ubi verò ad rem ipsam devenitur, probatio sit in specie de Voto Continentiæ, de quo ex Augustini Sententiâ jam supra dictum, & post etiam suo iterùm agetur loco. Sed forsitan posterius Augustini testimonium magis erit idoneum, quod ita habet: *Verum Sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sanctâ Societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum Boni finem, quo veraciter beati esse possimus.* Videri possent hæc verba Instituto Bellarmini inservire, si superficialiter tantum & cursoriè legantur; sed si trutinâ ponderentur accuratiori, aliam omninò induent faciem. Tantum enim abest, ut Augustinus omni bono operi propter Deum facto, quamvis, quod Bellarminiana Propositio expressè habet, *à Deo non præcepto*, nomen & Elogium Sacrificii adscribat, ut potius illud, nimirum præcepti rationem, satis clarè & omnibus modis in Sacrificiis requirat. Non enim id solùm insinuat, dum finis ultimi mentionem facit, quo homines verè beati erunt, utpotè significans, quâ ratione hic finis ultimus à Deo revelatus est, eâ etiam revelata esse media ad illum finem ducentia, & per quæ ad promissam Beatitudinem ordine divinitùs præscripto licet pervenire; sed & in specie ad Pauli authoritatem provocat, non uno in loco docentis, qualia esse deceat hæc Sacrificia & opera bona, ut Deo possint placere, videlicet, *ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma Justitiæ Deo, ut exhibeamus corpora nostra hostiam vivam, Sanctam, Deo placentem, & ne conformemur huic Seculo, sed reformemur in novitate mentis nostræ, ad probandum, quæ sit Voluntas Dei* &c. quo ipso augustissimus Doctor ad mentem doctissimi Apostolorum ostendit, in censum operum verè bonorum & Sacrificiorum Deo placentium non venire, nisi quæ voluntati Divinæ sunt conformia, eaque omnia eliminari, quæ expresso Dei mandato destituuntur, quamcunque etiam coram hominibus, externa tantum & utplurimùm respicientibus, speciem habeant, & propter Deum facta, adque majorem (cur non maximam?) Dei gloriam directa dicantur. Ut adeò Bellarminus malè iterum habuerit Augustinum, talem Ei Sententiam adfingens, quæ claris expressè verbis adversatur, & contra quam Ille ex Apostolo egit apertissimè, ita ut apertius non potuerit. Rom. 6. & 12.

Eam quod nunc attinet Quæstionem, quam in sequentibus tractat Bellarminus, *an Vota Judæorum in V. T. fuerint propria, an verò Christianis etiam in Novo sint communia?* nos sibi adeò rigorosos non habet adversarios, quod Ipsemet agnoscit. Utut enim non ita incommodè judicare videantur, qui rationem Votorum ex Veteris Testamenti Libris deducere solent, eaque Prophetarum vaticinia, qui aliquam Novo etiam adscribunt Votorum consuetudinem, eo Scriptorum utriusque Testamenti more intelligenda esse censent, quo internus & spiritualis Christianorum cultus Deo debitus per externas Judæorum ceremonias ad tempus certum duraturas describitur, cujus rei plura alibi exhibentur Exempla, interque ea etiam Vota non immeritò referuntur, quorum aliqua specie-tenùs mentio in Actis Apostolorum legitur, ante plenariam rituum Judaicorum abolitionem ex Evangelicâ libertate adhuc observatorum; non tamen planè omnem Votorum in Novo Testamento usum esse sublatum, nullamque omninò Vota faciendi libertatem Christianis supereſſe amplius statuendum est, quamvis singulari moderamine hic opus sit, ne plus adscribatur talibus Votis, quàm par est & justum, neque etiam libertas eorum in aliquod jugum intolerabile transeat, ipsamque eorum libertatem tollat. Atque ita posset Quæstio hæc prætermitti, utpote extra Controversiam utrinque posita. Verùm quia authoritas Augustini in ejus ventilatione à Bellarmino, & ex eo quidem loco, unde in sequenti Quæstione de Voto Baptismali

commendatur, ex unâ quasi fideliâ duos dealbare licebit parietes, remque totam in breve compendium redigere. Et quidem ut Bellarminus suo satis ex asse faciat proposito, ac Votorum communem Christianis pariter atque Judæis usum ostendat, Augustinum laudat testem, Interpretem videlicet illius Oraculi Davidici, quo Psaltes Regius tempore Veteris Testamenti cunctos verè fideles est adhortatus, *Vovete, & reddite Domino Deo vestro* &c. utpotè quæ non Judæis tantùm, sed Christianis etiam dicta sint. Accedit, quod licet in Ecclesiâ Christi pòst plenam Evangelii promulgationem cessaverit Circumcisio, Sacrificia Boum & Ovium, atque alia id genus, Vota tamen nunquam cessaverint, Augustino iterum in Psalmi proximè laudati Enarratione id apertè satis confirmante, de variis Christianorum suo tempore Votis hunc in modum scribente: *Alius vovet Deo castitatem conjugalem, ut præter uxorem non noverit aliam. Alii etiam vovent, etsi tale Conjugium experti, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiscere aut sustinere, & ipsi voverunt aliquid majus, quàm ille. Alii virginitatem ipsam ab ineunte ætate vovent, ut nihil tale vel experiantur, quale illi sunt experti & reliquerunt, & isti voverunt plurimum. Alii vovent domum suam esse hospitalem omnibus Sanctis advenientibus, & magnum vovent Votum. Alius vovet omnia relinquere sua, pauperibus ea distribuendo, & in communem ire vitam, in societatem Sanctorum, & is magnum vovit Votum.* Benè est, agnoscimus hæc Augustinum scripsisse de Christianis suo tempore voventibus, ac varietatem Votorum ita descripsisse. Sed alia & plura ibidem habet Sanctus Pater, quæ forsitan Bellarmino non placebunt, de Voto inprimis Baptismali, quod tamen propriè Votum esse, agnoscere detrectat. Verba augustissimi Doctoris hæc sunt: *Vovete & reddite Domino DEO vestro omnes communiter. Quid debemus vovere? Credere in Illum, sperare ab Illo vitam æternam, benè vivere secundum communem modum. Est enim quidam modus communis omnibus, furtum non facere, adulterium non facere, non amare vinolentiam, non superbire, hominem non occidere, non odisse fratrem, non adversus aliquem texere perniciem. Hoc totum omnes vovere debemus.* Sunt autem hæc talia, quæ Voti Baptismalis rationem in se continent, ad quæ nemo Christianus per totum Vitæ in hoc Seculo cursum absque ulteriori etiam Voto non obligatus est. Quid ad hæc Bellarminus? Respondet, *accipere Augustinum hic loci nomen Voti largo & communi modo, ut non solùm comprehendat Vota propriè dicta, sed etiam quamlibet promissionem aliam, quamvis talis acceptio Voti non facilè in Scripturis inveniatur.* Verùm sui iterum immemor hæc scripsit Bellarminus. Ubi enim paulò ante ex Augustino voluit ostendere, communem esse Judæis & Christianis usum Votorum, ad Regii Psaltis non solùm provocavit Oraculum, sed & simul ad explicationem ab Augustino factam, quæ tamen ipsius Voti Baptismalis rationem clarissimè exhibet, quasi Psaltes regius hocce suo monito Votum illud novi Fœderis prævidisset & illius rationem fidelibus Christianis præsignificasset, Spiritu nimirum Prophetico præditus, qui & aliàs non semel ad hæc tempora respexit. Præter id, si Augustinus ad mentem Bellarmini nomine Voti largo & communi modo est usus, ubi de Voto Baptismali, item de Voto castitatis conjugalis, ut & de Voto hospitalitatis Christianæ egit, varia suo tempore Christianorum Vota describens, eodem modo usus est hoc nomine, Votum castitatis & vidualis & Virginalis explicans, cùm utrorumque rationem eodem exhibuerit contextu.

Psal. 75. vel 76.

CAPVT VIGESIMVM,

De

Voto Paupertatis Voluntariæ.

ID ut omni modo & ratione commendet, partim ex Sacris Literis, partim ex Scriptoribus Ecclesiasticis testimonia colligit Bellarminus, nobis vestigia Ejus presso pede observantibus. Et è Sacris quidem literis primum occupat locum illud paupertatis Elogium, quo CHRISTUS beatos prædicat *pauperes Spiritu*, quoniam ipsorum sit Regnum Cœlorum. Ut hoc Oraculum non ita manifestè ad se pertinens, sed potius sibi contrarium, suæ tamen Sententiæ faciat favere Bellarminus, quinque comminiscitur ejusdem Expositiones, entia præter necessitatem multiplicans, dum præter alios Interpretes *Iansenius Gandavensis*, & *Conzenius* ternario fuerint contenti. Has inter secundam pòst *Chrysostomum* adscribit Augustino, *per Pauperes Spiritu intelligendo humiles*, hoc suum de eâ inter-

Matth. V.

lib. I. de Serm. Domini in Monte.

interponens judicium, *quod vera quidem sit hæc Expositio, sed non primariò intenta.* Posset id eomet ipso nobis sufficere, quod Bellarminus ultrò debuit agnoscere, Augustinum in Oraculi hujus Expositione non à suis stare partibus. Sed aperienda simul etiam est fraudis Bellarminianæ occultatio, quâ unum modò Augustini locum commendans, alios tacuit, quibus aliquantò apertius hoc Christi Oraculum illustrasse legitur, quos operæ pretium est accuratius ponderare. Et quidem in Enarratione Psalmi post septuagesimum tertii, vel juxta Ebræos quarti, sequentia de his pauperibus Evangelicis notavit: *Qui sunt pauperes Spiritu? Humiles, trementes verba Dei, confitentes peccata sua, non de suis meritis, nec de suâ Justitiâ præsumentes. Qui sunt pauperes Spiritu? Qui, quando faciunt aliquid boni, Deum laudant; quando mali, se accusant.* In Sermone decimo post centesimum de Tempore, ubi hujus oraculi occasione non pauca ex aliis Scripturæ testimoniis ad ejus illustrationem contulisset, Exempla etiam eorum commendans, qui verè pauperes Spiritu fuerint, de Abrahamo Patriarchâ commendatissimo hæc notanter adjecit: *Lege, aut, si legere non potes, audi, cùm legitur, & vide, Abraham opulentissimum fuisse in terrâ, Auro, argento, familiâ, pecore, possessione; & tamen dives iste pauper fuit, quia humilis fuit. Humilis autem fuit, credidit Abraham Deo, & deputatum est illi ad Justitiam. Justificatus est gratiâ Dei, non præsumtione propriâ. Fidelis erat, benè operabatur, Filium jussus est immolare, neq; cunctatus est Ei offerre, quod acceperat, à quo acceperat. Probatus est DEO, constitutus est Exemplum Fidei. Iam Deo notus erat, sed nobis monstrandus erat. Nonne est inflatus, quasi in operibus bonis, quia pauper erat dives iste. Et ut scias, quia non est inflatus, tanquam in bonis operibus suis, (sciebat enim, quia quidquid habebat, à Deo habebat; & non in semetipso, sed in Domino gloriabatur:) audi Paulum Apostolum: Si Abraham ex operibus est justificatus, habet gloriam, sed non ad Deum.* Ad hanc pauperum Spiritu classem pertinet, quem idem Doctor augustus, ejusdem Oraculi respectu, alibi egregiè commendavit: *Hâc paupertate etiam beatus Iob pauper fuit, & ante, quàm magnas illas terrenas amisisset divitias.* in Psal. 31 Addit Sanctus Pater insigni cum observatione: *Quod ideò commemorandum putavi, quoniam sunt quidam, qui facilius omnia sua pauperibus distribuunt, quàm ipsi pauperes Dei fiant. Inflati sunt enim jactantiâ, quâ putant, sibi esse tribuendum, non gratiæ Dei, quod benè vivunt; & ideò jam nec benè vivunt, quantacunq; bona facere videantur opera. De suo quippè habere se putant, & gloriantur, quasi non acceperint; divites sui, non pauperes Dei, abundantes sibi, non egentes Deo.* Dissimulavit hæc loca singulari studio Bellarminus, ne mens Augustini satis manifesta pateret, atque Lector eò magis ab eâ abduceretur. Silentio etiam ea prætermisit *Conzenius*, ejus tantum loci mentionem faciens, quem Bellarminus suppeditavit, hoc tamen cum additamento, Augustinum alibi *propriè pauperes* intelligere, in eum finem tria citans loca, quæ breviter examinabimus. Et primus quidem locus est delumtus è secundo Quæstionum Evangelicarum Libro, ubi de hoc Oraculo sequentia leguntur: *Divitibus, quos Christus alibi Camelo per foramen acûs transeunti comparat, contrarii sunt pauperes Spiritu, quorum est Regnum Cœlorum. Nam eo manifestatur, omnes cupidos, etiamsi facultatibus hujus Mundi careant, ad hoc genus divitum, quod est reprehensum, pertinere, quia posteà dixerunt, qui audiebant, & quis poterit salvus fieri? cùm incomparabiliter major turba sit pauperum.* Quæst. 47 Oportet omninò *Conzenium* non inspecto aut ritè ponderato Textu contra omnem rationem de mente Augustini judicasse, cùm ratio oppositorum clarè ostendat, quod, sicut nomine divitum hic propriè non veniunt majorum facultatum possessores, sed qui cupidine divitiarum aguntur; Ita pauperes etiam hic propriè non dicantur, qui Bonis Mundi hujus carent, sed qui nullo eorum tenentur desiderio, eomet ipso significantes, quod ad altiora longè & sublimiora adspirent, omnium rerum terrenarum contemtores, verè pauperes Dei, in quem solum & unum confidere, pro summis & maximis æstimant divitiis. *Secundus* in libro contra Adimantum Manichæi Discipulum locus extat, hoc verborum tenore: *Vbi scriptum est, Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum; ibi sequitur, Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram. Ecce, amicos Dei hæreditate terræ divites fieri.* cap. 19. Ubi dum Augustinus pauperes Spiritu similes iis esse dicit, quos Christus mites prædicavit, illud ipsum voluit inculcare, quod locis ante laudatis scripsit, per pauperes Spiritu intelligens humiles, cùm qui humiles sunt, mites etiam esse soleant, & versâ vice mites humilitatis sint studiosi. *Tertius* ex opere contra Faustum Manichæum locus laudatur, in cujus libro ordine quarto, etsi ex mente Fausti mentio fiat prædicati, pollicitationis nimirum Regni Cœlorum, ad quam Augustinus etiam prolixè respondet, subjecti tamen, videlicet pauperum Spiritu, nulla in hâc quidem tractatione habita fuit ratio, cap. 1, & 2.

ut adeò *Conzenius* & hic aliis invisa observaverit. Posito autem, quod Augustinus vel hic vel alibi per Pauperes Spiritu intellexerit verè & propriè pauperes, utut nullum ex tam multis Ejus Scriptis hactenus potuerit ostendi testimonium, quod hunc commendet Sensum, videlicet literalem & primariò intentum à CHRISTO, Bellarmino id etiam quasi rem omninò necessariam requirente; multis tamen adhuc opus erit, ut per hunc de verè & propriè Pauperibus Sensum Voto Paupertatis voluntariæ id accedere demonstretur, quod Bellarminus suscepit demonstrandum. Sed ut eò deveniamus, necessum non est, cùm, quidquid de *Conzenio* sit, quem malè Augustinum citasse vidimus, Bellarminus, quocum nobis ante alios omnes nunc res est, Ejus authoritate in hujus Oraculi Sensu se destitui fateatur, ne augusti Doctoris hujus consensum nobis largiri invitus etiam cogatur. Et hæc Sancti Patris de pauperibus Spiritu sententia adeò est clara, ut multos, non solùm antiquorum Ecclesiæ Doctorum, sed & recentiorum Scripturæ Interpretum, & quidem ex ordine Papæorum, traxerit ad consensum, quorum unum & alterum in gratiam Augustini contra Bellarminum & sequaces audire juvat. *Iacobus* certè *Faber* Stapulensis, ejus Scriptor temporis, quo Lutherus diu desideratum Ecclesiasticæ Reformationis negotium Deo clementer adspirante suscepit, etsi multa scripsit, ob quæ suis quam-maximè fuit invisus, & quæ Censores Hispani in suis Indicibus numero ferè innumero expungenda judicârunt; quæ tamen ex Augustini mente ad hoc Christi Oraculum de pauperibus Spiritu monuit, neque citati Censores Hispani notârunt, neque etiam *Natalis Beda*, rigorosissimus aliàs Antagonista, Propositionibus à se refutatis adnumeravit, sed utrique Silentio hocce suo non obscurè adprobaverunt. Sunt autem hæc sequentia: *Pauperes corpore sunt, qui se norunt nihil habere, quod ad necessitatem corporis pertineat, nisi ab alio, sed cognoscunt se verè mendicos, & ex se omnium Bonorum corporalium prorsus egentes. Pauperes autem spiritu sunt, qui intelligunt, se nihil habere, quod spectet ad mentem, nisi ab alio, sed agnoscunt se verè mendicos, & ex se omnium Bonorum spiritualium egentes; & absquo ullâ proportione magis se humiliant ante DEum, qui dives est in omnes, & implet omnem spiritum, quàm pauperes corpore ante Divitem terrenum. Et hæc paupertas & mendicitas spiritûs est profundissima humilitas & sui ipsius ante DEum (ut sic dicam) nihilitas animo concepta, nihil prorsus sibi tribuens, sed omnia in DEum referens, cujus hæc sunt Bona.* Nescio, an melius Augustini mens potuerit exprimi, quàm per expressam hanc inter pauperes corpore & spiritu distinctionem. *Iohannes Gagnæus*, Parisiensis superiori itidem Seculo Theologus, etsi in suis ad hunc locum Scholiis Augustini explicationem non per omnia sequatur, nihil tamen de Voto Paupertatis voluntariæ habet, ita scribens: *Pauperes spiritu*, id est, *qui adflicto & contrito corde sunt atq; animo. Quia tamen non omnes, qui adflicto sunt animo, beati sunt, melius est, ut dicamus pauperes Spiritu, qui sunt Studio ac Voluntate tales, qui Paupertatem & adflictionem non ægrè aut iniquè propter DEum, ferunt, vel quia in humilitate primum, deindè in luctâ malorumq; tolerantiâ, ac cæteris, quæ hic describuntur.* **Esthius** in Annotationibus suis, utut de hâc Augustini Explicatione nihil habet, expressè tamen contra Bellarmini Sententiam scribit: *Quidam pauperes Spiritu solos eos interpretantur, qui propositum Paupertatis Voto firmârunt; sed non rectè. Virtutes enim eas hic commendat Christus, quas ab omnibus exigit Christianis, ut sunt, esse mitem, pacificum, corde mundum* &c. Deindè, *nec* NB. *Abraham, nec David, nec B. Maria, nec Christus ipse fuissent hoc modo pauperes Spiritu, quia Paupertatem non voverunt.* Et ut ad antecedens adhuc semel Seculum regrediar, *Thomas de Vio, Cajetanus*, visus quidem est pauperes Sensu proprio intelligere de iis, *qui à suis rebus ceciderunt in necessitatem mendicandi*, expressè tamen & is Bellarmini Sententiæ contrarium se exhibuit, scribens: *Non dicit CHRISTVS, Beati pauperes seu mendici statu*, hoc est, *professione Paupertatis, quales sunt religiosi tria professentes Vota, sed dicit, Beati pauperes seu mendici Spiritu, quoniam pauperes seu mendici statu multi sunt, qui nolunt sibi aliquid deesse; statum Paupertatis profitentur, sed spiritum paupertatis non habent.* Postquam verò triplicem Quæstionem ad meliorem hujus Oraculi intellectum formavit, ad secundam hæc porrò contra Bellarminum notavit: *Paupertas ex Spiritu lætissima est, & expeditum reddens hominem ab omni sollicitudine, quoniam certum reddit, quod DEVS curam sui gerit; & hoc Experientia in multis Viris Sanctis monstravit, quamvis impossibile aut difficillimum sit, Collegium aliquod constare ex omnibus hominibus tantæ perfectionis. Vndè Dominus beatitudines, quæ sunt perfectiones singulorum, non perfectiones Collegiorum tractat hic. De Collegiis enim adparet verificari, quod*

non

non possunt durare sine temporalibus, propter minorem multorum perfectionem. Ad tertiam hæc habet: *Dicitur, quod IESVS non fuit mendicus, quia nunquam legitur petiisse, nisi à Samaritanâ potum aquæ, quod constat, non propriè esse mendicare, cùm hoc cuilibet majori possit accidere; sed fuit in paupertate mendicorum, quia nihil omninò habuit proprium, nisi Vestes, ex quo cœpit prædicare, juxta illud, Vulpes habent foveas &c. Vivebat autem non ex mendicatis rebus, sed ex oblatis à personis devotis. Neque hic beatificat mendicos, ut nominantur ab actu mendicandi, sed à paupertate mendicorum, quod scilicet non habent, undè vivant de suo.* Ultima hæc Cajetani ita malè *Catharinum*, ejusdem ordinis hominem, habuisse testatur *Sixtus Senensis*, ejusdem cum utroque Instituti Scriptor, ut Eum in secundo Annotationum contra eundem ex professo Scriptarum libro, *acri & prolixâ digressione* incesserit, adstruens, *ea mendicantium religionibus summam inferre injuriam, & Sanctorum Doctrinæ Ecclesiasticisque Decretis ex diametro adversari; Imò hanc Cajetani Sententiam fuisse olim ab Ecclesiâ damnatam in Guilielmo de Sancto Amore, qui primus in odium mendicantium Monachorum docuerit, neque CHRISTVM, neque Apostolos unquam mendicasse.* Bibl. S. lib 6. Annot. 18

Et tamen Caramuel testatur, hoc non obstante hanc Cajetani Sententiam secutos *Bartholomæum de Medin*, & Alphonsum de Castro, addens, *argumentum VValdensis, qui contrariam ex quarto Iohannis capite Sententiam conatus est adstruere, non efficax videri, atque Augustinum de ea re loqui dubitativè, neque etiam probari, quod VValdensis hanc Cajetani Sententiam dicat hæreticam, Scripturæ Sacræ & Patrum doctrinæ contrariam, nisi forsan intelligat, quod ideò CHRISTVM mendicasse neget Sententia opposita, quasi mendicitatem Christus vitârit ut malam.* Theol. regul. Tom. I. pag. 114. & 115. Edit. ult.

Hæc de Cajetano adducere placuit, quia Bellarminus Eum inter suæ opinionis adsecias numeravit, ut &, quod adhuc addendum est, *Iansenium Gandavensem*, qui itidem Bellarmino propius accedere videtur, quamvis Augustini Sententiam simul stare posse existimans, his verbis: *Quamvis in hâc Beatitudine commendetur primò & principaliter voluntaria Paupertas pro CHRISTO susceptа, simul tamen rectè etiam intelligitur ex consequenti Virtus Humilitatis commendari, quam primò & ad literam hic significari intelligit Augustinus, ob id maximè, ut adparet, ut in prima Beatitudine accipiatur commendari ea Virtus, quæ omnium Virtutum est fundamentum, quomodo & intellexit Theophylactus post Chrysostomum. Atque hæc videri potest ratio, quare Hieronymus in Commentariis utramque Interpretationem videatur miscuisse, & quâ intelligitur hic significari voluntaria Paupertas, & quâ intelligitur animi Humilitas.* Concord. Evang. cap. 39. pag. m. 267.

Sed hæc amplius jam non urgentur, quia ipse Bellarminus hunc in modum Augustini Sententiam aliquatenus cum suâ studuit conferre, quæ tamen Sententiarum mixtio an ad mentem CHRISTI fiat, hicque locum possit habere, novâ discussione opus habet, quæ hujus loci non est.

Nunc quod attinet *secundum* pro voluntariæ Paupertatis Voto testimonium, idque duplex, quo partim CHRISTUS Juveni Pharisaico venditionem omnium Bonorum imposuit, partim Apostolorum nomine Petrus legitur dixisse, se omnia reliquisse & CHRISTUM esse secutos; quia de utroque paulò ante ex Augustini Sententiâ fuit actum, tædiosâ repetitione bonâ cum Lectoris veniâ licet supersedere. Matth. 19.

Ad tertium de Christianorum sub initium Ecclesiæ Novi Testamenti communione testimonium, atque *Augustini* ex Sermone primo *de communi Vitâ Clericorum* authoritatem suprà itidem aliqua observatio est facta. Act. 4.

Nunc ex laudato proximè *Cajetano* illud tantum addere placet, quod ad Verba Petri fraudulentam *Ananiæ* & Sapphiræ actionem arguentis optimè notavit: *Hinc clarè adparet, quod non Voti necessitate Christiani omnes tunc habebant omnia communia, liberâ charitatis perfectione; expresè siquidem duo dicuntur Ananiæ, quæ non fuissent vera, si Christiani omnes Voto obligati fuissent ad communitatem rerum. Primum enim dicitur, quod Ager manens tibi manebat, hoc est, antequàm venderetur, tuus erat. Deindè, quod etiam, postquam est venditus, in tuâ erat potestate illius pretium. Constat siquidem, quod neutrum horum fuisset verum, si Voto obligatus fuisset.* Mirum, neque *Catharinum*, quantum ex *Sixto Senensi* constat, neque citatos paulò ante Censores Hispanos hæc inter expurganda posuisse; id quod forteàn factum, vel omissum potius est, quia utrique hanc Christianorum laudatam Communionem nulli Voto, ad minimum tali non obnoxiam viderunt, quale à Cœnobitis hodiè requiri solet. Inde *Hofmeisterus*, Eremita Augustinianus, de citato *Actorum Apostolicorum* loco in Commentariis agens,

Voti rationem in hujus Instituti descriptione non quidem expressè excluſit, at neque eam expressè adseruit, notanter sequentibus suam exhibens mentem: *Quod aliqui hic vendunt domos & possessiones suas, non ex aliquo faciunt præcepto, nemo enim hoc illis jusserat*; (an ergò ex Voto, vel aliquo Perfectionis consilio? Non id adstruere audet Augustini ex ordine Discipulus;) *sed solâ dilectione fraternâ moti illud ipsum faciebant*. Et post aliqua: *Quid hinc discimus? Anne, quod nemo Christianus sit vel dici possit, nisi qui omnem Substantiam suam in usus pauperum distribuerit, & emendicato pane vixerit? Nequaquam hoc convinces ex aliquo Sacræ Scripturæ loco:* (An verò, quod, quicunque in Statu perfectiori præ aliis vivere desiderant, Voto paupertatis se adstringere teneantur? neque id indè confisus est elicere se posse Augustinianus Eremita;) *sed hoc videmus, quanta fuerit Charitas inter Christianos primitivæ Ecclesiæ, & discimus, ut horum exemplo fratribus indigentibus libenter de nostris facultatibus impartiamus; & si gloria DEI vel Ecclesiæ profectus postulaverit, docemur, etiam omnia, quæ possidemus, fratribus, imò & malitiæ impiorum relinquere.*

Posset hæc Cajetani & Hofmeisteri de communione Veterum Christianorum Sententia *quarto* etiam, utpotè parallelo satisfacere argumento, quod pro Paupertatis voluntariæ Voto ex eodem Actorum Apostolicorum libro Bellarminus adduxit, quod nimirum concernit fraudulentam *Ananiæ* & Sapphiræ actionem, à Petro & verbo & facto tenus justissimè simul & leverissimè castigatam: Verùm quia Augustini authoritate evincere contra *Cajetanum* conatur, intercessisse hic aliquod Votum, non largo & communi modo, sed propriè acceptum, an Bellarminus verè hoc adfirmârit, discipiendum est. Duobus autem militat Augustini testimoniis, de quibus in specie. Prius hæc exhibet verba: *Dum Ananias ex eo, quod promiserat, partem subtraxit, Sacrilegi simul condemnatur & fraudis.* Desumta sunt ex eo Sermone, quo ex professo rationem communionis Christianorum explicavit, plurima exhibente, quæ Instituto huic quam optime possunt inservire, adeoque hic non omittenda. Ita autem ibi legitur: *Legimus in libro, qui Apostolorum actibus adscribitur, tantam sub memoratis Viris devotionem plebis fuisse, ita populi Christiani floruisse primitias, ut post acceptam Fidem nemo domum propriam sibi defenderet, & nemo suum aliquid vendicaret, sed jure fraternitatis cuncta essent illis communia, scilicet, ut qui eodem religionis consortio tenebantur, eodem & vitæ fruerentur consortio, hoc est, ut quibus erat una Fides, una esset Substantia; & quibus erat communis Christus, communis esset & sumtus. Nefas enim putabant Viri religiosi, eum sibi participem non adsciscere in substantiâ, qui particeps erat in gratiâ; atq; ideò charitate fraternitatis omnibus communiter utebantur, quia major est fraternitas Christi quàm Sanguinis.* Putari posset, laudatos supra Interpretes *Cajetanum & Hofmeisterum* hæc Augustini verba ante oculos habuisse, dum suam de hoc Christianorum Instituto mentem planè eâdem ratione exhibuerunt, nullam Voti intercedentis mentionem facientes, imò satis expressè illud excludentes. Et ut ad Augustini Sermonem redeamus, ita in eo hæc Bonorum & facultatum inter Christianos sub primâ Apostolorum disciplina communio commendatur ab Augustino, ut nihil simile suo quidem tempore inter Christianos observatum fuisse agnoverit & deploraverit, scribens: *Hæc sub Apostolis fuit devotio plebis. Modò quid simile reperimus? Est certè Christus in nobis, idem quidem Christus in nobis, sed non idem animus in nobis; eadem plebis fides, sed non in plebe est ipsa largitio.* Hac non opus fuisset querela, si eandem Voti paupertatis inter Monachos, quam hujus Bonorum communionis rationem esse existimasset. Et quamvis in citatis à Bellarmino Verbis mentio fiat promissionis & Sacrilegii, non tamen omne promissum voti rationem habere, neque Sacrilegium circa eorum ablationem versari, quæ ex voto ad Ecclesiam pertinere dicuntur, notius est, quam ut prolixè demonstrari sit opus. Hoc tantum nunc ex abundanti addo, ad hunc Sermonem, ex quo tanquam Augustini Bellarminus primum pro Paupertatis Voto ex Actis Apostolorum demonstrando citavit testimonium, in Editione operum Augustini *Parisinâ* ante hoc Seculum procuratâ notari ad marginem, *haberi eum quoq; & his quidem inter Sermones Ambrosii*, ut adeò, quo is gaudeat Authore, exindè nondum sit omninò indubitatum. Posterioris ex Augustino testimonii ad demonstrandum *Ananiæ* & Sapphiræ Votum verba, quæ Bellarminus adducit, neque in decimo, neque in duodecimo Sermonum de Diversis, laudatæ modò Editionis *Parisinæ* leguntur, neque etiam si extarent ibi, magno essent usui, cùm partim exhibeant argumentum, ut videtur, à minori ad majus, nomenque Voti *largo & communiori modo* accipiatur, ut Bellarminus paulò ante de alio quodam Augustini loco scripsit; partim verborum Petri aliquam continebant

cap. V.

Serm. 27. de verb. Apost.

ant adplicationem ad Voti Continentiæ violatores vel violatrices, adeoq; non ita directè id velint, quod Bellarminus exindè voluit probare. Et notandum hic insuper est, fateri Caramuelem, *probabiliter adseri posse, Ananiam & Sapphiram non vovisse*, ut probabiliorem dicat Sententiam eorum, qui eos Paupertatem vovisse putant. quod dum evicisse se putat *Commentario in Regulam Benedicti*, inter alia Patrum testimonia ad illum Augustini locum provocans, quo talem Bonorum communionem in Ecclesiis Gentilium minimè observatam fuisse legitur, operæ erit pretium, Augustini mentem eâ de re uberius percipere, ut quid statuendum sit, eò manifestius Lectori Veritatis studioso adpareat. Negari certè non potest, legi hæc & talia apud Augustinum, qui expressè de fidelibus Christianis sub Apostolorum disciplinâ scripsit: *Qui crediderunt, ex quibus facta est prima Ecclesia Hierosolymitana, quia unum didicerant venerari Deum æternum, tam capaces exiterunt Spiritûs Sancti, ut omnia venderent sua, eorumq; pretium indigentibus distribuendum ante Apostolorum pedes ponerent, seq; totos Deo dedicarent tanquam Templum novum, cujus imagini terrenæ, hoc est, Templo veteri serviebant; non enim hoc ullas gentium Ecclesias fecisse scriptum est.* Quid verò ex hoc consequentiæ? Parum, aut planè nihil. Sed tamen aliquid inde *Caramuel* studet elicere, nimirum, id *ideò in Ecclesiâ solùm Hierosolymitanâ, peculiari quodam Spiritûs Sancti impulsu, factum existimare aliquos, ut Monasticæ Disciplinæ imitandum posteris exemplum relinqueretur.* Atqui hoc non dicit Augustinus, sed rem solam laude suâ & memoratu dignam Lectori exhibuit. In Editione Regularis Theologiæ *Lugdunensi*, ante paucos Annos, multis cum augmentis, nominatim Epistolis Regularibus factâ, hæc margini adscripta leguntur: *In Templis Ethnicorum nemo se Diis voto dicavit; hoc in Templo olim Hierosolymitano factum, & apud religiosos etiamnum fit.* Verùm non vidit judiciosissimus, ut videri vult, *Caramuel*, Augustinum hic loci agere de Ecclesiis gentilium, non quà gentilium, sed quà conversorum, ut descriptio eorum in contextu satis manifestè ostendit, dum Ecclesiæ ex Judæis collectæ, quoad laudatam in illo temporis articulo Bonorum communionem, præ Ecclesiâ postmodùm ex gentibus collectâ primas tribuit. Aliàs si in genere similitudinem Exempli hujus denegare omninò voluisset gentilibus, alibi sibimetipsi contrarius fuisset, nominatim in illustri opere *de Civitate Dei*, id in specie argumentum tractans, ut ostendat, *quàm alieni à jactantiâ esse debeant Christiani, si aliquid fecerint pro dilectione æternæ Patriæ, cum tanta Romani gesserint pro humanâ gloriâ & civitate terrenâ*, in cujus deductione hæc ad præsens Institutum pertinentia habet: *Quomodo se audebit extollere de voluntariâ paupertate Christianus, ut in hujus Vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam, quæ perducit ad Patriam, ubi veræ divitiæ ipse Deus est; cùm audiat vel legat, Lucium Valerium, qui in suo defunctus est Consulatu, usq; adeò fuisse pauperem, ut nummis à populo collatis Ejus sepultura curaretur; audiat vel legat, Quintium Cincinnatum, cùm quatuor jugera possideret, & ea suis manibus coleret, ab aratro esse abductum, ut Dictator fieret, major utiq; honore, quam Consul, victisq; hostibus ingentem gloriam consecutum, in eâdem paupertate mansisse? Aut quid se magnum feciisse prædicabit, qui nullo Mundi hujus præmio fuerit ab æternæ illius Patriæ societate seductus, cùm* Fabritium *didicerit tantis muneribus Pyrrhi Epirotarum Regis, promissâ etiam quartâ Regni parte, à Romanâ Civitate non potuisse divelli, ibique in suâ paupertate privatum manere voluisse. Nam illud, quod rempublicam, id est, rem populi, rem Patriæ, rem communem cùm haberent opulentissimam atque ditissimam, sic ipsi in suis domibus erant pauperes, ut quidam eorum, qui jam bis Consul fuisset, ex illo Senatu hominum pauperum pelleretur notatione censoriâ, quod decem pondo argenti in Vasis habere compertus est. Si ita iidem ipsi pauperes erant, quorum triumphis publicum ditabatur Aerarium; nonne omnes Christiani, qui excellentiore proposito divitias suas faciunt communes, secundum id, quod scriptum est in Actibus Apostolorum, ut distribuatur unicuique, sicut cuique opus est, & nemo dicat aliquid proprium, sed sint omnia illis communia &c. intelligunt, se nullâ ob hoc ventilari debere jactantiâ, id faciendo pro obtinendâ societate Angelorum, cùm penè aliquid tale illi fecerint pro conservanda Romanorum gloria?* Hæc quamvis prolixè, egregiè tamen Augustinus, quæ non impertinenter hic adducta esse, ob notam Votificum de Statûs sui perfectione jactantiam Lector judicabit. Cætera, quæ Bellarminus insuper ad confirmandum porrò voluntariæ Paupertatis Votum ex Augustino commendat, suprà jam fuêre examinata, neque iteratam requirunt operam, nisi eam perdere velimus, ad sequentia nunc impendendam.

Theol. Fund. Tom. III. P. 145.

Theol. Regul. Tom. I. P. 125.

lib. III. de Doctr. Christ. cap. 6.

lib. V. cap. 18.

CA-

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM,
De
Voto Obedientiæ.

AD illud ex authoritate Augustini comprobandum tribus utitur testimoniis Bellarminus, de quorum duobus postremis cùm supra itidem fuerit dictum, primum modò ad examen perbreve, id est, trium saltem verborum supereſt. Scripsit autem de Patribus Monasteriorum suo tempore Augustinus: *Hi nullâ Superbiâ consulunt iis, quos filios vocant, magnâ suâ in jubendo authoritate, magnâ illorum in obtemperando voluntate.* Benè est, lego in his verbis laudatam filiorum, id est, Monachorum erga Patres, qui hodiè Abbates, Prælati, Priores &c. audiunt, obedientiam, sed voluntariam, iis exhibitam, qui non rigorosè & ex solo nutu suo mandant, sed qui jubendo consulunt. Nulla mentio voti, multò minus obedientiæ illius cœcæ, quam in Cœlum usque à cœcis ductoribus, si non seductoribus hodie extolli audias, de quâ post alios plures non ante multum adeò tempus *Antiquitatum*, verius Novitatum *Monasticarum* Scriptor sequentia legi voluit: *Perfecta ac vera juxta* (Pseudo-) *Basilium obedientia in hoc adparet, si ad Superioris nutum non modò fugias inhonesta, sed etiam laudabilia omittas. Tametsi enim temperantia & corporis mortificatio sint utilia, si tamen ea ex proprio arbitrio exerceas, tanti non erunt, quanti merces est obedientiæ.* Et post aliqua: *Hoc mirum tibi videbitur, quod cum alias ante & retrò pleni oculis esse debeamus, in solâ obedientiâ cœcos nos esse oporteat.* Et iterum post quædam: *Hæc est obedientia cœca, per quam sine disquisitione ullâ parendum est, ut ait* (Pseudo-) *Basilius: quâ etiam securè nos credere debemus in Domino* (quonam?) *iis, qui curam nostri susceperunt, etiamsi quædam, ut Climacus docet, imperent, quæ contraria ac Saluti nostræ videantur adversa. Tunc enim fides nostra ad illos velut in fornace humilitatis comprobatur. Hoc est enim verissimæ fidei indicium, si contraria, quàm sperabamus, adspicientes præcipientibus absq; ulla hæsitatione obtemperemus.* Est aliàs Author hic in citandis ex Augustino testimoniis non ita parcus, ut non, ubicunque licet, Ejus consensu sua firmet, etiam ubi de Virtute obedientiæ in genere agendum fuit. Sed cœcam hanc Obedientiam ductor cœcus in *Augustini* Scriptis videre non potuit, ideò etiam in Elogio ejus nihil exindè desumtum adparet. Indicio illud est, tum temporis eam à Cœnobitis non fuisse requisitam, ad quem modum nec hodienùm ita eam rigorosè aut æqualiter ab omnibus observari, ex iis patebit, quæ per brevem Digressiunculam de ejus apud varios Ordines differenti, & non eâdem semper observatione è *Caramuelis* laudatâ paulò ante *Theologiâ Regulari* notabimus, ut & indè singulari documento constet, quantum non rarò facta à verbis distent, & quam non semper actiones cum jactatâ Perfectionis Regulâ conveniant.

Ita autem *Caramuel* variam variorum ordinum obedientiam ejusque rationem describens: *Hæc Virtus*, quæ à Statu Religioso non potest abesse, mirabiliter in diversis ordinibus variatur. Apud Societatem JESU universalissima & latissima obediendi lex est; nam in omni re, quæ peccatum non sit, obedire promittunt. Unde clarissimè cedunt jure sequendi opinionem probabilem dictamini Superioris oppositam; nam peccatum non est, Superiori obedire in materiâ probabiliter malâ. Sequuntur Patres Franciscani, qui regulæ obedire promittunt & se obstringunt moraliter, & sub culpâ lethali præceptis regulæ obedire tenentur. Multæ sunt Religiones, quæ Regulam Augustini observant, quarum Religiosi in solenni professione promittunt vivere secundum illam Regulam, obligando se ad Vota Solennia graviter, ad regulares verò observationes, quæ non clauduntur in præceptis Dei aut Ecclesiæ, pœnaliter, aut ad summam venialiter. Aliter religiosi, qui militant sub Regulâ Benedicti, qui non promittunt obedire Regulæ, non vivere secundum Regulam, sed obedire Prælato præcipienti secundum Regulam. Hinc est, quod si nihil præciperet Abbas, ad nihil teneretur Monachus. Sed hic casus impossibilis est. Nam Prælatus Monasterium gubernare tenetur. Et quia frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora, Regulam observare præcipit lege merè pœnali; additque morales in articulis & causis gravibus, in quibus leges pœnales non videntur sufficere, & tunc moralia hæc Superioris præcepta obligant secundum materiæ quantitatem. *In ipsis ad regulam Benedicti Commentariis de ratione hujus Obedientiæ ex professo & prolixissimè agens, duas exhibet Disputationes, in quibus materiam hanc per aliquot Resolutiones ad liquidum deduxisse videri voluit. Prior earum lemma habet* de rebus, quæ præcipiuntur propter se, *in quâ præ-*

Lib. I. de morib. Eccles. cap. 31.

Epist. 30. pag. 132.

Tom. II. Epist. II. pag. 24.

Theol. Regul. Tom. I. pag. 237. & seqq. edit. ult.

sup-

„ *supponit* benignam & probabilem Sententiam, nimirùm, Regulam neminem obstrin-
„ gere moraliter, ne quidem ad substantialia, qualia sunt, Castitas, Paupertas, Obedien-
„ tia. *Addit:* Licet ad illa graviter obligemur, non tamen gravis hæc obligatio oritur
„ à regulâ, sed à voto. Neque hoc est speciale in ordine Benedictino; nam & ordinis
„ Dominicani regula ex naturâ suâ non obligat ad mortale aut veniale. *Post Scriptorum*
„ *quorundam authoritatem hæc subjungit:* Hâc positione præmissâ addo, omnia illa, quæ
„ contenta in Regulâ, tametsi ante Abbatis præceptum non habeant, quod obligent
„ moraliter, posse tamen à Superiore præcipi, & tunc jam moraliter obligatura, graviter
„ aut leviter, secundum materiæ quantitatem; posse, inquam, à Superiore præcipi, &
„ hoc ipsum bifariàm, nimirùm, aut propter se, aut propter aliud. Illud dicitur præci-
„ pi propter se, quod jubetur ut finis, nempè cum jubetur absolutè. Illud jubetur, pro-
„ pter aliud, quod jubetur ut medium ad aliquem determinatum finem. Hæc præ-
„ cepta à multis confunduntur, quæ toto dissident Cœlo, & differentes postulant reso-
„ lutiones. *Illas dicit Sanctiones absolutas, has verò relativas. De illis sequentes ponit re-*
„ *solutiones: Prima est,* Prælato aliquid præcipienti contra Regulam nullus tenetur obe-
„ dire. Est certa, quoniam contra Regulam Abbas nullam habet authoritatem. *Se-*
„ *cunda,* Prælato præcipienti directè & per se aliquod bonum, sed extra Regulam, potest
„ Monachus obedire, sed non tenetur. *Tertia,* Abbati præcipienti aliquid secundum
„ Regulam Monachus tenetur obedire. Patet ex vi professionis. Non tamen ino-
„ bediens semper peccat mortaliter, sed pro quantitate materiæ; quia, qui in re parvâ
„ fuerit inobediens Prælato legitimè præcipienti, solùm peccabit venialiter. *Disputa-*
„ *tio posterior lemma habet* de rebus præceptis non propter se, sed propter aliud, *quas San-*
„ *ctiones paulò ante dixit relativas, de quibus statuit,* quod earum multæ, quæ ex vi Regu-
„ læ non subjacent authoritati Abbatis, reductivè possint subjacere; quia licet non re-
„ periantur in regulâ, possint ordinari tamen & conducere ad satisfaciendum ipsi Regu-
„ læ, atque ideò supponere oportere, Prælatum posse non solùm præcipere illa omnia,
„ quæ sunt in regulâ, sed illa etiam, quæ possunt conducere ad impletionem ipsius Re-
„ gulæ; & indè Prælatum posse non solùm præcipere Castitatem, sed & abstinentiam
„ quâcunque die, etiam Dominicâ, si prudenter judicaverit illam esse necessariam tali
„ subdito ad custodiam Castitatis. *Vt hâc de re suam porrò explicet mentem, sequentes po-*
„ *nit resolutiones. Prima est,* Omnia, quæ præcipiuntur propter aliud, si finis exprima-
„ tur, habent à fine speciem. *Secunda,* Nihil contra Regulam debet præcipi in ordine
„ ad impletionem præcepti regulæ. Patet, quia non sunt facienda mala, ut eveniant
„ bona. *Circa hanc Resolutionem sequens proponit Dubium omninò necessarium, ut putat:* ni-
„ mirùm, an Abbas contra Regulam possit aliquid præcipere in ordine ad observantiam
„ votorum aut charitatis? *Et in responsione vult* primò exactè examinari, an omninò
„ necessarium sit Regulæ materiam violari, ut Charitas conservetur. Nam si, *scribit*
„ *porrò,* illa materialis violatio necessaria non sit, cessabit dubium, resolvemusque liber-
„ rimè, irregulare illud præceptum imponi non posse. *Pergit,* si autem absolutè regu-
„ laris illa observantia opponatur Charitatis custodiæ, & ad illius observantiam condu-
„ cat omissio, adhuc inquiram, an conducat ad conservandam, an verò ad augendam
„ Charitatem? Si concurrat primo modo, certum omninò est, tale Abbatis præce-
„ ptum, nempè, inhibens actionem materialiter regularem, & tamen per accidens Cha-
„ ritatis destructivam, obligare graviter, licet irregulare videatur. Si concurrat modo
„ secundo, possemus dubitare & ambigere, an majoris faciendum illud augmentum
„ Charitatis, quod unâ die & per accidens poterat resultare, strictâ regulæ observantiâ,
„ quæ exponitur periculo, si subsit dispensationi & præcepto contrario? *Sequitur tertia*
„ *resolutio,* Quando Abbas jubet aliquid, quod est extra Regulam, sed in ordine ad ali-
„ ud, quod est in Regulâ, peccabit inobediens graviter aut leviter, secundum materiæ
„ quantitatem, non medii, sed finis. *Ad hanc Resolutionem obiter notat,* Prælatum, cùm
„ præcipit medium propter aliquem finem, non præcipere ipsum finem, neque entita-
„ tem absolutam medii, sed entitatem medii relativam, hoc est, ipsum medium, quà ta-
„ le. *Quarta,* quando Prælatus jubet aliquid, quod est in regulâ, propter aliud, quod
„ non est in regulâ, ad quod aliàs non teneris, poteris Ipsi non obedire. *Pro intellectu*
„ *hujus resolutionis subjungit:* Hæc adsertio non est practica, sed speculativa tantum-
„ modò. Possunt enim regularia præcipi propter se, & hoc modo præcipi præsumun-
„ tur; Et, si Abbas dicat, se præcipere rem Regularem propter irregularem, adhuc
„ manet eadem difficultas. Possunt enim & solent Prælati res regulares præcipere

pro-

„propter seipsas, & simul ob aliquam irregularem, quam ipsam ordinant ad Regula-
„rem. Ergò præscindendo à praxi, cui non potest hæc Adsertio servire, ut colamus
„Ingenium, fingamus hypothesin, in quâ rei regularis præceptæ finis adæquatus sit res
„non regularis aut etiam contra-regularis, & stando huic hypothesi suadebit Adsertio-
„nem. Ratio est manifestissima; medium enim totum est ad finem. Ergò sicut res
„irregularis est verè regularis, si ordinetur ad regularem, & teneris illam facere; sic res
„regularis fit irregularis, si velut ad finem adæquatum ordinetur ad aliam irregularem,
„non enim est major ratio unius, quam alterius. Nihilominus nemini suaderem in
„tali casu non obedire præcepto Prælati, primò, quia potest Prælatus habere duos in
„præcepto fines. Sufficit autem, alterum esse regularem, ut præceptum teneat: Et,
„non tenetur Prælatus fines suos exponere, & dum unum exprimit, possumus pruden-
„ter præsumere, illum habere simul alios excellentiores. Sed tenet Resolutio, quan-
„do Prælatus finem irregularem suo præfigit præcepto, & simul explicat, te non inten-
„dere alium finem, tunc, ut dixi, ex vi Voti non teneris obedire; deberes tamen, si in-
„dè sequerentur Scandala, quæ essent vitanda. Quod si non faceres, & sequerentur
„inconvenientia, peccares quidem non contra Votum obedientiæ, sed in genere illo-
„rum inconvenientium, quæ tuâ sequerentur culpâ; quæ, si benè considerentur, ali-
„quando etiam esse poterunt Scandala Recepta & non data. Cæterùm, qui obedit,
„securiorem sequetur partem. *Accedat Resolutio quinta,* Quando Abbas præcipit me-
„dium propter determinatum finem, licet quispiam delinquat contra finem, si non de-
„linquat contra medium, nihil facit contra obedientiam. *Sexta sic habet,* Quando Ab-
„bas jubet aliquid extra Regulam, & dicit se jubere non propter se, sed propter aliquem
„secretum finem, quid faciendum? Dico primò, Prælatum non teneri explicare finem,
„propter quem aliquid præcipit. Addo, subditum posse credere, finem esse magnum
„& regularem, vel saltem ex antiquâ Experientiâ posse probabiliter inferre, qui finis sit
„Prælato propositus. Dico secundò, si probabiliter cognoscas finem, ut frequentius
„accidit, suppone, illum fuisse expressum ab ipso Abbate; in rebus enim moralibus suf-
„ficit Probabilitas. Si dubites, utrum propter hoc, an propter illud tale fuerit præce-
„ptum, suppone, quod propter utrumque, & sic nulli erit errori locus. Tandem si
„non possis adsequi aliquem determinatum finem, suppone, quod propter totam Re-
„gulam illud mandatum fuerit impositum, & ita, quotiescunque illud violabis, ut ali-
„quid leve facias contra Regulam, peccabis venialiter, quotiescunque ut aliquid gra-
„ve, peccabis mortaliter. *Post has & plures alias Resolutiones in Disputatione sequenti ad*
„*uberiorem hujus Voti Obedientiæ Expositionem adhuc aliquas addit, ex quibus Prima est,* Sua-
„des alicui Seculari, ne obediat tuo Abbati; Licet agas contra obedientiam contra
„tuum Abbatem, non peccas contra Votum, quia non promisisti, alios Ipsi futuros
„obedientes, sed te futurum. *Quarta,* Persuades alicui confratri, ne obediat Abbati,
„tibi & illi communi, Quæritur, an pecces contra obedientiam? Respondeo, te non
„peccare formaliter, sed objectivè, hoc est, facere alium esse inobedientem. *Quinta,*
„Scio, Abbatem, cùm primùm occurrerit, præcepturum mihi esse aliquid in Virtute
„Sanctæ Obedientiæ; Fugio præsentiam Ejus, &, quantum in me est, curo, ne mihi
„occurrat; Quæritur, an peccem? Respondeo, nullatenus; quia aliud est fugere
„obligationes & præcepta, aliud illa frangere. Hoc secundum est interdictum, non
„primum. Non enim teneor facere, ut Abbas mihi aliquid præcipiat, sed solùm obe-
„dire, cùm præceperit. *Octava,* Si Communitati quidpiam Abbas præcipiat contra
„Regulam, sed usu receptum, ut comedere carnes die Dominicâ, licet illud præce-
„ptum recipiatur, ex multis capitibus non obligat. *Nona,* Abbas præter authoritatem
„Ecclesiasticam Abbatialem habet authoritatem Patrisfamilias, & secundum hanc po-
„terit præcipere sub præcepto formali illa omnia, quæ Prior potest in Abbatis absentiâ.
„Sed notandum est, hanc authoritatem non à Voto nasci, sed à gubernatione domûs,
„ac perindè extendi etiam ad Novitios, qui, quamdiu tales sunt, verè sunt filii familias
„in tali Monasterio, & ut tales aluntur. Undè, quando aliquid præcipitur in virtute
„Sanctæ obedientiæ, non obligat Novitios; quando autem in virtute authoritatis Pa-
„triæ, obligat universos, tam Professos, quàm Novitios, & omnes eodem modo, hoc
„est, sub obligatione ad quartum Decalogi præceptum pertinente. Differt enim præ-
„ceptum obedientiæ à præcepto Patriæ authoritatis, primò in hoc, quod illius trans-
„gressio sit contra Votum obedientiæ, hujus non; secundò in hoc, quod illud à solo Ab-
„bate possit imponi subditis, hoc verò & ab Abbate, & in absentiâ Ipsius ab illo, qui Mo-
naste-

„nasterium gubernat; tertiò in materiâ, quia obedientia respicit totam Regulam, „& ea, quæ conducunt ad illam, Patria autem authoritas respicit politicam domûs „gubernationem. *Missis Resolutionibus cæteris illud adhuc Dubium non est prætermit-* „*tendum, quod in fine ponit:* An tumultuaria & præcipitantia aliquorum Abbatum „mandata, qui animosè & calidè, ne tyrannicè & callidè dicam, suos gubernant sub- „ditos, si in Virtute Sanctæ obedientiæ ferantur, & materia sit gravis, obligent sub „peccato mortali? *In Responsione scribit*, Materia est odio exposita & obnoxia „periculis, in quâ Veritatis usus sit bonus & intolerabilis abusus. *Addit sequentes* „*duas Adsertiones: Prima,* Tota præcipiendi Regularis authoritas adcrescit Abbati- „bus ex liberâ professione Subditorum. Patet, quia Abbates non condiderunt ho- „mines, in quos exercerent tyrannidem, sed sunt creati ab hominibus, qui vo- „luerunt sanctè & prudenter regi. *Secunda*, si Abbas incidat in amentiam vel phre- „nesin, non poterit subditos obstringere Lege morali. *Subjicit*, Puto, hanc so- „re omnium Scriptorum sententiam; *& infert*, Ergò, si quid impetu per se primo im- „peret, non obligabit, *id quod indè ostendit*, quia actus per se primi non sunt liberi nec „obligatorii, *& confirmat eo*, quia major est potestas, quâ quis se potest obstringere ju- „ramento, illâ, qua subditum potest præcepto. At, *inquit*, homo, qui aliàs juraret „validè, juramento actu per se primo elicito non obstringitur; ergò homo, qui aliàs „validè præciperet, non obstringit præcepto actu per se primo elicito *& indeliberato*. Hæc omnia & multò plura ibidem *Caramuel*, Theologorum Moralium & probabilium Doctorum, si cumulum & hyperbolem Elogiorum spectes, inter suos facilè primus, eum in finem per brevem, ut dixi, nec impertinentem adeò vel ab Instituto abludentem Digressiunculam adducta, ut Lector Veritatis Catholicæ studiosus videat, quæ ratio sit commendatæ tam insigniter obedientiæ claustralis exoculatæ, quot nimirum conditionibus, ferè dixissem contradictionibus, ea sit obnoxia & involuta, ne adeò cœca & imprudens videri possit, quam si propius intueri Augustino olim fuisset datum, nescio, num iis eam ornasset Elogiis, quibus hodiè congestis Rhetorum floseulis eam ornare solent hominibus, quàm Deo magis obedientes.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM, & seqq.

De

Voto Continentiæ.

PLeraque, quæ in hujus Quæstionis tractatione ex Augustino occurrunt vindicanda, suprà jam fuerunt discussa *in de Cœlibatu Sacerdotum* controversiâ, ut adeò repetitione prolixâ jam non sit opus. Actum est etiam eâ de re hinc indè, ubi Origo Votorum & Institutorum Monachalium in genere fuit indagata, undè quæ ad objecta à Bellarmino loca pertinere videbuntur, accersi possunt, ne idem bis cum tædio Lectoris hic occurrat. Unum modò nunc & alterum restat excutiendum, ea nimirùm, quæ primùm hic à Bellarmino producuntur, non tacta in prioribus. Et ex Oraculis quidem Sacræ Scripturæ *tertium* est super, in gratiam castitatis Monialium à Bellarmino laudatum, quo Paulus Timotheum hortatur, *ut viduas adolescentiores devitet*, hâc additâ ratione, *quod, cùm luxuriatæ fuerint in CHRISTO, nubere velint, habentes indè damnationem ideò, quia primam fidem fecerint irritam.* 1. Epist. V. Per hanc fidem primam intelligi fidem votificam, Augustini etiam authoritate firmat Bellarminus, id quod negari non potest, ab Augustino ita intellectum esse. Sed præter multa, quæ ex ipsis visceribus Apostolici Textûs possent observari, illud ad Augustini authoritatem aliquatenus vindicandam potest sufficere, quod post *Tirinum* non ita pridem *Fromondus*, Doctor Lovanienfis, ad hoc Pauli Oraculum notavit, *Votum viduarum, de quibus hic agit Apostolus, simplex tantum fuisse, nec diremisse Matrimonium*, ad Augustini laudata superius verba provocans, *quibus non nuptias talium, sed fractam Voti fidem damnari scripsit*; *Imò Basilium Pontium*, Scriptorem in Theologiâ Morali non incelebrem, *existimare, omnes à principio Ecclesiæ Religiosos usque ad Innocentium, Pontificem Romanum hoc nomine secundum, qui Bernhardo coætaneus Seculo post decimum secundo vixit, votis tantum simplicibus constitisse, & religiosorum matrimonia fuisse quidem illicita, sed valida.* vid. D. Dorsch. Indic. Iniqu. p. 215. seqq. Ex numero objectionum contra Votum Continentiæ, ad

quas Bellarminus conatur respondere, dum secunda objicit ea Scripturæ testimonia, quæ apertè iis Matrimonium imperant, qui carnis stimulum patiuntur, undè sequitur, *Votum hoc Castitatis perpetuæ temerarium esse, ac proindè illicitum, cùm nemo sciat, quamdiu sine ejusmodi stimulis vivere queat*; Bellarminus inter alia, quæ prolixè ad hoc argumentum reponit, Pauli quoque exemplum adducit, de carnis stimulo graviter conquerentis, & tamen, quæ Bellarmini illatio est, Uxorem non ducentis. Præsupponit nimirum Bellarminus, & quasi extra omnem dubitationis aleam esset positum, statuit, stimulum hunc carnis fuisse ustiones libidinosas, quibus in munere Apostolico Paulus ex instinctu Sathanico fuerit vexatus. Et ne id sine Augustini inprimis authoritate statuere videatur, Eum contendere scribit, *stimulum hunc carnis aliquid significare, quod verecundiam & pudorem adferat, & quod nemo de tanto Apostolo dicere fuisset ausus, nisi ipse hoc de se confiteri non erubuisset.* Ut quid hâc de Tentatione Pauli senserit Augustinus, manifestum fiat, ipsa Ejus verba videamus, quæ sunt: *Apostolus Doctor gentium, Pater fidelium per Evangelium, accepit stimulum carnis, à quo colaphizaretur. Quis nostrûm hoc dicere auderet, nisi Ille confiteri non erubesceret? Si enim diximus, hoc non passum fuisse Paulum, cùm Ei honorem quasi deferimus, mendacem facimus. Sed quia verax est, & verum dixit, oportet ut credamus, datum esse illi Angelum Sathanæ, ne revelationum magnitudine extolleretur. Ecce, quàm timendus est serpens Superbiæ!* Patet ex hoc, Augustinum de hoc carnis stimulo censuisse, fuisse eum Apostolo à Sathanâ, DEO quamvis permittente infixum in Superbiæ Remedium, ne Revelationum Divinitùs factarum gloriâ extolleretur, quod remedium an prudenter stimulo libidinis & ustionum Venerearum adscribatur, ii videant, qui tanquam animarum Medici id è Sacris docti esse tenentur, ne vitia vitiis curentur, & qui carbonariam fugiunt, incidant in calcariam. Dum verò Augustinus hoc neminem dicere ausurum scribit, nisi Ipse confiteri non erubuisset, nondum dat evictum, per stimulum carnis præcisè ustiones à libidine carnis profectas intelligi debere; quin potius eò respexisse videtur Sanctus Pater, quod nemo ausus fuisset dicere, Apostolum tam singulari remedio per gravissimas à Sathanâ tentationes à vitio Superbiæ cohiberi debuisse, nisi ipse confiteri non erubescceret, id quod clarè cum Textu convenit. Insuper Doctorem augustum per stimulum carnis id non intellexisse, quod Bellarminus vult, alibi satis apertè declaravit, ita scribens: *Cùm Apostolus magnæ esset gratiæ, & magna meruisset à DEO dona, quid dicit? Propter magnitudinem Revelationum ne extollar; Intendite, rem tremendam vobis dico; datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Quid est hoc, fratres? Ne extolleretur tanquam juvenis, colaphizabatur tanquam puer. Et à quo? ab Angelo Sathanæ. Quid est hoc? Dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer. Dolores autem corporum plerunque immittuntur ab Angelis Sathanæ; sed hoc non possunt, nisi permissi, nam & Iob Sanctus sic est probatus.* En, Augustinum carnis stimulum non ad tentationes à libidine carnis, sed ad dolorem quendam corporis referentem, quali & Jobus à Sathanâ vexatus & simul gravissimis adflictus fuit in animo tentationibus. Quid aliàs de hoc carnis stimulo ex mente ipsius Apostoli, in specie, quid de paradoxâ Calviniani cujusdam Scriptoris, *colaphizantem hunc Angelum fuisse bonum Angelum, omnesque Iustitiæ DEI punitivæ executiones, quin & cruciatus damnatorum in Inferno, per bonos exerceri Angelos statuentis*, Sententiâ habendum sit, alibi & ab Aliis enucleatissimè ostenditur. Ad nostrum nunc sufficit institutum, Augustinum ab impertinenti citatione Bellarminianâ vindicasse, & à Sententiâ menti Apostolicæ omninò contrariâ propriis verbis liberasse.

II. Corinth. 12.

Conc. II. in Psalm. 58.

in Psalm. 130.

vid. D. König. Vindic S. pag. 682. seqq conf. D. Hülf. de Auxil. Grat. Disp. II. num. 19. §. 15. lit. K, 2.

Ad ea jam ducimur, quæ *Sextâ* contra Votum Continentiæ objectio ex Augustino producit, visuri, quid Bellarminus ex promtuario non ita augusto respondeat. Quatuor autem sunt ex variis Augustini Tractatibus testimonia, quorum duo priora *Petro Martyri*, tertium *Brentio*, quartum suæ liberalitati adscribit Bellarminus, ut non nisi sinceriſſimè Eum cum Voti Continentiæ adversariis oppugnatoribus egisse quis existimare possit. Et in primo quidem testimonio Augustinum scribere dicit, *Impossibile esse aut valdè difficile, intelligere, cur DEVS uni det Continentiæ donum, alteri non det?* Indè nimirùm colligi, *non posse omnes, qui hoc Donum volunt, habere. Si enim omnes, qui volunt, haberent, non difficile esset intelligere, cur uni daretur, alteri non daretur; causa enim esset, quia unus vult, alius non vult.* In secundo Augustinum docere, *Nuptias post Votum ratas esse ac veras, nec dissolvi debere.* In tertio Sanctum Doctorem *non audere Virginitatem Sancti Iohannis conjugio Abra-*

De S. Virgin. cap. 40. & 41.

De Bono Viduit. cap. 9. & 10.

Abrahami anteponere. In quarto augustum Patrem de Virginibus quibusdam Sacris ita loqui: *Non nubunt, quia impunè non possunt; quæ melius nuberent, quàm urerentur.* Ad singula respondet Bellarminus. *Ad primum*, loqui Augustinum de Dono Continentiæ, non quo fit, ut aliquis continere possit, quod nemini statuit negari Bellarminus; sed quo fit, ut re ipsâ aliquis contineat, quod non dari dicit, nisi iis, quibus dandum esse DEUS judicaverit. *Addit*, neque hoc esse proprium Dono Continentiæ, sed commune cum dono Fidei, Dilectionis, Perseverantiæ, aliisque Donis ejusdem generis; siquidem omnes justi verè possint perseverare, si velint, & tamen impossibile sit intelligere, cur DEUS uni justo det Perseverantiæ donum, ita ut reipsâ infallibiliter perseveret, alium verò sinat cadere, nec eam det ei gratiam, quâ efficaciter perseveret. *Ad secundum*, Augustinum voluisse quidem nuptias post Votum veras esse nuptias, sed simul adseruisse, gravissimè eas peccare, quæ post Votum nubunt. Et quia *Petrus Martyr* ad responsum hoc instantiæ loco repositi, in eo saltem contradici Augustino à rigorosis Votorum defensoribus, quod Monachorum & Monialium matrimonia decernant irrita; ideò ulterius respondet Bellarminus, convenire inter Theologos, Matrimonium post Votum simplex illicitum esse quidem, attamen ratum nec dirimendum; post Votum solenne autem esse nullum. Utrum verò post Solenne votum planè nullum sit matrimonium jure Divino & naturali, an solùm Ecclesiastico, quæstionem esse dicit Bellarminus. Nam *Albertum, Thomam, Bonaventuram, Richardum, Durandum, Dominicum à Soto* velle, Jure Divino ac naturali Matrimonium esse nullum, si post Votum solenne contrahatur; atque hos dicere, Augustinum de Voto tantum simplici esse locutum, non de solenni. At *Scotum, Paludanum, Cajetanum*, omnemque Scholam Jureconsultorum adserere, solo jure Ecclesiastico matrimonium esse irritum, quod post Votum solenne contrahitur; & hos Augustinum vel de Voto simplici loqvutum dicturos, (si nimirum de Ejus mente Sententiam exponere deberent,) vel de solemni secundum Regulas Juris Divini & naturalis, quia decretum hâc de re Ecclesiasticum, quo inhabiles fiunt ad matrimonium, qui Votum habent solenne, ad Augustini notitiam non pervenerit. Addit Bellarminus, utramque Sententiam esse probabilem. *Ad tertium*, Augustinum ibi non conferre Virginitatem cum Conjugio absolutè, sed Virginitatem unius personæ cum Conjugio alterius. Etsi enim absolutè Virginitas longè excellat Conjugio, ut Augustinus adfirmat, posse tamen fieri, ut Virginitas in uno homine cum minore Charitate, Humilitate, aliisque Virtutibus conjuncta sit, quàm Conjugium in altero; atque idcircò non posse (nec debere) anteponi Virginem conjugato, nisi constet, in cæteris Virtutibus illos esse pares. *Ad quartum*, Augustinum eo esse locutum modo, quo Hieronymus scripsit, minus malum esse apertè ei nubere, qui simplex habeat Votum, quàm perpetuò fornicari occultè. De Bono Conjug. cap. 21.

Hæc Bellarminus, ne Augustinus quidquam contra rigorem Votorum in gratiam Evangelicorum scripsisse videatur. At si vim consequentiarum, quæ ex laudatis Augustini testimoniis fluunt, melius attendisset, de accuratioribus responsis omninò sollicitus esse debuisset. *In primo* certè responso, cui hypotheses immiscet nondum usque quaque liquidas, de quibus suo infra loco agetur, nondum subruit id, quod ex mente Augustini fuit deductum, non posse omnes, qui hoc Donum volunt, habere. Nec enim quidquam juvat, quod in contrarium per instantiam de Dono Fidei, Charitatis, Perseverantiæ, aliisque Donis ejusdem generis intulit, adserens, commune iis esse cum dono Castitatis, ut non omnes, qui volunt, ea habeant, nimirum, quod subintelligi voluit, constanter; cùm alia planè ratio sit eorum, quàm hujus doni Castitatis, videlicet Monachalis & per Votum promissæ. Ut enim pro Fidei, nimirum finalis, item Charitatis, quæ Fidei fructus est, & Perseverantiæ, cujus ratio in Fidei constantiâ attenditur, aliarumque ejusdem generis Virtutum, in specie etiam mandatæ castitatis Dono oremus supplicesque DEO simus, expresè jubemur, Exemplis Sanctorum invitamur, promissionibus insuper Divinis de precum nostrarum paternâ exauditione adlicimur, quæ si de Continentiâ à Monachis & Monialibus hodiè requisitâ è Sacris demonstrabuntur literis, Evangelicos sibi consentientes certò promittere audebunt Votifices Papæi. In responso autem *secundo*, dum Augustinum in partes contrarias distrahit Bellarminus, suæ quidem Sententiæ parum, nostræ verò multum adfert lucri; Ad quamcunque enim Augustinus trahatur partem vel opinionem, quarum utramque Bellarminus methodo hodiè usitatissimâ dicit probabilem, Augustinus noster erit. Si prioris Sententiæ Patroni obtinebunt, docen-

tes, Matrimonium post Votum solenne contractum Jure Naturali ac Divino nullum esse, adeòque Augustinum, nuptias post Votum Ratas esse atque veras & insolubiles statuentem, de Voto tantum simplici, non autem de solenni locutum esse, id est, ut ipse Bellarminus explicat, Decretum eâ de re Ecclesiasticum, quod juxta priorem Sententiam nititur Jure Naturali & Divino, ad Augustini notitiam non perveniſſe; benè est, cùm ipsi etiam Evangelici non inficientur, aliquam Augustini tempore Votorum, quæ cum differentiâ hodiè dicuntur, simplicium rationem fuisse habitam, multùm nihilominus quam hodiè aliam. Sed quid fiet de Votis solennibus, quæ in hâc hodiè materiâ utramque faciunt paginam, Augustini tempore hâc ratione incognitis; de quo dicere, quod Jus naturale & Divinum, quo Decretum juxta hanc priorem Sententiam nititur Ecclesiasticum, habuerit incognitum, tanto Doctore & Patre tam Sancto videtur indignum? Si autem posterioris Sententiæ Defensores prævalebunt, (cui

Tom. II. lib. 7. Disp. 26. per tot. conf. Vasquez. in III. partem, Disp. 249. cap. 2. seqq.

Thomas Sanchez, in grandi de *Sacramento Matrimonii* opere, præter laudatos à Bellarmino Authores, alios plures è Neotericis adscribit, *Albertum* scilicet *Pighium*, *Gandavensem*, *Hervæum*, *Gersonem*, *Altisiodorensem*, *Abulensem*, *Cajetanum*, quem ipse tamen cum Bellarmino priori etiam Sententiæ adscribit, *Alvarum* quoque *Pelagium*, *Guilielmum de Rubione*, *Nicolaum de Orbellis*, *Veracruzium*, *Stunicam*, *Vgolinum*, *Hieronymum Platum*, *Azorium*, *Michaelem* insuper *Medinam*, de quo præprimis illud habet, quod argumenta pro Sententiâ priori in contrarium latissimè solverit, quin & eorum numero, quod Bellarminus non est ausus, ipse *Sanchez* se adjungit, pluribus laudatis pro Sententiâ hâc posteriori argumentis, interque ea Augustini etiam verbis è citato Tractatu adductis, indè nobiscum optimè deducens, *legem Ecclesiasticam, ea irritantem matrimonia, eo tempore nondum esse editam, atque ita attento Jure Naturali & Divino validafuisse*,) nemo non videt, quanto hic gaudeant Evangelici præjudicio, utpotè tot ac tantis Scriptorum partis contrariæ authoritatibus fulti, dum docent, Augustini tempore Vota, etiam juxta eorum Expositionem solemnia, secundum Jus Naturale & Divinum matrimonia non irritâsse, sed omninò pro veris & ratis habuisse, quidquid etiam post illa Decretum Pseudo-Ecclesiasticum Juri Divino & Naturali contrarium, ad laqueum conscientiis injiciendum, onusque humanis cervicibus intolerabile, libertati Evangelicæ pretiosissimo Christi merito partæ non indirectè oppositum, præter omne fas imponendum, authoritate propriâ & Divinam non leviter offendente statuerit; cui nullam omninò deberi obligationem, Zelo ex Cœlo animati Reformatores, interque eos electum Dei organum *Lutherus*, ita clarè orbi verè Catholico ostenderunt, ut qui hodienum per singularem DEI gratiam in redonatâ Evangelicæ Veritatis Luce missis errorum damnabilium tenebris ambulant, Votoque Baptismali per auxilium Spiritûs Sancti, quantum in ipsis est, imbecillitasque humana permittit, ad normam Verbi voluntatem Divinam revelantis, satis studeant facere, ad id hactenus non potuerint adduci, ut novo tali jugo, à quo se Dei ope liberatos sibimet ipsis gratulantur, suas innectere & includi patiantur cervices, indignos sese hâc libertatis gratiâ æstimantes, nisi eâ ad optimi liberatoris gratiam ex debito uterentur. Alia, quæ ad mentem Augustini illustrandam quoad laudatam hanc ex libro de *Viduitatis Bono* Sententiam pertinere videntur, ex eodem *Sanchezio*, *Mendozâ* item & *Gonzales*, Concilii Illiberitani Expositoribus, supra prolixissimè fuerunt adducta. Nunc in *tertio* Bellarmini responso id notandum est, quod fateri cogatur, posse fieri, ut Virginitas in uno homine cum minore Charitate, Humilitate, aliisque Virtutibus conjuncta sit, quàm Conjugium in altero, atque idcircò non posse (nec debere) anteponi Virginem conjugato, nisi constet, in cæteris Virtutibus illos esse pares, imò, quod vi propriæ hypothesios addere omninò debuisset, eum, qui in Statu Perfectionis vivere se gloriatur, illustrioribus Virtutum radiis præ cæteris omnibus eminere, quos tanquam in statu imperfectiori viventes superciliosè contemnit. Ad minimum id ex concessis Bellarmini adparet, Virginitatem solam non facere hominem perfectum, nisi aliæ etiam Virtutes accedant. De cætero ipsam Augustini Sententiam circa Abrahami Conjugis & Johannis semper Virginis comparationem quod attinet, supra itidem ex loco ibi citato fuit ostensum, non prætulisse Eum Johannis Virginitatem Abrahami Conjugio, sed in hoc quidem commendasse donum Continentiæ, ut sic dicam, potentialis, nimirùm, quod continere potuisset, etiamsi conjugatus fuerit, de quo tamen alii disputent; in illo autem laudasse donum patienter sustinendi Martyrium, id est, voluntatem promtam, si opus & ab Eo requisitum fuisset, Evangelii doctrinam voce & scripto-

Scripto-tenùs à se propagatam, cæterorum Christi Apostolorum exemplo, etiam morte violentâ & Sanguine suo obsignandi; ubi Sanctus Pater utrobique sine alterius ante. vel post-positione studium utriusque, & Deo obsequendi propositum Lectori ad imitationem exhibuit, absque omni dubio Johannis Virginitatem Abrahami Conjugio, vel Petrum Apostolum tanquam Martyrem cruentum Johanni Apostolo tanquam Martyri incruento prælaturus, si præferendum jure censuisset. In *quarto & ultimo* Bellarmini responso illud monendum restat, quod, dum Augustini Sententiam Oraculo Pauli consentaneam, *Melius Virgines Sacras etiam post Votum nubere, quam uri*, ex Hieronymo statuit explicandam, scribente: *Minus malum esse, apertè ei nubere, quæ simplex habeat Votum, quam perpetuò fornicari occultè*; ipse Bellarminus in responsione ad secundum agnoverit, Hieronymum cum Augustino de Voto Simplici scripsisse ideò, quia Decretum de Voto Solenni Matrimonium subsequens irritante Ecclesiasticum, juxta posterioris Sententiæ Patronos nullo Jure Divino vel Naturali fultum, ad eorum non pervenisse notitiam, adeoque, quod indè per legitimam infertur consequentiam, qui hoc de Voto Solenni Decretum hodiè sequuntur & defendunt, ad Hieronymi & Augustini authoritatem provocare nullo planè modo posse, quod contra Bellarminum hic observasse satis est.

Huic de *Voto Continentiæ* tractationi contra Bellarminum non impertinenter potest adjungi Disputatio *Caramuelis* è Theologia Ejus *regulari*, non rarò plurimum *irregulari*, de castitate Monachali vel Moniali, ubi movetur Quæstio, *An Votum Castitatis Religiosæ versetur* (etiam) *circa actus luxuriæ internos?* Id, quia non modò in dubium vocare, sed omninò negare non obscurè visus est *Caramuel*, & quidem authoritate Augustini, ex non uno Scriptorum Ejus; examen rigorosum sustinere fuit coactus à *Iohanne* de *Cardenas*, Hispalensi, Societatis Lojolæ, qui in *Crisi bipartitâ*, ante Annos non ita multos *Caramueli* oppositâ, hanc quoque novam Ejus Sententiam inter alias plures è *Theologia Morali* vocavit ad censuram satis prolixam. Utriusque Scripta dum manibus paucorum feruntur, & tamen authoritas Augustini versatur in hac controversia, præter Institutum non erit, è posteriore quædam huc adponere, ne *Caramuelis* authoritas, quæ apud multos justo major est, quenquam seducat, vel *A*ugustinus quidquam contra bonos mores scripsisse & docuisse videatur. Ita autem hic *Anti-Caramuel*, quantum constat, novissimus: *Caramuel novam inducit Pudicitiæ usurpationem*, per quam hæc Virtus adæquatè differat à castitate, ut castitatem religiosam voto firmatam laxet & eximat ab onere vitandi actus Luxuriæ internos, ita enim adserit: *Distinguitur castitas à pudicitia, quod illa sit corporis, hæc animæ.* Undè Augustinus quarto contra Julianum libro: *Pudicitia res est animæ, virginitas corporis. Illâ* (autem) *integrâ permanente in anima, potest ista* (hæc) *de corpore violenter auferri; & cùm ista* (hæc) *integra manet corpori, potest illa in animo corrumpi lascivâ voluntate.* Caramuel addit, ita Lectorem adloquens: Uti philosopharis de Virginitate, ita etiam de Castitate debes agere, quia castitas Monastica est virginalis; & in hoc differimus à militibus religiosis, quoniam ipsi vovent conjugalem (tantùm.) Subjungit post secundum ex opere de Civitate DEI testimonium, ubi *A*ugustinum scribere dicit, *Pudicitiam esse animæ, cui comes semper sit fortitudo.* Tertium quoque ex Epistolâ post vicesimam secundâ: *Pudicitia vi nec in carne, nec in animo potest violari.* Caramuel hanc adnectit glossam: Pudicitia non violatur in carne, in quâ non consistit; non in animo, qui, cùm sit liber, violentiâ non potest gubernari. Hanc *Caramuelis* ex *A*ugustino Sententiam sequentibus verbis impugnat Criticus: *Cùm totum hujus Doctrinæ fundamentum solâ nitatur Augustini authoritate*, operæ pretium est examinare, an aliquâ probabilitate adtribuatur *A*ugustino præfata Castitatis differentia à pudicitia. Si enim constiterit, *eam Augustino perperam adtribui*, totum corruit fundamentum; corruente autem fundamento, cadere probabilitatem est necesse, cùm ex definitione opinionis probabilis sit manifestum, *eam non esse probabilem, quæ caret fundamento.* Et quidem magnæ molis erat, omnium, aut ferè omnium fidelium mentes ab eâ communi existimatione avertere, quâ persuasum sibi habent, omnimodam castitatem, quam Religiosi vovent, *ad interiores etiam actus extendi*, & circa internam (quoque) luxuriam, tanquam circa materiam versari; ideòque altius jaciendum erat fundamentum. Quare non possum non vehementer mirari, quod tam levi flatu tantam molem Author extollere conatur. Enimverò luce meridianâ clarius est, *A*ugustinum non modò id non dixisse, quod illi tribuit *Caramuel*, sed etiam apertè docuisse contrarium tum in iis ipsis textibus, quos producit, tum in toto quarto contra Julianum libro; & certissimâ

p. 534. & seqq.

cap. 8.

l. 1. c. 18.

censeo conjecturâ, Authorem non legisse eum in ipso Augustini libro textum. Si enim legisset cum antecedentibus & consequentibus, vel tenuisset oppositum, vel clausisset oculos luci meridianæ. Postmodùm prolixissimè examinat Augustini testimonia à *Caramuele* laudata, ad primum observans, *Virginitatem quandoq; sumi pro carnis integritate, quandoq; pro Virtute*, & ostendens, *quâ ratione Virginitas possit auferri violenter, non autem Virtus*, & quod Pudicitia non differat à Virginitate, prout hæc est Virtus, deducens insuper, Pudicitiam juxta Augustinum versari (etiam) circa voluptates externas, multis id documentis Pudicitiæ in specie conjugalis confirmans. *Ad secundum* notat, in duplici sensu Pudicitiam corporis esse Virtutem animi, *terminativè & subjectivè*, corporis quidem terminativè, animi autem subjectivè, *atq; hinc Castitatem amitti per actus (etiam) internos*, citatis præter Augustini, etiam Hieronymi & Basilii testimoniis. *Ad tertium* expresse monet *Augustinum* docere, Votum Castitatis (quoque) violari *per actum impudicum internum*, adductis etiam post aliquot ex Augustino loca rationibus id ipsum magis magisque confirmantibus; quæ cùm *Criticus* hic contra *Caramuelem* per plures paginas uberrimè demonstret, sufficiat ex marginalibus tantùm & præcipuis capitum lemmatibus brevem hic exhibuisse summam, ut aliquod saltem habeat Lector curiosus specimen Theologiæ Moralis, quam tot libris hactenùs docuit *Caramuel*, adque cujus adprobationem vi quâdam trahere conatus est Augustinum, utut omni modo invitissimum, hoc ejus Censore id prolixiùs ostendente.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM ET SEXTUM,

De

Votis Juniorum.

HÆc ut adserat contra Evangelicorum protestationes Bellarminus, duo inprimis Augustini commendat testimonia, unum, quo Exemplis quamplurium ea laudantur; alterum, quo liberi ab obedientiâ Parentibus debitâ circa hoc Institutum absolvi videntur. Fatendum & hic iterùm est, utrumque in locis à Bellarmino citatis legi, atque Augustinum nimio Continentiæ Monachalis studio abreptum, quod & supra non semel est monitum, ita hæc puerorum & puellarum Instituta adamâsse, ut Parentibus etiam in hoc passu, si id impedire, suosque liberos ab eo abstrahere conati fuerunt, non obediendum esse duxerit consultum, eo Apostolorum Oraculo abusus, quo omnes Christiani in Viâ Salutis æternæ apertè satis in Verbo monstratâ constituti plus DEO quam hominibus obediendum esse didicerunt. Sed aliam esse Votorum Rationem, aliterque de iis judicandum esse, ex non paucis ipsorum Votificum hypothesibus constat, quarum aliquas ad præsens Institutum pertinentes adducemus, ut exindè fiat manifestum, Augustini in hanc rem testimonia non ita crudè & nudè acceptanda, adque imitationem esse trahenda. Ex numero plurium placet nunc audire *Laymannum*, utpote per compendium Sententias in Scholâ Receptas exhibentem. Is dum Voti definitionem ex doctrinâ Magistrorum, *Thomæ, Bonaventuræ, Antonini, Navarri* esse dicit, quod sit *Promissio deliberatè Deo facta de Bono meliori*, circa particulam, *deliberatè*, observat, *ad Votum, sicut & ad omnem aliam promissionem, quæ obligationem pariat, quam maximè requiri liberum Voluntatis consensum.* Addit, exindè colligi primò, *Votum non esse validum, quod ex subitaneo motu vel animi passione, judicium ac deliberationem perturbante, concipitur.* Huic primæ collectioni duo notanda subjungit, quorum prius est: *Si aliquis gravi meturationem, usum & discretionem ademerit, ad vovendum fuit adactus, omni jure, etiam naturali, Votum est irritum.* Posterius autem: *Ad Votum non sufficit voluntas indirecta in causâ suâ.* Dicit, *Ita ex communi docere Sanchezium & Suarezium*, & rem hanc sequenti explicat Exemplo: *Si sciens, te ebrium stricto gladio in alios ruere solitum, nihilo-minus te inebries, homicidium in ebrietate commissum tibi tanquam indirectè voluntarium imputatur; non item, si sciens, ebrium te hominibus promittere vel Deo vota edere solitum, te nihilo-minus inebries, Voto aliâve promissione posteà in ebrietate factâ adstringeris.* **Ratio hujus discriminis est**, *quia homicidium in ebrietate factum verè homicidium est, ideoq; ad culpam imputatur, si sit aliquo modo, videlicet indirectè & in causâ voluntarium; at verò Votum & quævis alia promissio hominis ebrii vel dormientis non est verum Votum, quandoquidem ad ejus substantiam intrinsecè requi-*

Theol. Moral. Tom. II. lib. IV. Tract. 4. cap. 2.

NB.

requiritur directa ſe obligandi voluntas. Pergit, colligi ſecundò, *Votum ex errore ſive ignorantiâ voluntariam tollente editum nullius eſſe roboris.* Ubi advertendum monet, *duplicem eſſe ignorantiam, unam negativam ſeu privativam, alteram pravæ diſpoſitionis ſive errorem poſitivam.* De illâ dicit, *ſi ſit circa ſubſtantialia rei promiſſæ, irritum eſſe Votum*; de hâc vel hoc, *impedire valorem Voti, non tantum ſi circa rei promiſſæ ſubſtantialia verſetur, ſed etiam, ſi circa accidentalem circumſtantiam, quæ ſecundum falſam exiſtimationem voventis notabiliter objectum immutat.* Exempli causâ: *Qui ordinem Carthuſianorum ſe ingreſſurum vovet, exiſtimans, permiſſum eſſe in eo carnibus veſci, ita ut talis error ſit antecedens ſive cauſa vovendi, qui eo ſepoſito minimè voveret, is Voto non obligatur.* Ratio eſt, *quia talis Religionem illam non abſolutè vovet, ſed ut adfectam tali conditione ſive circumſtantiâ, quæ licet ſit accidens objecti ſive rei promiſſæ materialiter, pertinet tamen quodam-modo ad ſubſtantiam objecti formaliter, ſive prout eſt in voventis intentione.* Adplicentur nunc hypotheſes hæ ad Vota puerorum & puellarum, quæ Auguſtinum ſingulari Elogio ornâſſe non negamus, & videatur, an eis deliberatio liberq; Voluntatis conſenſus poſſit adſcribi, & annon ea ſæpius utque plurimùm ex ſubitaneo animi motu vel paſſione, judicium, quod in tenerâ ætate aut nullum planè aut valdè parcum eſt, & deliberationem, qualis ex judicii defectu aut imperfectione eſſe non poteſt, perturbante concipiantur, accedente præprimis metu, rationem, quæ nondum plenè ſe exerit, ejusque uſum & debitam diſcretionem adimente, ab iis incuſſo, quorum ſtatûs ratio requirit, ut ante plenum rationis uſum animos eorum ſibi concilient, quos poſt eam ætate maturiori impetratam vix ac ne vix quidem ad partes trahi poſſe non ignorant. Et ſi Votum ab ebrio & dormiente & per ebrietatem ſomnumque uſu rationis deſtituto editum ideò irritum eſt, quia deeſt directa ſe obligandi voluntas, quam ad Voti ſubſtantiam intrinſecè requiri docent Moraliſtæ; cur non invalidum quoque ſit illud Votum, quod ab homine per ætatem plenæ rationis nondum compote, & certo quodam modo quoad ejus uſum dormienti vel ebrio non adeò multum diſſimile concipitur? Porrò, ſi omne Votum ex errore vel ignorantiâ voluntarium tollente editum ſuo robore ſtatuitur carere, ac error inprimis poſitivus Voti valorem impedit, non tantum ſi circa ſubſtantialia, ſed & accidentalem rei promiſſæ circumſtantiam verſetur, in ſpecie, circa carnisprivium in ordine Carthuſianorum anteà ignoratum; quis prudens negabit, plurimos ab imprudenti ætate, variis perſuaſionibus ductâ, vel potius ſeducta, in faciendis non uniusmodi Votis, non ſolum circa accidentalia, ſed & quæ ſubſtantialia dicuntur, eosq; inſignes committi errores, nulla ratione alia corrigendos, quàm per ipſam Votorum imprudenter & erroneè factorum reſciſſionem? Ire ad ſpeciem opus non eſt, cum Experientia teſtetur, quotidiè talia occurrere, non ſine maximo publicæ Rei Chriſtianæ detrimento. Et ut in expoſitione hypotheſium partis adverſariæ, noſtræ etiam parti faventium pergamus, quod illud attinet Auguſtini conſilium à Bellarmino commendatum, quo liberis ſuaſor extitit, ſi Parentes impedimento eſſe in hujus Inſtituti proſecutione conarentur, ne debitam eis præſtarent obedientiam, *Laymannus* iterùm ſequentes ſubminiſtrat, Subjectum Voti deſcribens: *Pater, quemadmodum & Tutor, omnia omninò Vota impuberis directè & ſimpliciter irritare poteſt.* Ratio, *quia naturali æquitati valdè conſentaneum eſt, ideoq; Gentium jure introductum videtur, ut hominis utriusq; Sexûs in tenerâ & impubere ætate, in quâ tenuem & imbecillem rationis diſcretionem obtinent, alienâ Patris vel Tutoris voluntate regantur, ideoq; ſine hâc, illorum pacta & promiſſiones non omnem obtineant firmitatem, ſed arbitrio Patris vel Tutoris reſcindi poſſint.* Ibid cap. 7 Adſert. 5. Pro ampliatione notat primò, *In defectu Patris, ſi is mortuus ſit, vel longiſſimè abſens, aut etiam amens, Avum quoque vota impuberis poſſe irrita pronuntiare, & in defectu adſcendentium in Sexu virili Matrem, non tantum ſi ea tutrix ſit, ſed etiam in defectu tam Tutoris, quàm Patris & Avi; tunc enim naturali jure ad ipſam hæc Cura ſpectat, quando alius non eſt, qui imbecillitati impuberis conſulat. Imò non deſunt, qui probabiliter arbitrentur, in defectu horum omnium, etiam Magiſtrum, aliumve, ſub cujus gubernatione impubes exiſtit, directè ejus Vota reſcindere & caſſa reddere poſſe.* Secundò, *Vota ab impubere edita, etiam poſt adeptam pubertatem à Patre reſcindi poſſe, ſi pubes factus ea non confirmârit.* Addit, *arbitror autem, idem eâdem ratione dicendum eſſe de Tutore, quòd nimirum Vota ab impubere edita poſſit irritare, quamdiu is pubes factus in minore exiſtens ætate ea non confirmavit.* Ultima quidem hæc non planè nullam requirunt correctionem, cùm Vota ab impuberibus facta, etiamſi poſt adeptam pubertatem confirmata, eadem prorſus ratione poſſint reſcindi, qua ante eam, utpotè ſub poteſtate Parentum, vel qui loco eorum ſunt, conſtitutis, quorum, quàm liberorum, judicio plus adſcribendum eſſe, nemo non judicio præditus agnoſcit; cætera

autem, præprimis quidem Legi Divinæ, quæ hic quam-maximè attendenda venit, postmodùm æquitati naturali, ad Legis Divinæ authoritatem ac Legislatoris sanctissimam Voluntatem respicienti, imò etiam Juri Gentium aliquatenus cultiorum, quoad liberorum Parentibus, Tutoribus, Matribus, Præceptoribus debitum in quibusvis actionibus respectum, ita sunt consentanea, ut optandum esset, nunquam non ea sub debitam venire observantiam, in eâ etiam ætate liberorum, quæ etsi pubertatis annos attigisse videtur, ad eam tamen Judicii maturitatem nondum pervenit, ut quid utile sit, quid noxium, non in præsens solùm, sed & futurum tempus, accuratiùs discernere possit, ac aliquid certi deliberatione præviâ decernere, cùm nimis altæ res sit indaginis, in quâ evolvenda etiam, qui prudentiores majorisque Experientiæ videntur, non rarò impingunt, ac in eos errorum laqueos per inexcusabilem præcipitantiam damnandamque præposteritatem incidunt, undè postmodum præcisis omnibus emergendi mediis non nisi difficillima, si non planè impossibilis est liberatio, Exemplis iterum pluribus rem hanc in manifestâ Solis mensâ cum maximo multorum periculo, æternâque eorum damnatione exponentibus, ut id pluribus exponere omninò non sit necessum. Notanter autem ad ea, quæ *Laymannus* hic æquitati naturali & Juri Gentium consentanea dixit, adjeci, vel potius ex debito proposui Legem Divinam, eamque, ut distingui solet communiter, positivam, honorem parentum liberis seriò & severissimè inculcantem, ad quam Chri-
Matth. 15. stus antehàc provocavit, pharisaicam liberorum seductionem graviter castigans, in eo positam, quod plus ad oblationes faciendas, quàm ad debitum Parentibus præstandum à Ductoribus suis, vel potius seductoribus fuerunt instigati, non indirectè, sed directissimè & satis manifestè contra Legem Decalogicam, quam præ iniquissimis Majorum suorum traditionibus non solùm minoris æstimârunt, sed & hâc ratione omninò post- & sepositerunt.

Augustinus certè ea recensens filiorum verba, quæ Christus ex ore Pharisæorum recensuit honorem Parentibus debitum ob Sacrificii Respectum denegantia, ita eorum
Quæst. Evang. lib. II. cap. 16. expressit sensum? *His verbis significabant filii, jam non sibi opus esse Parentum pro se oblationes, quod ad eam pervenissent ætatem, ut possent jam ipsi offerre pro se. In hâc ergò ætate constitutos, ut possent parentibus suis hoc dicere, cum hoc dixissent, negabant Pharisæi, reos esse, si Parentibus suis non præstarent honorem.* Aliorum Ecclesiæ Doctorum, ut & Rabbinorum Expositiones cumulare supersedeo, cùm ad rem non pertineant, & ab Aliis prolixè collecta sint. Placet tamen unum & alterum ex Commentatoribus Papæis audire, cùm
vid. Dilherr. Disp. Tom. II. pag. 40. seqq. Coccej. in Sanh. p. 273. Petit. lib. I. Var. Lect. cap. 4. Selden. de Jure Natur. lib. 7. cap. 2. Pocok. in Notis ad Portam Mosis, p. 140. seqq. non plane nulla habeant, quæ Instituto præsenti commodissime inservire possunt, ne Evangelici sine causâ Augustinum in hâc Quæstione videantur deseruisse. Et *Adamus* quidem *Conzenius* egregiè ad hæc scripsit: *Speciosa videbatur ratio, quâ Deus homini, Pater æternus & optimus præponebatur parentibus peccatoribus. Sed contra Dei legem nulla valet argutia. Avaritiæ verò artes illæ fuerunt. Nam voluntaria necessariis cedere oportet. Parentum honorem severâ lege Deus sanxit, Sacrificiorum verò liberalitatem ex illis esse voluit, quæ nullo alio titulo vel Parentibus vel aliis deberentur; viva enim Dei templa lignis & lapidibus præferenda sunt.* Addit, eruditè hoc *Cajetanum* exponere, videlicet, *non pluris quidem esse pietatem ergà Parentem, quàm Religionem in Deum; res tamen ipsas ita debitas Pietati ex ordinatione Divinâ, ut ad Religionis usum non debeant transferri, cum Lex Dei supernaturalis ordinem tueatur naturalem. Et hinc necessaria corpori non esse detrahenda, ut Sacrificio sumtus suppetant; quin Sacrificia etiam & res Ecclesiæ in necessitate Vitæ servandæ esse impendendas.* Accedant & quæ proximè subjungit: *Pharisæi in hâc traditione sua quærebant emolumenta. Nec enim, cùm essent, ut Scriptura docet, avari, Legem tam improbam, quâ Dei mandatum abolerent, sine commodi spe tulissent. Hoc igitur agebant, ut Sacrificiorum sanctitatem & dignitatem in immensum extollendo, multitudine victimarum & donariorum sese & Sacerdotes locupletarent. Nam & ipsi Sacerdotes erant plerique, aut Sacerdotum & Levitarum in adquirendo actores & adjutores. Quod si tanta erat Sacrificiorum dignitas, ut etiam causâ eorum Parentibus negari possent alimenta, de cæteris conjectura erat facilis. Communes etenim pauperes negligere minus grave videbatur, ut sumtus in Sacrificia suppeditarentur. Omnem igitur* ϛοϑγην, *amorem, Eleemosynam, humanitatem Sanctitate commentitiâ evertebant, nisi quod & ipsi iniquitate & rapinâ pleni ad conciliandam sibi famam Eleemosynas interdum largiebantur.* Hæc si quis ad jactatam hodie inter Papæos Votorum perfectionem & eminentiam, quâ plerorumque juvenum ex ætatis lubricitate imprudentum animi, contra Parentum voluntatem, imò ut plurimum non pauco cum rei familiaris & obedientiæ eis debitæ damno, congestis multorum persuasionibus occupantur, paucis tantum mutatis, adplicare

velit,

velit, habebit, quæ ad nervosam contra Votifices actionem ex laudato Textu possunt sufficere, cùm ovum ovo tam non sit simile, quam hæc Pharisæorum Institutis Institutis Monachorum & Monialium, ut comparationem per membra & secundum circumstantias utrinque concurrentes instituenti non potest non esse manifestissimum. Sed apertius rem hanc egit *Iansenius Gandavensis*, qui ubi rationes Instituti hujus Pharisaici exposuit, hoc suum interposuit judicium: *Erraverunt in suis rationibus, quantumvis sint in speciem probabiles, quia Deus non vult honorari his rebus, nec sibi ea offerri, quæ alioquin debentur aliis.* Ergò, *quæ parentibus egentibus & Iure Naturæ & Lege Divinâ debentur, non sibi vult offerri, sicut nec quæ aliâ quâvis ratione aliis debentur aut sunt necessaria. Et adeò quidem sibi hæc offerri non vult, ut etiam quæ Voto sibi jam sunt dedicata aut consecrata, aut aliquo debita præcepto, debeant in aliorum transferri usum, si occurrente casu aliquo sint illis necessaria. Quod patet ex eo, quod panes Propositionis Deo consecrati propter occurrentem Davidis necessitatem licitè sunt adsumti & dati ad necessitatis ejus sublevationem. Vndè similiter, si filius bona sua Deo & Ecclesiæ dare vovisset, superveniente paterna necessitate, deberet ea transferre in Patris sublevationem. Sicut enim pro tali casu non possunt bona ejus esse materia Voti, ita & esse desinunt. Vndè etiam, sicut filius per ingressum Religionis sese Deo licitè non potest offerre, si sustentando Patri in Seculo sit necessarius; ita & exire Monasterium teneretur, etiam contra voluntatem sui Superioris, si alioquin Patri vel Matri egentibus non possit per se vel per alios subvenire, ut probabilior habet opinio, quamvis nonnulla sit inter ingressum & egressum differentia. Major enim necessitas filium movere debet ad egressum, quam quæ retrahere eum deberet ab ingressu. Et ratio omnium horum est, quia nullum Dei præceptum, nullum nostrum Votum, nulla rei sanctificatio tollit necessarium Naturæ ordinem & vinculum, cùm illa non ad destruendum, sed ad perficiendum Naturæ ordinem sint superadjuncta. Hinc fit, ut eveniente articulo necessitatis nostræ vel proximorum utamur licitè rebus præcepto alioquin vetitis, aut Voto & consecratione Deo debitis.* Ego iterùm, quia hæc satis clara sunt, nihil addo. Patet enim, Evangelicos à laudatâ Augustini sententia non sine causa discedere, quem in aliis Fidei capitibus tanquam Veritatis Orthodoxæ testem magni faciunt, ut in sequentibus Controversiis ampliùs demonstrabitur.

Concord. Evang. cap. 60.

NB.

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM,
De
Votis Conjugum.

VBi non præcisè quæritur, num alteruter eorum pro se, sed an uterque mutuo consensu possit perpetuam vovere Castitatem vel Continentiam, id est, omnimodam à consuetudine conjugali abstinentiam? quod posterius ex communi Votificum Sententiâ adfirmans Bellarminus, Augustini etiam aliquot testimoniis confirmare nititur. Videamus, quo successu. Et primò quidem ex Epistolâ ad Eidiciam sequentia exhibet: *Quod Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usq; in finem reddere ambo debuistis; à quo proposito si lapsus est Maritus, tu saltem constantissimè persevera.* Deinde ex Epistolâ ad Armentarium & Paulinam Conjugem: *Ambo reddite Deo, quod ambo vovistis.* Et infra: *Sit vester consensus oblatio ad supernum Altare Creatoris* &c. Et supra: *Nunc verò, quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam Iustitiam invito, sed à magna iniquitate deterreo.* Demùm ex Epistolâ ad Paulinum, in qua Eum laudare Paulinum scribit Bellarminus, *quod cum Theresia Conjuge sua continentiæ Votum susceperit.* Ut ad ultimum hoc primò respondeamus, pervellem, ut Bellarminus, sicut in prioribus ab Eo factum, ipsa Augustini Verba expressisset, quibus Eum laudare scripsit Votum Continentiæ à Paulino & Theresiâ Conjuge editum; cùm si illa Augustini Epistola à capite ad calcem, iteratâ etiam vice, & cum debita attentione legatur & relegatur, tale quid expressè in ea non legatur, nisi per divinationes agere Bellarminus maluerit. Equidem si & aliis in re non adeò liquida divinandi facultas conceditur, ad sequentia forte verba respexit Bellarminus, quibus ita Paulinum adscripsit Augustinus: *Laudatur & benedicitur DEus, cujus gratiâ tu talis es. Ibi excitatur Christus, ut ventos & maria tibi placare tendenti ad stabilitatem suam dignetur. Ibi Conjux excitatur, non dux ad mollitiem Viro suo, sed ad fortitudinem redux in Ossa Viri sui; quam in tuam unitatem redactam & redditam, & spiritualibus tibi tantò firmioribus, quantò castioribus nexibus copulatam, officiis Vestræ Sanctitati debitis in te uno ore salutamus.* Sed multis consequentiarum nexibus erit opus, ut quis liquidò

num. 199.

num. 45.

num. 52.

vid. D. Calixt. de Conjug. Cler. pag. m. 380. seqq.

quidò demonstret, castos hosce nexus Paulini cum Theresiâ, quos & spirituales esse dixit Augustinus, de Voto Castitatis perpetuæ intelligi debere, cùm eadem prædicata castæ conjugum Christianorum consuetudini ad ipsius S. Scripturæ ductum denegari non possint. Et inprimis illud observandum venit, *Ambrosium* hujus Paulini & Uxoris Ejus singulare Institutum prolixè latis describentem hujus Voti Castitatis perpetuæ nullam planè mentionem facere. Verba Mediolanensis Suadæ de Eo hæc sunt: *Paulinum splendore generis in Aquitaniæ partibus nulli secundum, venditis facultatibus tam suis, quàm conjugalibus etiam, in hos se induisse cultus ad fidem comperi, ut ea in pauperes conferat, quæ redegit in pecuniam, & ipse pauper ex divite factus, tanquam deoneratus gravi sarcinâ, domui, Patriæ, cognationi quoq; valedicat, quò impensius Deo serviat. Elegisse secretum adfirmatur Nolanæ Vrbis, ubi tumultum fugitans ævum exigat. Matrona quoq; Virtuti & studio Ejus proximè accedit, neq; à proposito Viri discrepat. Denique transcriptis in aliorum jura suis prædiis Virum sequitur, & exiguo illic Conjugis contenta cespite solabitur se Religionis & Charitatis Divitiis. Soboles eis nulla, & ideò meritorum posteritas desiderata.* Addantur sequentia, & nihil ex iis adparebit, quod de Voto Castitatis perpetuæ nos facere posset certiores, quod nullo certè modo siluisset Encomiastes ambrosiam stillans, si ei Paulinus cum Uxore suâ fuisset innexus, utpote quod non parùm laudes utriusque ad illius Seculi genium potuisset cumulare. Quin potius, si accurate attendamus, non pauca hinc inde inseruntur, quæ Voto huic omninò videri possunt contraria, ac nequaquam posse cum eo consistere, Lectoris judicio & discretioni reservata.

lib. 6. Epist. 36. ad Sabin.

Conferatur Vita Paulini à Rosswveido edita.

In altero Augustini testimonio videtur quidem singulari laude Votum utriusque Conjugis editum consensu commendari, sed ita tamen, ut certa quædam restrictio benè observanda locum habeat, cùm augustus Doctor ea præter, quæ Bellarminus in rem suam adduxit, in rem nostram hæc addiderit: *Vna sola esse causa posset, quâ te id, quod vovisti, non solùm non hortaremur, verùm etiam prohiberemus implere, si forte tua Conjux hoc tecum suscipere animi seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vovenda non sunt taliâ conjugatis, nisi ex consensu & voluntate communi; & si præpropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm persolvenda promissio.* Quæ posteriora verba notatu dignissima, etiamsi ob proximè ibidem sequentia videantur esse proximè antecedentium exegetica, ita tamen concepta sunt, ut videri debeant eorum limitativa, hunc in modum, ut, etiamsi consensus ab utrâque parte ad illud perpetuæ Castitatis Votum adsit, si tamen *præpropere* id fiat, quod utplurimum fieri certum est, per correctionem non laudandæ, sed potius culpandæ *temeritatis*, promissionis persolutio sit indebita; quorsum ea pertinent, quæ paulò ante ex eodem Augustino fuerunt observata, Virginibus voto adstrictis juxta Pauli monitum suadente, *melius eas nubere, quàm uri*: & ex Hieronymo, ad eandem ferè Sententiam monente, *Minus malum esse, si malum est, apertè ei nubere, quæ simplex habeat Votum, quàm perpetuò fornicari occultè.* Restat, quod *primo* Bellarminus loco ex Augustino ad commendanda Conjugatorum vota laudavit, ubi quamvis Sanctus Pater observante Bellarmino *Ecdiciam* hortetur ad Voti perseverantiam, nihilo tamen minus eam non omni culpâ vacare existimat, quod Vir Votifragus adulter quoque factus est, sequentibus eam verbis de conjugali erga Virum debito inposterum observando informans: *De ejus reparatione debes vehementissimè cogitare, si verè ad Christum vis pertinere. Indue itaq; humilitatem mentis, & ut te DEus conservet perseverantem, noli Maritum contemnere pereuntem. Funde pro illo pias & adsiduas orationes, sacrificia, lacrymas tanquam vulnerati cordis sanguinem; & scribe ad Eum satisfactionem, petens veniam, quia in Eum peccasti &c. Promitte de cætero in adjutorio Domini, si & illum suæ turpitudinis pœnituerit, & Continentiam, quam deseruit, repetiverit, te illi, sicut decet, in omnibus servituram.* Ubi non extra omnem dubitationis aleam esse videtur positum, per Continentiam hic ab Augustino commemoratam præcisè Continentiam Voto obstrictam intelligi debere, cùm & ea habere locum possit Continentia & castitas Conjugalis, quam per adulteria deseruisse Ecdiciæ maritus in laudata Augustini Epistola legitur, & ad quam Eum revocari per Uxorem voluit Sanctus Doctor; dum, ut Viro promitteret, notanter monuit, se illi, sicut decet, *in omnibus* servituram; in omnibus, inquam, quæ Conjugalis consuetudo requirere poterat, ad quam ante Votum illi erat obligata, ut à principio Epistolæ ad ductum Oraculi Apostolici graviter id Ei in memoriam revocavit, quod & alibi ab Eo factum.

NB.

CA-

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM,

De

Matrimonii solutione per Votum.

IN hâc Quæstione, dum Bellarminus contra duos errores, quos extremos vocat, mediam, ut sibi videtur, sequens agit, nobis ad ea modò est respiciendum, quæ nostram in specie tangunt Sententiam, quam nominetenus *Chemnitio*, Magdeburgensibus, quin & *Erasmo*, ut & *Espencæo* è Scriptoribus Romano-Catholicis adtribuit, ne videlicet Evangelicis in hâc etiam Controversiâ desit à parte adversariâ consensus, ad Confessionem pertinens Catholicam. Est autem Sententia hæc, quam ipse Bellarminus verbis exprimit sequentibus: *Matrimonium, sive sit ratum & consummatum, sive ratum sit tantum, non posse solvi per Monasticam professionem.* Huic sicut altera opponitur extrema, *quod Matrimonium etiam consummatum dissolvatur per ingressum in religionem*; Ita Ecclesiam, videlicet Tridentino-Romanam, mediâ quasi viâ incedere Bellarminus scribit, statuentem, *Matrimonium non quidem consummatum, sed ratum tamen solvi per Monasticam professionem*, id est, quod expressè in laudato Canone Tridentino additur, *solennem*, Voto simplici ab hoc solutionis jure & potestate excluso. Hanc Sententiam ut contra Evangelicos tueatur Bellarminus, omissis Sacrarum Literarum testimoniis, quæ nulla habuit, ad aliquos Juris Canonici canones provocat, adque Exempla quædam, inter quæ unum ex octavo Confessionum Augustini libro de duobus recitat militibus, *qui lectâ Antonii Vitâ mox Vota relictis etiam Sponsis, quas habebant, susceperint Monastica, Sponsæque etiam, postquam id cognovissent, similiter fecerint.* cap. 6. in fine. At novisse debuit Bellarminus, non Exemplis, sed Legibus, iisque Divinis hic agendum esse. Etiamsi enim circa Leges, quas vocat Ecclesiasticas, à se in favorem Voti solennis Matrimonium ratum dissolventis laudatas monuit, *Evangelicos quidem eas non recipere, attamen nullas in contrarium adferre, rectamque docere rationem, credendum potius esse tot Sanctis Pontificibus, & uni Concilio generali*, Tridentino nimirum, *quàm simplici paucorum hominum inficiationi*; ut non dicam, dissimulasse Bellarminum plures Juris Canonici Textus, eos inprimis, qui non uno in loco Augustini Sententiam exhibent, Matrimonia post Votum rata esse statuentis, quam supra prolixissimè vindicatam exhibui, eademque sit ratio Voti post Matrimonium, quæ Matrimonii post Votum, ac Solennitatem Votorum Augustini Seculo incognitam fuisse, non semel hactenus ab adversariâ parte fuerit agnitum; id præprimis hic attendendum venit, quidquid sit de Lege Ecclesiasticâ, vel potius Pontificia, ipsum fateri Bellarminum, Evangelicos iisdem Sacræ Scripturæ Oraculis contra Matrimonii tantum rati ex Voto solenni solubilitatem militare, quibus ipse contra Matrimonii tantum rati ex Voto solenni solubilitatem militare, quibus ipse contra Matrimonii etiam consummati ex eâdem ratione invaliditatem usus est, ad quæ etsi Bellarminus partim ex communi Theologorum, partim ex communi Canonistarum Sententiâ respondere est conatus, non tamen id cum effectu egit, ut Evangelicis arma hæc aut in totum manibus eripere, aut ad minimum inutilia reddere potuerit, quod Examen utriusque solutionis rigorosum ostendet, alii tamen loco & tempori debitum. Nunc id insuper addo, *Thomam Sanchez* in opere suo satis spisso & crasso, quod de *Matrimonii Sacramento* scripsit, Sententiam statuere probabiliorem, *competere hoc jus professioni neq; ex naturâ rei & subindè nec ex Iure naturali Divino, neq; etiam ex solo Iure Pontificio*, vel ut Bellarminus vocat, Ecclesiastico, *sed ex solo Iure Divino positivo, Christo id privilegium ei concedente.* Et postquam pluribus demonstravit rationibus, non id ei competere ex naturâ rei, adeòque nec ex Jure naturali Divino; ut etiam ostendat, non provenire id ex solo Jure Pontificio, sed ex solo Jure Divino positivo, dicit, *Alexandrum Pontificem hoc nomine tertium in quodam hâc de re Decreto Iuri Canonico inserto fateri, deduci hoc ex Sacri Eloquii interpretatione; & in alio dicere Pontificem, Sanctos ex Revelatione Divinâ, quæ omnem superat Legem, transisse à Matrimonio Rato ad Statum perfectiorem.* lib. II. Disp. 19. Addit de suo Sanchez, *quia, cùm dissolutio Matrimonii rati sit certissima, reduci tamen debeat in causam certam, incertissimum autem sit, posse generali Lege statui dissolutionem Matrimonii rati, reducendam esse eam ad Privilegium Christi, & per hoc omnia consonare; & præterea, quia hujus Consuetudinis initium non inveniatur in Iure Ecclesiastico, sed à principio nascentis Ecclesiæ extet, credendum igitur esse, hoc Christi privilegium per traditionem haberi.* Sed nemo non videt

videt, quàm coacta hæc sint, & quàm omnia nitantur hypothesibus adhuc incertis, de causæ infirmitate sufficiens testimonium præbentibus. Et quia Exemplum ex Augustino laudatum præcisè non ad hanc, sed ad præcedentem Controversiam pertinet, cui jam ex debito satis est factum; iteratò ad illud provocamus Augustini testimonium, Matrimonia post Votum valida adserentis, quod satis supra vindicatum proximè diximus; indè illud tantum ad præsentis Controversiæ decisionem deducentes, quod, si Augustinus Matrimonia post Votum valida certis rationibus statuit, certum esse debeat, Eum neque Matrimonia ante Votum pro invalidis habere ex iisdem rationibus potuisse.

CAPVT TRIGESIMVM NONVM,
De
Eremitis.

DE quorum Instituto non pauca habet Bellarminus, quæ ab aliis Romanæ partis Scriptoribus in dubium vocantur, nobis nunc ex Instituti ratione ad id solùm intentis, quod ad eorum commendationem ex Augustino laudavit, sui temporis Eremitas in libro de *Moribus Ecclesiæ* cum circumstantiis describente. Id, sicut & ea, quæ supra de *M*onachis vel Cœnobitis ex Eodem habuimus, non negant quidem Evangelici scripsisse Augustinum ad Seculi, quo vixit, genium; attamen præter alia id inprimis observandum censent, adeò, qui hodiè Successores eorum videri volunt, & tantum quoad Vitæ genus esse mutatos, ut, si Augustinus eos coràm videret, eorumque actiones intueretur accuratius, nullo planè modo posset agnoscere Regulam à se antehàc, ut ajunt, conscriptam profitentes. Et quidem quod Vitæ Eremiticæ Institutum attinet, quam Bellarminus *Vitæ Religiosæ culmen & fastigium* dicit, & cujus suo tempore studiosos sectatores Augustinus tam insigni Elogio commendavit, illud in specie notari debet, quod citatus suprà *Antiquitatum Monasticarum* Scriptor recens de frigidâ monuit Germaniâ, *in eâ ejusmodi delitias, nimirùm Anachoreticas non nasci*, non parvâ cum Regionis aliàs satis Religiosæ infamiâ. Addo, quod alius inter suos celebris, *Cellotius*, operis Hierarchici Author, post hujus Instituti laudes ex Ecclesiæ Historiâ notanter monuit, *ex hoc Eremitarum ordine unicum fuisse Telesphorum in Romanensi Cathedrâ Pontificem.* Si enim hic ordo culmen & fastigium Vitæ Religiosæ occupat, tantisque Sectatores ejus ab Augustino laudibus commendantur, oportebat omninò, Germaniam aliàs ob varios in eâ Ordines satis religiosam non ita frigere, ut non calorem hunc Anachoreticum admitteret, suosque, quos nutrit, incolas hoc etiam Instituto ad majorem accenderet Pietatem; oportebat quoque, Sedem Romanam, quæ universalis Ecclesiæ culmen & fastigium tenere dicitur, ab eorum pluribus gubernari, quorum ordo inter cæteros omnes ob Religionis fervorem præeminere existimatur. Sed ut in hâc re nimis curiosi simus, Instituti Ratio non permittit, juxta quam satis est, quæ Augustinus de Eremitis sui temporis scripsit, ad minimum inter Germanos hodiè vix locum invenire.

Epist. 134. pag 613.

lib. V. cap. 4.

CAPVT QVADRAGESIMVM,
De
Habitu & Tonsurâ Monachorum.

DE priori quidem, nimirum de Vestitu *M*onachorum non opus est, ut prolixam Bellarmino moveamus controversiam, utut fortè non deessent, quæ de varietate & novitate ut Ordinum, ita Vestium quoque, seculo Augustini ignotâ non adeò inutiliter vel omninò præter rem moneri possent, alii loco & tempori debita. De Tonsurâ, eâque coronali aliquid ad Augustini locum à Bellarmino laudatum observasse erit operæ pretium. Scribit alicubi Sanctus Pater ad quendam Partis Donatisticæ Episcopum, eum ad Schisma tollendum exhortatus: *Per coronam nostram nos adjurant vestri, per coronam vestram vos adjurant nostri.* Non dubitat hic Bellarminus, per coronam hanc non nisi tonsam in capite intelligi posse & debere. Monet præterea *Filesacus*, fuisse hanc olim apud Afros jurisjurandi formulam. Sed præsuppo-

Epist. 147. ad Proculej.

nitur

tur hic, quod adhuc est in quæstione, & quod aliundè luculentius probari debet. Etsi enim obtestandi morem per Coronam negare ob apertissima augusti Doctoris verba non liceat, id tamen nondum est liquidum, coronam in capite tonsam juramento huic formam præbuisse singularem vel specificam, cùm ejus nullum planè in toto Epistolæ contextu adpareat indicium, neque id fingere præter Authoris mentem liceat. Non malè *Salmasius* contra Tonsores Batavos agens ad hunc Augustini & parallelum Hieronymi locum notavit, si verum sit, quod indè adstruunt Doctores Pontificii, fateri etiam eos oportere & necessarium esse ut statuatur, *eo tempore, quo Hieronymus & Augustinus scripsêre, eam tonsuram coronalem solis Episcopis fuisse quasi propriam, quæ non adhiberetur Presbyteris, & multò minus in minores promiscuè admitteretur ordines; cùm ex omnibus locis, quæ ex Patrum Scriptis producuntur, corona hæc de solis usurpata legatur Episcopis. At nunquam ostendi posse, peculiarem tunc Tonsuræ ideam in ordinandis Episcopis fuisse receptam, quæ in ordinatione Presbyterorum & Diaconorum non soleret frequentari. Aliud igitur omninò eam sonare vocem, non enim tonsuram sic tum esse adpellatam, sed honorem & dignitatem Episcopalem sive Apicem Pontificalem. Postquam enim gradus Presbyterorum & Episcoporum in Ecclesiâ ita fuerunt divisi, ut supra Presbyteralem in tantum emineret ac præcelleret Episcopalis, quantum supra Sacerdotes Iudæorum summus eorundem Pontifex caput efferebat; nominibus etiam excellentiam & prærogativam unius gradûs super alterum signantibus distingui eos placuisse. Hinc summum Sacerdotem dictum fuisse Episcopum, summum quoque Pontificem & Antistitem. Hos etiam Papas adpellatos, & cùm à quopiam adpellarentur, audivisse Sanctitatem vestram, vestram itidem Coronam*, pro, *Dignitatem vestram. Et videri hanc Coronæ adpellationem eâ notione sumtam à gentilium Sacerdotibus, vel respectum forsitan fuisse ad coronam summi Pontificis Iudæorum*, quæ omnia ibidem latius ex professo illustrantur. Mirùm verò, quod, dum Bellarminus ad probandam hanc tonsuram coronalem omnia corrasit, quæcunque aliquâ saltem ratione visa sunt inservire, laudare prætermiserit coronam Simeoni CHRISTUM - Infantem brachiis excipienti ab Augustino adscriptam, scribente: *CHRISTVS in Templo præsentabatur, & à Simeone, Sene annoso, probato, coronato agnoscebatur.* Quia enim à non uno Interpretum Papæorum Simeon hic numero Sacerdotum adscribitur, poterat videri Augustinus ei coronam adtribuisse eâ ratione, quâ etiam alia à Veteris Testamenti Sacerdotibus ad Religiosos Novi derivata statuuntur. Sed, quidquid aliis fortè visum, *Thomas de Hurtado* non ita pridem hanc Coronam interpretatus est canitiem & ex eâ calvitiem, capiti Senis annosi ornamentum coronæ instar exhibentem, id quod pluribus non unius Scriptorum testimoniis firmare nititur. Illud nunc insuper addo, laudatum ad caput antecedens *Antiquitatum Monasticarum* Scriptorem, post adductum Augustini ex *Bedâ* de coronâ hâc testimonium, ut ad Secula Augustino priora hoc aliquâ Ratione Institutum referat, mirari, *Tertullianum in libro de Coronâ Militis, ubi omnis generis coronas in medium producit, nullam hujus Coronæ Clericalis fecisse mentionem*; & ne plus debito miretur, dicere, *eo tempore tonsuram Ecclesiasticam nondum dictam fuisse coronam.* At melius dixisset, tonsuram coronalem eo tempore nondum in usu fuisse. Si enim corona talis in capite tonso vel raso Presbyterorum aut Episcoporum tempore Tertulliani visa fuisset, nunquam de eâ monere omisisset, qui tam diligenter & curiosè, imò & scrupulosè, quidquid coronæ formam in rebus Seculi haberet, tractaverit & explicaverit. Qui tot genera ibi coronarum percensuit, an prætermisisset nobilissimam omnium & solis Christianis aut Christianorum Præsulibus convenientem & dignitate præcellentem? Qui in omne genus coronamenta tam acriter & acerbè invehitur, quorum probat nullum, sed omnia damnat; debuit saltem hanc Coronam Christianam, Presbyteralem & Episcopalem è numero improbatarum & damnatarum eximere.

Et sanè fecisset, si talem tunc Coronam Clerici capite suo ex suis crinibus adumbratam circumtulissent.

Et hæc paucis.

Select. lib. II. Tract. II. cap. II. pag. 88. conf. de la Cerda, Adverf. S. cap. 137. num. 5. Epist. ad Colv. de Comâ, p. 202. seqq. conf. D. Dorsch. Anti-Corn. cap. 22. pag. 222. Adde Sarrav. Epist. ad Salmas. p. 105.

Serm. 13. de Temp.

in Resol. de Martyrio, p. 381.

Epist. 59. pag. 263.

vid. Salmas. l. cit. p. 142. seqq.

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM, & seqq.

De

Monachorum labore & mendicitate.

CIrca utrumque per Bellarminum feriari nobis liceret. Circa prius quidem, dum de Monachorum labore agens Bellarminus nihil contra Evangelicos in specie habet, sed vel contra *Messalianos*, antiquiores hæreticos, vel contra *Guilielmum de Sancto Amore*, *Iohannem Roidesum* & *Thomam VValdensem*, quibus *Iohannem Calvinum* adnumerat. Circa posterius autem, dum ad libertatem mendicandi pro Monachis vindicandam ex Augustino nihil planè subsidii potuit adferre. Sed ne hanc Quæstionem silentio prætermittamus, ad utrumque, & ex ipso quidem Bellarmino, breviter aliquid notabimus, Lectoris judicio ea committentes. Ad prius, quod laborem Monachorum manualem respicit, quem licitum esse vult Bellarminus, non verò necessarium, dum posterioris Sententiæ Patronos laborem manuum à Monachis requirentes, præter Oracula Pauli, Christianis, ut ex labore manuum vivant, præcipientis, ad Augustini consensum provocare dicit, prolixè Sententiam Ejus, additis quibusdam distinctiunculis, exponere studet, ne Monachos ad laborem manuum necessariò & promiscuè teneri statuatur. Augustini verba ab adversariâ parte laudata hæc sunt: *Quid agant, qui operari*

De opere Monach. cap. 17. *corporaliter nolunt, cui rei vacent, scire desidero. Orationibus, inquiunt, & Psalmis, & Lectioni, & Verbo Dei. Sancta planè vita, & in Christi suavitate laudabilis. Sed si ab his avocandi non sumus, nec manducandum est, nec ipsæ escæ quotidiè præparandæ, ut possint adponi & adsumi. Si autem ad ista vocare Servos Dei certis intervallis temporum ipsius infirmitatis humana necessitas cogit, cur non & Apostolicis Præceptis observandis aliquas temporum partes deputamus? citius enim exauditur una obedientis Oratio, quàm decem millia contemptoris.* Ego nihil ad hanc Augustini Sententiam de me addo, visurus, quid Bellarminus respondeat, ne Monachi necessariò & promiscuè omnes ad laborem manuum teneri videantur, hocque modo obtineat mendicandi licentiam & libertatem contra eos, qui non solùm antehac eam oppugnarunt, sed adhuc constanter oppugnare pergunt. Summa autem Responsionis Bellarminianæ est, *Augustinum in de opere Monachorum Libro solùm illos ad operandum manibus obligare, qui ante, quàm Religiosi fierent, ex labore manuum vivebant, & nunc idem facere possunt sine majoris boni impedimento, & tamen ex otio & pigritiâ nolunt; excipere autem religiosos, qui Ecclesiastica exercent Ministeria,*

cap. 21. *quales sint omnes hoc tempore Mendicantes,* & id quidem verbis sequentibus: *Si Evangelistæ sunt, si Altaris Ministri, si dispensatores Sacramentorum, benè sibi istam non arrogant, sed planè vendicant potestatem, nimirum vivendi ex facultatibus populi.* Præterea, *excipere Eum ab obligatione laborandi omnes illos, qui in Seculo fuerint divites, & Bona sua dederint pauperibus; illis enim Ecclesiam debere victum & vestitum, quandoquidem omnia sua ipsi Ecclesiæ in pauperibus dederint,* ita de iis scribentem:

cap. 25. *Si & ipsi aliquid manibus operentur, ut pigris ex Vitâ humiliore & ab hâc exercitatione venientibus auferant excusationem, multò misericordius agunt, quàm cum omnia sua indigentibus diviserunt. Quod quidem, si nolunt, quis audeat cogere?* Addit ex mente Sancti Patris, *solos ergò remanere Religiosos, qui in Seculo ex opificio vivebant, & in religione sibi solis, non populo vacant. Sed nec illos obligare absolutè ad laborem manuum, sed solùm quando, si operentur, non impediantur à majori bono, & si non operentur, pernitiosè otiosi sint. Nam si talis possit perpetuò orare aut legere, & velit id facere, & inveniat, qui eum tali in opere versantem gratis alat, posse id omninò facere.* Et ut in specie ad objectum ex Augustino testimonium pro labore manuum respondeat, dicit, *augustum Doctorem ubi Monachos non excusari debere ab opere manuum per Orationem, Psalmodiam, Lectionem & Verbum Dei scribit, clarissimè simul indicare, se non loqui de Oratione adsiduâ, nec de continuâ & publicâ Psalmodiâ, Lectione & Concione, quæ totum occupant hominem; sed Orationes, Psalmodiâ, Lectione & exhortatione privatâ & rarâ, quæ multum otii relinquant. Reprehendere Eum insuper illos Monachos, qui ex conditione servili ad Monasterium veniunt, ut vitam inopem & laboriosam fugiant, & vacui pascantur ac vestiantur, & insuper ab iis honorentur, à quibus contemni conterique consueverant.* Videt autem Lector attentus, me etiam non monente, quàm impertinenter ad modernum Vitæ Monachalis statum, ne dicam contradictoriè, hæc à Bellarmino pro Augustini Sententiâ sibi adscribendâ dicantur, ut nimirum libertas & licentia mendicandi, remotâ laborandi obligatione & necessitate, ordinibus, qui hoc nomine commendantur, operâ eò facilior vendicetur, de cujus fundamento quoad alteram præscriptæ Quæstionis partem,

ex

ex ipso Bellarmino aliquid nunc dicendum venit. Etsi enim hoc labore per Bellarminum supersedere possemus, utpotè, qui, dum ad demonstrandam mendicandi libertatem ex Augustino nihil potuit adferre, comet ipso testatus est, eam temporibus Augustini nondum ita fuisse in usu, sicut hodiè à non unius ordinis Sectatoribus fieri consuevit, non sine multo cæterorum publicæ rei Christianæ membrorum onere ac difficultate gravissimâ; ut tamen, quid de ejus fundamento, abdicatione videlicet Bonorum ac voluntariâ paupertate Voto adstrictâ, de quâ superius etiam suo actum est loco, ipsi Pontifices Romani, sibimet ipsis in hoc puncto contrarii statuerint, Lectori innocenter curioso constet, ex ipso, ut dixi, Bellarmino Quæstionem hanc inter Pontifices controversam, pro conclusione totius de Monachismi Religiosâ Professione tractationis, breviter exhibere placet, judicii libertate Lectori iterùm permissâ, an hæc & talia ad Augustini Seculum aliquâ saltem ratione possint referri. Exhibet eam Bellarminus, ubi de infallibili Pontificis Romani Judicio agens, Eum à diversis erroribus liberare satagit, quibus in Fidei & Morum Decretis erasse à non unis gravissimè accusatur, sequentibus verbis:

Trigesimus quintus Pontifex erroris accusatus est, Nicolaus hoc nomine quartus, qui „*cap. Exiit. de Verb. Signif. in Sexto*, definit, Christum verbo & exemplo docuisse perfectum Paupertatem, quæ consistit in abdicatione omnium Rerum, nullo sibi dominio „relicto, nec in particulari, nec in communi, ac proindè talem Paupertatem esse sanctam & meritoriam. At hoc falsum esse & hæreticum docet Johannes vigesimus secundus, *in Extrav. tit. eod. de Verb. signif.* Nam in *Extrav. Ad conditorem Canonum*, docet, impossibilem esse talem Paupertatem, quâ quis in rebus usu consumtibilibus abdicat se omni dominio, solo usu retento; *& in Extrav. Cùm inter nonnullos*, declarat, „esse hæreticum, dicere, Christum verbo aut exemplo talem docuisse Paupertatem. „Et *in extrav. Quia quorundam*, idem docet ac prolixè inculcat. *Addit Bellarminus*, Johannem de Turrecremată conari in omnibus hos Pontifices conciliare, ipsum etiam „Johannem niti ostendere, se à Nicolao non dissentire. At profectò, *inquit Bellarmi-*„*nus*, nisi vehementer fallor, in omnibus conciliari nequeunt. *Et ut hoc ostendat, sub-*„*jungit*, advertendum esse, tres à Johanne & Nicolao Pontificibus tractari Quæstiones, „*de quibus sequentia habet: Prima* est, an in rebus usu consumtibilibus possit separari usus „à dominio: *Secunda*, an Paupertas, quæ omne dominium à se removet, solo usu relicto, „sit sancta & meritoria? *Tertia*, an Christus talem verbo & exemplo docuerit Paupertatem? *Ad singulas suum interponit judicium Bellarminus.* De primâ, inquit, respon„det Johannes, non posse separari usum à dominio in ejusmodi rebus; dominari enim „est, posse rem destruere. Proindè impossibile est, posse rem utendo destruere, ut „panem comedendo, & non esse dominum illius rei. At Nicolaus docet, id fieri pos„se, & rectè; nam idem apertè postea docuit Clemens V. *in Clement. Exivi de Paradi-*„*so, tit. de Verb. signif.* Et ratio est manifesta, quia esse Dominum non est, posse rem de„struere quocunque modo, sed posse liberè destruere, quando, ubi, quomodo quis vo„luerit, quin etiam donare, vendere, commutare &c. Constat autem, *inquit insuper* „*Bellarminus*, omnes veros Religiosos habere usum Panis, quem comedunt, & Vini, „quod bibunt; nec tamen posse illa donare, vendere, mutare, projicere &c. *Dices*, er„gò erravit Johannes Pontifex. *Respondet Bellarminus*, ita videri, sed non in re Fidei; „hanc enim Quæstionem ad Fidem non pertinere, Pontifice ipso Johanne id agno„scente, imò adhuc esse de hâc re varias Doctorum Sententias. *De Secundâ Quæstione* „*scribit Bellarminus.* Nicolaus sentit, illam Paupertatem esse Sanctam & meritoriam. „Johannes negat. Et quanquam melius videatur sentire Nicolaus, tamen neque Ni„colaus hoc definivit tanquam Fidei articulum; utpotè qui solùm intendit renuntiare „dominio earum rerum, quæ donantur Franciscanis, quæ Romani Pontificis esse „Nicolaus adseruerat, cui juri renuntiare potuit Johannes. *De tertiâ Quæstio-*„*ne*, quæ omnium gravissima est, & ad Fidem pertinet, *Bellarminus ait*, non dis„sentire Johannem & Nicolaum. Nicolaus enim dicit, CHRISTUM aliquando „perfectissimam paupertatem illam verbo & exemplo docuisse, aliquando autem „Paupertatem minus rigidam exemplo demonstrasse, tanquam communem omni„um Patrem & Doctorem. Johannes autem definit, esse hæreticum adserere, „Christum nihil unquam his in terris habuisse proprii, nec in speciali, nec in communi; „*quæ duo non pugnare videntur Bellarmino, hâc additâ ratione:* Nicolaus enim non negat, „Christum aliquando habuisse aliquid proprii saltem in communi; sed negat, Christum

lib. III. de Pont. Rom. cap. 14.

„ semper talem egisse vitam. Johannes quoque non negat, Christum aliquando nihil „ habuisse proprii, nec in speciali, nec in communi; sed negat, Christum semper *talem egisse vitam*. Hæc omnia & adhuc plura ibidem Bellarminus, partim ne Nicolaus in re Fidei aliquid erronei decrevisse, partim ne eidem Johannes videatur contrarius; quod utrumque sicut omninò negare non potuit Bellarminus, ita dum ad ductum laudati Cardinalis de *Turrecrematâ* contrarias hasce Pontificum & sibi invicem oppositas Definitiones Juri Canonico insertas inter se studuit conciliare, fecit quidem, quod fidelem & industrium Romanæ Sedis & jactatæ Infallibilitatis Papæ Defensorem decere existimavit, sed non eo per omnia successu, ut nihil contradictionis remanserit, officioque satis ex asse possit videri fecisse, quod sine multo labore Lector judicio qualicunque præditus, rem cum re, causam cum causâ, Sententiam cum Sententiâ conferens deprehendet, atque Bellarminum non adeò feliciter Mediatoris vel Conciliatoris partes in hâc Controversiâ, duos Pontifices sibimet invicem adversarios concernente, sicut in aliis pluribus suscepisse observabit. Nunc ante, quàm Monasterio, quod duce Bellarmino sumus ingressi, eodem duce post non planè nulla labyrinthorum fastidia egrediamur, adpendicis & Corollarii loco unum adhuc ex Augustino de Statu Monachismi testimonium adponere juvat, ac Perfectionis Monachalis jactatoribus objicere, quod *Gratianus* Juri Canonico voluit insertum: *Etiam atq; etiam* cogitanti, quid sit utile Salu-

16. quæst. 1. c. Legi. „ ti eorum, quibus in Christo nutriendis servimus, nihil aliud mihi potuit occurrere, „ nisi, non esse istam viam dandam servis Dei, ut se facilius putent eligi ad aliquid me„ lius, si facti fuerint deteriores; & ipsis enim facilius lapsus, & ordini Clericorum in„ dignissima fit injuria, si desertores Monasteriorum ad militiam Clericatus eligantur, „ cùm ex eis, qui in Monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque melio„ res in Clerum adsumere soleamus, nisi fortè, sicut vulgares dicunt, malus choraula est „ bonus symphoniacus, ita iidem ipsi vulgares de nobis jocabuntur, dicentes, malus „ Monachus est bonus Clericus. Nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam „ Monachos surrigamus, & tam gravi contumeliâ dignos putemus Clericos in quo„ rum numero sumus, cùm aliquando bonus etiam Monachus vix bonum faciat Cle„ ricum, si adsit ei sufficiens Continentia, & tamen desit Instructio necessaria, aut per„ sonæ *regularis integritas*. In quo Augustini testimonio cæteris omnibus prætermis„ sis illud inprimis considerationè videtur dignum, quâ ratione cum jactatâ perfectio„ ne Monachali possit consistere, ut bonus etiam aliquando Monachus vix bonum fa„ ciat Clericum?

vid. Cellot. de Hier. p. 323. Launoj. Adsert. Inquis. in Privil. S. Medardi, pag. 510.

vid. D. Calixt. resp. c. Mogunt. part. alt. num. 28. seqq.

LIBRI TERTII
De
LAICIS,
CAPVT DECIMVM SEPTIMVM, & seqq.
De
Magistratûs Politici Curâ circa Religionem.

PRætermissis in tertio hoc de Ecclesiæ Membris libro omnibus Controversiis antecedentibus, quas Bellarminus prolixè satis, contra antiquiores pariter & Recentiores Anabaptistas, de Magistratûs Politici Divinâ Authoritate, in impiis etiam atque infidelibus, ejusdemque potestate Legislatoriâ & Bellicâ tractavit, utpotè in quibus sibi non contrarios habet Evangelicos, Anabaptistarum & his similium errores ex Scriptura Sacra & Antiquitate orthodoxa constanter damnantes & refutantes; ad eam sine omni ambage nos vertimus Quæstionem, quæ de cura Magistratûs Politici circa Religionem agit, & quidem tam in genere, quàm in specie; quamvis quæ in genere circa hanc Controversiam ex Augustini authoritate veniunt notanda, jam supra suum habuerint locum, ubi de Regimine Secularium in Ecclesia actum fuit, quibus amplioris illustrationis causa id videtur adhuc posse & debere addi, quod laudatus paulò ante *Gratianus* ex Augustino Juri Canonico inseruit, ad rem præsentem omninò pertinens:

Tem-

„ *Temporibus Prophetarum* omnes Reges, qui in populo Dei non prohibuerunt nec ever- c. Imperatores, di-
„ terunt, quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur; & qui prohibuerunt stinct. 9.
„ & everterunt, supra aliorum merita laudantur. Et Rex Nabuchodonosor, cùm ser-
„ vus esset Idolorum, sacrilegam constituit Legem, ut Simulachrum adoraretur; sed
„ Ejus impiæ constitutioni, qui obedire noluerunt, piè fideliterque fecerunt. Idem
„ tamen Rex Divino correctus miraculo piam & laudabilem Legem pro veritate con-
„ stituit, ut quicunque diceret blasphemiam in Deum, cum domo suâ penitus interiret.
„ *Et in antecedentibus:* Imperatores, quando pro falsitate contra veritatem malas con-
„ stituunt Leges, probantur benè credentes & coronantur perseverantes; quando au-
„ tem pro veritate contra falsitatem bonas constituunt Leges, terrentur sævientes &
„ corriguntur intelligentes. Quicunque ergò legibus Imperatorum, quæ pro Dei ve-
„ ritate feruntur, obtemperare non vult, grande adquirit Supplicium; quicunque verò
„ legibus Imperatorum, quæ contra Dei veritatem feruntur, obtemperare non vult,
„ *grande adquirit præmium.* Quæ verba non de Legibus solùm Politicis, sed Ecclesia-
sticis etiam intelligenda esse, nemo non videt, id quod satis clarum de curâ Magistra-
tûs Politici circa Religionem Divinitùs commissa præbet testimonium & pro Subdito-
rum quorumvis debitâ obligatione adque eam respectu argumentum. Addantur ea
Augustini verba, quæ Bellarminus ideò adducit, ut ad *M*agistratum pertinere Religio-
nis defensionem ostendat, & videbit Lector, non parùm ex eorum adplicatione rem
hanc juvari. Restant nunc in specie ea breviter discutienda, quæ de Magistratûs Po-
litici debito partim contra libros hæreticorum, partim contra ipsos hæreticos, corpora-
libus pœnis, quin ipsâ etiam morte mulctandos, in medium & quidem ex Augustino
quoque Bellarminus adducit. *Prius quod attinet*, libros videlicet hæreticorum, statuit
de iis, *quod jure interdicantur & exurantur*, anthoritate nimirum & mandato Magistra-
tûs Politici. Id ut Lectori persuadeat, post alia Ecclesiæ Doctorum testimonia ad Au-
gustinum quoque provocat, monentem, *Hæreticum esse vitandum, ne infirmos fallat aut*
parvulos &c. Exindè sequentem in modum argutatur Bellarminus: *Si tantopere vitanda* Epist. 62.
sunt hæreticorum Colloquia, quantò magis libri; nam oratio in libris scripta est magis compo-
sita & artificii plena, quàm quæ in colloquiis usurpatur. **Deindè**, *est semper ad manus; nam*
Conciones & colloquia sunt rara, & verba ore prolata mox transeunt, verba autem in libris
manent perpetuò & semper nobis adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent. Præ-
tereà, *magis spargantur; potest enim aliquis per libros toti ferè terrarum orbi simul loqui, li-*
bri multorum domos & cubicula penetrant, quos eorum Author nunquam vidit, & ad quos for-
tè nunquam admitteretur. Quæ his instantiæ possent opponi, ea inprimis, quâ Vox viva docere, trito & per Experientiam probato dicitur Veriverbio, prolixè nunc non ur-
geo, Augustini etiam adprobans monitum, quo ad Apostoli ductum hæreticos consul-
tum duxit esse vitandos, infirmis præsertim & parvulis, ob Judicii defectum à falsis vera
discernere impotentibus. Id tantùm noto, non indè sequi, omninò interdicendos
esse & comburendos omnes omnium hæreticorum libros, cùm si Augustinum alibi
consulamus, multa ex Eo liceat depromere, quæ aliud planè possunt suadere. Quæ-
cunque enim Is in gratiam librorum à Philosophis Gentilium scripsit, certâ ratione et-
iam hic aliquem habere debent locum. Egregia autem sunt, quæ augustus Doctor in
„ hanc rem scripsit: *Philosophi, qui vocantur*, si quæ vera fortè & Fidei nostræ accom- lib. II. de
„ moda dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed & ab eis, tan- Doctr.
„ quam injustis possessoribus, in nostrum vendicanda usum. Sicut enim Ægyptii non Christ.
„ solùm Idola habebant & onera gravia, quæ populus Israel detestaretur & fugeret, sed cap. 40.
„ etiam Vasa atque ornamenta de Auro & argento, quæ populus ille Ægypto exiens
„ sibi potius tanquam ad usum meliorem clanculò vendicavit, non authoritate propriâ,
„ sed præcepto DEI, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non benè
„ utebantur; sic omnes Gentilium doctrinæ non solùm simulata & superstitiosa figmen-
„ ta, gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrûm duce
„ Christo de societate gentilium exiens abominari debet atque devitare, sed etiam libe-
„ rales Disciplinas usui Veritatis aptiores & quædam Morum utilissima continent præ-
„ cepta, deque ipso uno Deo colendo nonnulla inveniuntur apud ipsos vera, quod tan-
„ quam Aurum & argentum eorum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam qua-
„ si Divinæ Providentiæ, quæ ubique est infusa, metallis eruerunt, & quo perversè atq;
„ injuriosè ad obsequia Dæmonum abutuntur, quùm ab eorum miserâ societate sese ani-

„mo separat, debet ab eis auferre Christianus ad justum Evangelii *prædicandi usum*. Quæcunq; hic Augustinus in commendationem Spoliorum Ægypti, & per adplicationem librorum Gentilium non abolendorum, sed in usum Christianæ Veritatis convertendorum benè scripsit, & exemplis non solùm Mosis, Prophetarum ante & post Christum maximi, sed & illustrium Ecclesiæ Doctorum, *Cypriani, Lactantii, Hilarii, Optati*, aliorumque illustravit, quam optimè ad libros hæreticorum certâ ratione quadrant, utpotè qui utplurimum non ita erroribus in totum sunt referti, ut non hic & ibi in iis aliqui Divinæ Veritatis Radii transpareant, qui ipsi debitâ collecti industriâ errantibus lumen accendere possunt, ut eò faciliori industriâ ab erroribus possint liberari. Bellarminus certè non semel ex Eorum Scriptis, quos tanquam hæreticos sibi sumsit refutandos, contradictiones varias collegit, nullum, ut opinor, alium in finem, quàm ut contraria juxta se posita magis luceant, & per id, quod ipsi quidem videtur verum, adversarius ad erroris agnitionem eò promtius ducatur; quem is laborem & contra hæreticos disputandi methodum observare non potuisset, si omnes omnium hæreticorum juxta partiale Ejus judicium libri flamma fuissent absumti. Et ut de studio Evangelicorum contra hæreses agentium simile habeamus Exemplum, careret orbis verè Catholicus insigni *Confessionis Catholicæ* opere, æternâ laude digno, si omnes libri Vulcano tradi deberent, in quibus hæreses & errores damnati traduntur; qui potius maximo cum emolumento à nobis leguntur, eaque diligenter seliguntur, quæ per singularem Dei providentiam ex iis ad Orthodoxæ Veritatis confirmationem inservire possunt, ipsis hostibus non ratò præter mentem & intentionem suam, adeòque ut videtur, invitis ei testimonium præbentibus, præjudicio non contemnendo, sed ex debito maximi æstimando, dum juxta Samsonicum ænigma præter solitum naturæ ordinem cibus egreditur de comestore & dulcedo de forti, quidquid etiam iis videatur, quibus non nisi domestica & quotidiana placent, stomacho ad ea, quæ non planè nullo labore & aliundè comparantur, fastidiente. Similis est Augustini locus, quem *Gratianus* in Jure Canonico suppeditat, sequentia ad citationem ex Poëta gentili Apostolicam scribentis: *Si Paulus, nescio cujus, alienigenæ testimonium, quia verum comperit, etiamsi ipse attestatus est; cur nos, apud quemlibet invenerimus, quod Christi est, & verum est, etiamsi ille, apud quem invenitur, perversus & fallax est, non discernimus vitium, quod homo habet, & Veritatem, quam non suam, sed Dei habet?*

c. Dominus, 1. Quæst. 1.

Et ut in specie de hæreticorum libris Augustinum audiamus testem, referti huc potest, quod alibi in genere de hæreticis scripsit: *Vtitur Ecclesia gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ.* Et post aliqua: *Vtamur hæreticis, non ut adprobemus eorum errores, sed ut Catholicam adversus eorum insidias Disciplinam adserentes, vigilantiores simus & cautiores, etiamsi eos ad Salutem revocare non possimus.* Ubi nullum planè debet esse dubium, quæcunque hic de usu hæreticorum monuit Augustinus, de eorum libris etiam intelligenda esse. Undè patet, *Augustini* Sententiam non fuisse, hæreticorum quà talium libros omninò abolendos aut in pulverem convertendos.

De Verâ Relig. cap. 6. cap. 4.

Multò minus existimari debet, quod alterum est præsentis Controversiæ caput, Eum tali rigore erga homines hæreticos procedi voluisse. Bellarminus quidem ad suas trahere partes conatur augustum Doctorem, concedens, *quod aliquando senserit, hæreticos non esse vi cogendos ad Fidem*, sed addens, *Eum id retractasse & prolixè probasse, esse id utilissimum*, hâc tamen cum conditione, *quod semper exceperit Supplicium Mortis; non quod illos hoc non mereri putaret, sed tum, quia hoc decere Ecclesiæ mansuetudinem existimabat, tum etiam, quia nondum extabat ulla Lex Imperatorum, quâ hæretici juberentur occidi.*

NB.

Quod autem Augustinus existimaverit, justum esse, si hæretici occiderentur, indè perspicuum esse putat Bellarminus, *dum alicubi ostendit, quod si morte punirentur Donatistæ, justè punirentur.* Alibi etiam scripsit: *Occidunt animas, adfliguntur in corpore; sempiternas faciunt mortes, & temporales se perpeti conqueruntur*, ubi dicit, juxta Bellarminum, *falsò illos conqueri, quod occiderentur ab Imperatoribus; tamen si etiam esset verum, adhuc injustè conquererentur.* Et iterum alibi dicit, *Ecclesiam quidem nolle ullum occidi hæreticum, tamen sicut domus David non potuit habere pacem, nisi Absalon extingueretur, & David pace regni mœrorem mortis filii consolatus est; sic cum ex legibus Imperatorum contra hæreticos sequitur mors aliquorum, Ecclesiam materni cordis dolorem lenire ac sanare tantorum populorum liberatione.* Sixtus Senensis hanc Quæstionem tractans, sequentia Retractationis

Tract. 11. in Joh.

Epist. 50. ad Bonif.

„ nis Augustinianæ verba laudat: *Mea primitùs* Sententia erat, neminem ad unitatem Bibl. S. lib. 6. Annot. 60.
„ Christi esse cogendum; verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vin-
„ cendum, ne fictos haberemus Catholicos, quos apertos noveramus hæreticos. Sed
„ hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur ex-
„ emplis. Nam primò mihi opponebatur Civitas mea, quæ cùm tota esset in parte Do-
„ natistarum, ad unitatem Catholicam timore Legum Imperialium conversa est; quam
„ nunc videmus ita hujus detestari perniciem, ut in eâ nunquam fuisse credatur. Ita &
„ aliæ (civitates) multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agno-
„ scerem, etiam in hâc causâ rectè intelligi posse, quod Scriptum est: Da sapienti occa-
„ sionem, *& sapientior erit.* Idem Sixtus de eodem Augustino testatur, Eum verba Chri-
sti, dicentis, *sinite simul utraq; crescere usque ad messem*, explicantem monere, *ea in hoc tantum casu servanda esse, quando zizania sine exstirpatione tritici non possunt exstirpari, id est,* Matth. 13
quando hæretici nequeunt occidi & extingui, nisi etiam cum eis Catholici trucidentur; sed cùm metus iste non subsit, & crimen eorum notum sit & execrabile, nec tales habeant defensores, per quos Schisma possit contingere, tunc adversus eos Severitatem esse exercendam. Post plures alios hoc argumentum proximis duobus Seculis non atramento, sed sanguine describentes, novissimè & prolixissimè, sed & rigorosissimè de eo egit Professor non ita pridem Lovanienſis, *Iohannes Sinnichius*, Saulem Ex-Regem Orbi erudito quasi redivivum novo genere commentandi sistens, qui plura etiam in hanc rem ex Augustino testimo-
„ nia congessit, quibus perspicuũ esse existimavit, *Imperatores, Reges* ac Principes quos-
„ que Christianos non modò posse, sed etiam debere suas ditiones in unicâ, verâ, lib. I. cap. 28.
„ Catholicâ, Apostolicâ Religione continere, omnesque ejusdem Religionis desertores num. 103.
„ ad reditum pro viribus compellere, refractarios aliis deficientibus mediis efficacibus
„ & opportunis Supplicio etiam extremo adficere. *Addit*, Quando ad pacationem
„ Ecclesiæ necessaria judicabitur cædes hæreticorum, procul dubio ex Augustini men-
„ te ad Principes Christianos pertinet eam inferre, ita ut, si id negligant, rationem red- num. 104.
„ dere de suo Imperio nequeant. *Et iterum in sequentibus scribit:* Quoniam Sectarii,
„ Ecclesiam modò vexantes ac pro viribus dissipantes, utuntur potissimum authoritate
„ Augustini, ut suam à gladio Seculari Immunitatem impunitatemque adstruant; idcir-
„ cò crebrius authoritate Ejus in hâc uti libuit materiâ, ut adpareat, quàm fuerit eis in
„ eo adversus, in quo jactant ipsum se habere Patronum. Constat enim redargui ab Ipso
„ Donatistas exemplo interemtionis Idololatrarum & veneficorum, quam fatebantur
„ justam, & nihilo-minus prætendentes, hæreticorum cædem esse injustam. Adserit,
„ hæreticos esse fures & latrones, adeòque ei obnoxios Supplicio, cui fures & latrones.
„ Dicit, similem esse pœnam hæreticorum & Martyrum, sed dissimilem causam, & ideò
„ hos non illos esse Martyres reputandos, quia non pœna Martyrem faciat, sed causa.
„ Irridet præterea Donatistas, qui jure punitos voluerunt haberi Martyres. Hæreticos
„ censet Supplicio dignos, utique extremo, *inquit Sinnichius*, pro quo mitigando apud
„ Judices intercedebant Episcopi. Justificat factum Constantini, jubentis hæreticos
„ in campum, id est, ad Supplicium duci, *Sinnichius iterùm ex titulo de Verborum significa-*
„ *tione scribit.* Addit porrò, eos pati & merito criminum & ordine potestatum, ubi cri-
„ minum nomine hæreses intelliguntur & schismata, *quæ & hic Sinnichii paraphrasis est.*
„ Censet eos non justè de Suppliciis posse conqueri, quamdiu se non purgent ab hære-
„ sium ac Schismatum sacrilegiis. *Post citatam à Sixto Senensi Retractationem, Sinnichius*
„ *hanc addit, utpotè posteriorem:* Sunt duo libri, quorum titulus est, Contra partem Do-
„ nati, in quorum primo dixi, Non mihi placere ullius Secularis Potestatis impetu
„ Schismaticos ad Communionem violenter arctari, & verè tunc mihi non placebat,
„ quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quan- lib. II. Retract. cap. 5.
„ tum eis in melius mutandis conferre posset diligentia Disciplinæ. *Addit Sinnichius,*
„ Igitur experientiâ doctus pristinam lenitatem in rigorosiorem mutavit severitatem.
„ *Vndè cum circa finem Vitæ adversus Iulianum hæreticum Pelagianum scriberet, & ille Episco-*
„ *palem audientiam pro hæreticis jam antea damnatis denuò flagitaret, respondit:* Hæresis non
„ adhuc examinanda ab Episcopis, sed coërcenda est à Potestatibus Christianis. *Anteà*
„ *quoq; de eodem Iuliano aliisq; Pelagianis ad Papam Bonifacium scripsit:* Istorum Superbia
„ hanc etiam captare intelligitur gloriam, ut propter illos orientis & occidentis Synodus
„ congregetur; orbem quippe Catholicum, quoniam pervertere Domino eis resisten-
„ te nequeunt, commovere saltem conantur, cum potiùs vigilantiâ pastorali post fa-
„ ctum illis competens sufficiensque Judicium, ubicunque isti adparuerint lupi, sint

„conterendi. *Hæc omnia ex Augustino pro hæreticorum Supplicio Doctor Lovaniensis, nihi-*
„*lominus fateri coactus*, Sanctum Patrem crebrò inculcare Christianam mansuetudi-
„nem in exstirpatione hæresum ac schismatum, exigentem, ut vitæ corporali parcatur,
„dummodò securitati religionis sufficienter provideatur, *ita de hæreticis scribentem ad*
Epist. 127. conf. Epist. 258. seqq. „*Africæ Proconsulem*: Corrigi eos cupimus, non necari; nec Disciplinam circa eos ne-
„gligi volumus, nec Suppliciis, quibus digni sunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata
compesce, ut sint, *quos pœniteat peccasse*. Ita diversus planè & contraria inter se, diversis
ututt temporibus, de hâc Quæstione sentiens Augustinus à Doctoribus Papæis produ-
citur, eo suæ partis præjudicio, quod hæreticorum Supplicia, quæ antehàc videri potuit
abominatus esse, meliora edoctus postmodùm adprobaverit, eaque instanter & con-
stanter urserit, id quod gravaminibus Evangelicorum contra sanguinarias hodienum
in Ecclesiâ persecutiones non parum obficeret, si hæc ita nudè & crudè ab augustissimo
Doctore contra hæreticos quà tales fuissent proposita. Videndum igitur, quid de
Sancti Patris Sententiâ statui debeat, & quæ mens Ejus fuerit circa hæreticorum coer-
citionem.

Notatu autem digna sunt, quæ celebris hoc Seculo Literator, *Hugo Grotius*, in non
Luc. 14. paucis Papizans, ad vexatum illud Oraculum, *Compelle intrare*, de Augustini Sententiâ
non semper eâdem observavit: *Facit hic locus me memorem* eximii inter Veteres Docto-
„ris, qui, cùm antea multis in libris adseverasset, neminem esse ad professionem Fidei
„cogendum, quâ in re nihil certè dixerat, quod non ante Eum dixerant Justinus, Athe-
„nagoras, Tertullianus, Arnobius, Minutius, Lactantius, & quotquot alicujus ante no-
„minis vixerant; mutatæ mox nonnihil (NB. *non-nihil, non autem omninò*) Sententiæ
„hujus loci obtendit authoritatem, quasi debeant cogi, qui sepes constituunt, hoc est,
„ut Ipse interpretatur, qui divisiones in Ecclesiâ quærunt. Nimirum vel hoc adparet
„exemplo, quanto aliter judicemus, cùm res ipsas sine adfectu introspicimus, aliter
„cùm facti quæstio incidit, quo fit, ut non semper sint σοφώτεραι αἱ δευτέραι φρονίδες. Ex-
„pressit hoc illi Donatistarum pertinacia, quos, ut undique urgeret, etiam hoc telum ar-
„ripuit; cùm tamen hic locus manifestò pertineat ad gentes Fidem adhuc non profes-
„sas, quas Ille ne tunc quidem cogi voluit, cùm Christianos ad professionis unitatem
„cogendos arbitraretur. Atqui quàm multa sunt ἐν ταῖς παραβολαῖς, quæ in re significante
„Sensum habent proprium, in re significatâ non nisi valdè figuratum. Quid, quod ne
„in ipsâ quidem fabulâ ἀναγκάζειν de pœnis corporalibus aut minis pœnarum potest in-
„telligi? Non enim eo modo convivæ cogi solent, sed importunâ flagitatione. Dici-
Matth. 14. Marc. 6. „tur Jesus coegisse discipulos, ut navem intrarent, quod certè nec trudendo nec trahen-
„do fecit, sed Magisterii sui authoritate. Rursum duo illi, qui Emauntem ibant, Jesum
„παρεβιάσαντο, ut secum maneret, instanter rogando scilicet. Dicitur Petrus coegisse
„gentes ad Judaismum, non vi ullâ scilicet, sed exemplo. Sic igitur gentes ad Fidem
Galat. 2. „quasi coactæ, dum Apostoli Eorumque adjutores illis instabant εὐκαίρως, ἀκαίρως, per
„Christum obtestantur, addunt dictis miraculorum authoritatem & *innocentissimæ Vitæ*
exemplum. Benè hæc Grotius ad illustrandam Parabolæ mentem & ad mitigandam
Augustini de coercitione hæreticorum Sententiam. Egregia est etiam observatio *Spon-
dani*, Annalium Baronianarum Epitomatoris & Continuatoris diligentissimi, sequentia
Ann. 385. num. 6. circa hanc Quæstionem notantis: *Quamvis minimè reprehensum fuerit aliquando, ad-
versus hæreticos auxilium implorare Principum, quod Augustinus & alii sæpè probantur fecisse,
idq; fieri ritè & legitimè idem adversus Donatistas disputans demonstrat, sed & hoc ipsum a
Maximo Imperatore probè utiliterque factum, Leo in Epistolâ ad Turibium, Asturicensem Epi-
scopum commendat; tamen nullus unquam Sanctorum Patrum laudavit, pœnam capitis adver-
sus eosdem hæreticos posse vel debere procurari à personis Ecclesiasticis. Undè & in Ecclesiâ Cath-
olicâ usu est receptum, ut, cùm quis à Secularibus Magistratibus opem adversus impios expe-
tit, ne Ithacianæ partis sectator esse videatur, contestationem illam consultò præmittat, se se
correctionem expetere incorrigibilium delinquentium, ut tamen citra pœnam Sanguinis pun-
antur.* Mirum, in Galliâ hæc ausum scribere *Spondanum*, cui exempla in contrarium,
& recentissima quidem, incognita esse non potuerunt. Quid Evangelici circa Augu-
stini Sententiam in hâc Quæstione censeant monendum, prolixâ non opus habet dedu-
vid. D. Dorsch. Anti-Chris. p. 217. ctione, cùm si laudata ex Eo testimonia accuratius ponderentur, & debitâ inter se dili-
gentiâ conferantur, facilè adpareat, non adeò procul ab Eo distare Evangelicos, Bellar-
mino id fateri coacto, quod etsi retractans etiam priorem Sententiam judicaverit utilis-
simum, hæreticos vi quâdam ad Fidem cogendos, semper tamen mortis Supplicium

exce-

exceperit, existimans, decere id Ecclesiæ mansuetudinem. Et quamvis *Sixtus Senensis* id in hoc casu intelligendum esse putet, quando nimirum zizania sine tritici damno exstirpari non possunt, id est, quando hæretici occidi & extingui nequeunt, nisi etiam Catholici unà trucidentur, quo casu cessante & sublato ex mente Augustini existimat, severitatem erga hæreticos esse exercendam; non tamen advertit, præter Parabolæ intentionem plus etiam ultra eundum esse, ita, ut etiamsi non sperandum sit, zizania in triticum iri mutatum, posse tamen fieri & factum esse, ut ex hæreticis fiant Catholici, sicut Augustinus ipse, intercedentibus Matris devotissimæ precibus, ex errore & hæresi Manichæorum ad Christi Ecclesiam fuit conversus, quo tanquam illustri organo & excellentissimo Doctore, quin & insigni hæreticorum malleo Ecclesia careret, si omnes Manichæi mortis Supplicio fuissent adfecti. Neque etiam *Sinnichius* potuit dissimulare, usum hoc moderamine Augustinum, ut per Ecclesiæ disciplinam corrigi quidem voluerit hæreticos & à Politico Magistratu eorum petulantiam compesci, noluerit autem eos necari aut Suppliciis exerceri. Id verò, quod retractavit, & in quo Sententiam mutavit Augustinus est, quod, dum ab initio verbo tantum, disputatione & rationibus agendum censuit cum doctoribus hæreticorum, edoctus postmodum, nihil hâc ratione contra eorum petulantiam effici, sed eos magis semper magisque fieri efferatiores, imò vi etiam adhibitâ rem suam agere & errores disseminare, consultum duxerit, vim eorum vi contrariâ esse repellendam, atque ovile per Magistratûs Politici brachium à luporum immaniter grassantium truculentiâ defendendum. Notari enim ad percipiendam Augustini mentem probè debet, Eum in hâc suæ mentis mutatione & quali-quali Retractatione non de hæreticis in genere quibusvis & quà talibus, sed in specie de Donatistis, tanquam de hominibus seditiosis, sicariis & Christianicidis agere, qui errores suos per multam vim & insignem strepitum, non sine præsentissimo orthodoxorum periculo propagare studuerunt, id quod antehàc pluribus ex Augustino testimoniis, singulari industriâ collectis, celeberrimus antehàc Juridicæ Facultatis in Universitate Argentoratensi Senior, *Justus Majerus*, contra sanguinarium *Casparis Scioppii* classicum ita dedit demonstratum, ut nihil planè desiderari possit. De cætero constans fuit Augustini Sententia, hæreticos esse quidem vi etiam Politicâ coërcendos, quà hæreticos tamen non esse necandos. Egregium certè est, quod alicubi scripsit: *Nullis in Catholicâ Ecclesiâ bonis hoc placet, si usq; ad mortem in quemquam, licet hæreticum, sæviatur.* Alibi etiam notanter Fratres ad suæ dispensationis curam pertinentes hortatur: *Diligite homines, interficite errores, sine Superbiâ de Veritate præsumite, sine sævitiâ pro Veritate certate.* Pertinet huc integra Augustini Epistola, quam ad Judicem *Apringium* scripsit, quâ Eum monet atque hortatur, ut Circumcelliones Donatistas etiam crimina, quorum accusabantur, confessos memor Ecclesiasticæ mansuetudinis mitius puniat, hæc inter alia scribens: *De vobis quidem dixisse Apostolum legimus, quod non sine causâ gladium geratis, & Dei sitis ministri, vindices in eos, qui malè agunt. Sed alia est Provinciæ, alia Ecclesiæ causa. Illius terribiliter gerenda est administratio, hujus clementer commendanda est mansuetudo.* Quin & referri huc debet spes illa, quam Augustinus de non planè nullis inter hæreticos concepit, eorumque cum non paucis Christianorum comparatio ab Eodem instituta, scribente: *Multi, qui apertè foris sunt, & hæretici adpellantur, multis & bonis* (suo nimirum sensu) *catholicis meliores sunt. Quid enim sint hodiè, videmus; quid cras futuri sint, ignoramus. Et ideò quidem, apud quem sunt præsentia, quæ futura sunt, etiam quod futuri sunt, jam sunt.* Accedit periculum à nimio contra hæreticos & indebito rigore, quod graviter idem Sanctus Doctor exposuit: *Quidam intuentes præcepta Severitatis, quibus admonemur corripere inquietos, non dare Sanctum canibus, ethnicum habere contemtorem Ecclesiæ, à compagine corporis membrum avellere, quod scandalizat; Ita perturbant Ecclesiæ pacem, ut conentur ante tempus separare zizania, at q. hoc errore excæcati, ipsi potius à Christi unitate separantur, qualis causa nobis est adversus Schisma Donati.* Ante omnia autem hic legi merentur, quæ Pater augustus eo in libro scripsit, quem Papæi Doctores circa alias Fidei Controversias non parvi æstimare solent. Est is, quem contra *Epistolam Manichæi fundamentalem* scripsit, sub cujus Initium hæc in rem præsentem leguntur: *Quanquam Dominus per Servos suos regna subvertat erroris, ipsos tamen homines, in quantum homines sunt, emendandos esse potius, quam perdendos jubet. Et quidquid Divinitùs ante ultimum illud judicium vindicatur, sive per improbos, sive per justos, sive per scientes, sive per nescientes, sive occultè, sive palàm; non ad interitum hominum, sed ad Medicinam valere credendum est, quam qui respuerint, extremo præparantur Supplicio.* Et post aliqua Manichæos ita adloqui-

P. 156. seqq.

lib. III. contra Cresc. cap. 50.

lib. I. contra lit. Petil. cap. 29.

Epist. 160.

lib. IV. de Bapt. c. Donat. cap. 3.

loquitur: *Illi in vos sæviant, qui nesciunt, cum quo labore verum inveniatur, & quàm difficilè caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quàm rarum sit & arduum, carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, cum quantâ difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri Solem istum, non quem vos colitis, cœlesti corpore oculis carneis & hominum & pecorum fulgentem atque radiantem, sed de quo scriptum est per Prophetam, Iustitiæ Solem. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quibus suspiriis & gemitibus fiat, ut quantulâcunque parte possit intelligi DEVS. Postremò illi in vos sæviant, qui nullo tali errore decepti sunt* (vel fuerunt) *quali vos vident deceptos.* Addantur sequentia, in quibus describit Augustinus, quàm difficulter & quanto cum labore errores Manichæorum superaverit, & manifestum erit, tot hic esse contra sanguinariam hæreticorum quà talium coercitionem argumenta, quot ferè verba leguntur. Agmen claudat monitum, quo *Marcellinum* Comitem ita in coercitione Donatistarum resipiscere nolentium citra mortis pœnam versari voluit Augustinus, *ne passiones Ser-*
Epist 158. *vorum Dei, quæ debent esse in Ecclesiâ gloriosæ, Inimicorum sanguine dehonestentur.* Eat jam Bellarminus, *Sixtus Senensis, Sinnichius*, omnesque alii hæreticidæ sanguinarii, nil nisi mortem & interitum spirantes eorum, quos causâ etiam inauditâ, adeòque non ex debito judicatâ, Zelo præter scientiam turgidi, pro hæreticis habent & publicè proscribunt, utplurimum, quid ad definitionem hæresios pertineat, turpiter ignorantes, & hinc non nisi cœco quodam impetu ad extrema quævis ruentes, ipsi, si res justè examinetur, hæreticorum maximi; eant, inquam, & quem agnoscunt Doctorem fuisse augustissimum Patremque Sanctissimum, ab Eodem discant, nisi dudum aliquid amplius in viâ Veritatis discere, inque salvificâ Divinæ Revelationis cognitione ulterius proficere desiverunt, discant, inquam adhuc semel, quæ Augustini in laudatis ab utràque parte testimoniis, quibus similia adhuc plura hinc indè in Ejus Scriptis extant, mens fuerit & Sententia constans, posterioribus Annis non omninò, sed non nihil saltem ob Donatistarum pertinaciam mutata, semper tamen à cæde & sanguinis effusione abhorrens, utpotè quam ipso teste Bellarmino etiam post Retractationem semper in coercitione hæreticorum voluit exceptam, non ideò tantum, *quia tum nulla adhuc Lex Imperatorum extabat, quâ occidi jubentur hæretici*, quæ frivola Bellarmini est exceptio, id quod tamen argumento esse potest, non esse hanc Legem Ecclesiasticam, Divinâ authoritate munitam, imò neque Augustini calculo firmatam, sed post Augustini demum tempora, mansuetudine Ecclesiasticâ passim emortuâ, latam; sed quia secundum ipsius Bellarmini judicium, Ecclesiæ mansuetudinem non decere hunc rigorem existimabat, quem qui hodienùm induunt, cujus Spiritûs filii sint, ostendunt.

Hâc Quæstione de potestate Magistratûs Politici circa punitionem & omnimodam occisionem hæreticorum ad Augustini Sententiam mitiorem sic breviter expeditâ, quantum Lectori Veritatis studioso videbatur posse sufficere, conjunctim, quæ antehàc separatim & sparsim, in publicam lucem emissi prodierunt *Tractatus de Controversiis Fidei & generales & speciales* Fratrum *Valenburchiorum*, qui ab Annis triginta & amplius *Augustinianâ Methodo* pluribus formis recusâ & auctâ, Ecclesiæ Romanensi probare se studuerunt, submisso opere alio, quod de *Unitate & Schismate* agit, itidem non semel edito cum quibusdam incrementis, in cujus *Libro sexto* dum objectam tyrannidem amoliri student, ex professo *Gerhardum* sibi refutandum sumserunt, omnia readsumendo & prolixissimè ventilando argumenta, quæ in hâc Controversia communiter solent proponi, Augustini etiam authoritate non neglectâ, utpotè quam aliàs quoque ubivis occasione datâ solent urgere, quasi nimirùm Augustinus in solidum staret à partibus Papæ Romani. Quamvis autem non liceat ob vitandam prolixitatem iteratò hanc ex Augustino tractare Materiam, non tamen prætermittere possum, quò minus pauca quædam ex citato opere, quod Adpendicis instar priori Tomo subjunxerunt, huc adponam, quæ rigorosissimis aliàs Judicii rigorosioris in punitione hæreticorum defensoribus expressit Veritatis amor, cujus radios non paucos inter tenebras errorum obscuriores aliàs etiam emiserunt apertissimè. In libri igitur citati, partisque ejusdem prioris capite post decimum sexto, ubi, quid propriè in Quæstione sit, quid non sit, ex
num. 11. p. 181. & seqq. suâ mente indicârunt, sequentia de Augustino legi voluerunt: *Nullius ignorat, eam fuisse Augustini Sententiam, quod à capitali hæreticorum supplicio putaverit abstinendum. Sed non ideò existimavit injustam fore Legem, quæ extremum in hæreticos statueret Supplicium; aut immeritam fore pœnam, si Mors hæreticis inferretur à potestate civili. Dixit ipse, quid*

secun-

secundùm Manſuetudinem Chriſtianam ſentiret eſſe faciendum; non improbavit, quòd ſecundum rigorem Politicum à Chriſtianis Principibus juſtè poterat fieri. Imò hoc ipſum, quod à Principibus Chriſtianis adverſus hæreticos ex Regulâ Iuſtitiæ licitum erat, non tacuit Auguſtinus; quantumvis judicaret, eum Iuſtitiæ rigorem iſto tempore ſuo adverſùs hæreticos non eſſe exercendum. Et poſtquàm mutationis Sententiæ ab Auguſtino factæ meminerunt, hæc porrò Lectori obſervanda commendârunt: *Pro circumſtantiis ſui temporis judicavit, hæreticis non eſſe inferendam Mortis pœnam. Nec mirum eſt, Eum id tenuiſſe, tum quia mitior Sententia naturaliter eſt gratior, tum quia nec dum extabat eo tempore ulla lex Imperatorum, pœnam hæreticorum in quoslibet hæreticos proponens*, uti notavit Bellarminus: *Tali lege non extante judicavit, ab extremo Supplicio eſſe abſtinendum rogandosque Iudices, ne illud inferrent; maximè cum minorem pœnam authoritate publicâ conſtitutam ſciret Eccleſiæ perutilem.* Ubi etiam ad duplex teſtimonium, quod *Gerhardus* ex Auguſtino pro Donatiſtis, ne occiderentur, intercedente objecerat, reſpondetur, his inter alia verbis ſunt uſi: *Duæ ſunt cauſæ, cur id roget. Vna propter Conſcientiam, quia, ſolis Eccleſiaſticis coràm Iudicibus Imperatoriis cauſas Eccleſiaſticas inſinuantibus, indecens videbatur Auguſtino, ſi ad inſtantiam qualemcunque Eccleſiaſticorum pœna Mortis cuipiam irrogaretur.* Altera *propter commendandam Manſuetudinem Chriſtianam atque Catholicam. Quamvis enim digni eſſent Morte, qui de tantis criminibus* (NB. Ipſimet Fratres agnoſcunt ex Auguſtino in Donatiſtis crimina non in rebus Fidei, ſed contra Legem Decalogicam;) *erant confeſſi, conveniebat tamen Manſuetudini Catholicorum, etiam pro vitâ illorum intercedere, qui vitâ erant indigni; conveniebat etiam honori Martyrum*, ne paſſiones Servorum DEI, quæ debent eſſe in Eccleſia glorioſæ, inimicorum Sanguine dehoneſtentur, *uti loquitur Auguſtinus.* Pluribus iterùm interpoſitis ſuam de toto hoc negotio quaſi ex mente Auguſtini ita proponunt Sententiam: *Fatemur, pro commendandâ Eccleſiæ manſuetudine faciendum eſſe, quidquid ullo modo fieri poteſt ſine detrimento fidelium, & quia tempore Auguſtini magnus erat profectus Religionis Catholicæ ex minoribus pœnis adverſùs hæreticos poſitis, quemadmodum Ipſe variis locis teſtatum fecit, quod etiam hoc tempore faciunt variis in locis Epiſcopi Catholici, qui dehortantur Magiſtratus à pœnâ capitali contra hæreticos ſtatuendâ. Si autem incidant tempora, quibus poſt alia adhibita remedia non videatur cautum ſecuritati fidelium, niſi pœna capitalis adverſùs hæreticos proponatur, non eſt negligenda ſecuritas fidelium ſub prætextu commendandæ Manſuetudinis Eccleſiaſticæ; quia non obligantur Magiſtratus eam ſequi Manſuetudinem, quæ hæreticorum reſpectu habet quidem Manſuetudinis ſpeciem, reſpectu fidelium verò, quorum negligit ſecuritatem, verè crudelis eſt.* Hæc Fratres quaſi ex mente Auguſtini, quæ uti pleraque non adeò displicent, ita ſi à theſi ad ipſam deveniamus hypotheſin, pervellem, nominetenùs expreſſiſſent Epiſcopos, quos vocant, *Catholicos*, & variis quidem in locis, Auguſtinianæ Manſuetudinis obſervatores, qui Magiſtratus dehortentur à pœnâ capitali contra hæreticos ſtatuendâ. Nam ut antecedentis Seculi & temporum antè actorum hiſtorias non tangam, neminî, qui hodiè vivit, ſimilia innotuerunt Exempla; quin potius, quæ in omnium auribus non ex Rumore vano verſantur, ſed quæ Fama in publico ebuccinat, & quorum teſtes vivi ſuper adhuc ſunt, contrarium exhibent planè, talia videlicet non Chriſtianæ, non *Catholicæ* Manſuetudinis, ſed tantæ crudelitatis contra nullius criminis (niſi Religio Evangelica, uti olim, pro crimine habeatur,) reos exercitæ documenta, quæ Martyriis antiquorum veræ Fidei Confeſſorum poſteritas, ſi quæ futura eſt, non immeritò adnumerabit, ſanguinarium pro Pietate eorum, quos negotium hoc tangit, Zelum maximo cum ſtupore admiratura.

Ter-

Tertiæ Controversiæ DE ECCLESIA IN PURGATORIO,

LIBRI PRIMI CAPVT TERTIVM, De *Probatione ejus ex Veteri Testamento.*

EX eo quidem aliquot ligna ad exsufflandum Ignem in alterâ Vitâ purgatorium colligit Bellarminus, sed non ejusdem æstimii, ut Ipse ultrò fatetur, de cæteris omnibus, solo Maccabaico excepto scribens, quod *probabiliter saltem* adhibeantur, & quia Patres Sancti iisdem ad illustrandum hunc Ignem usi fuerint. De authoritate testimonii Maccabaici, ut prolixè hic agatur, opus non est, cùm sub initium hujus operis, libro nimirum primo *de Verbo DEI*, capite post decimum quinto, id præstitum sit, omniaque Augustini loca sufficienter fuerint excussa, quæ Bellarminus pro more suo ad opus extendendum iteratâ vice hic adduxit. Quamvis verò de cæteris ex Veteri Testamento locis Bellarminum habeamus fatentem, ea Purgatorium non nisi *probabiliter* suadere, quia tamen addit, Sanctos Patres iisdem ad probandum illud usos fuisse, ea in specie prætermitti non debent, quæ Augustini authoritate niti videntur. In numero eorum *quartus* est, qui Regium Psaltem habet authorem, ita DEO humiliter supplicantem:

Psal. 6. & 38. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.* Bellarminus hæc de eo habet: *Etsi hæc verba variè possint exponi, Augustinus tamen ita exponit, ut in furore argui à Deo, sit in æternum damnari; in irâ autem corripi, sit puniri severè post hanc Vitam, ad correctionem tamen & emendationem.* Addit ipsa Sancti Patris verba, mentem Regii Psaltis, ut putat, exhibentia: *In hac vita purges me, talem me reddas, cui jam emendatorio Igne opus non sit.* Non urgebo, quod *Gerhardus* noster & *Chamierus* in hujus loci Vindiciis monent, pro *Igne emendatorio* in quibusdam Editionibus legi, *emendato Igne*, cùm Lovanienses in ultima harum in Psalmos Enarrationum editione ad manuscriptos Codices, ut in Titulo profitentur, castigata *emendatorium* post alios plures exhibeant, neque adeò multum ad rem ipsam videatur interesse, sive *emendatum*, sive *emendatorium* Augustinus scripserit. Id præprimis hic attendendum venit, Augustinum in Sexti Psalmi enarratione discrimen, cui Bellarminus Ignem Purgatorium superstruxit, non agnoscere, sed omninò tollere, imò etiam aliquatenus invertere, sequentia scribentem: *Corripias, mitius videtur; ad emendationem enim valet. Nam, qui arguitur, id est, accusatur, metuendum est, ne in finem habeat damnationem. Sed quoniam furor plus videtur esse, quàm ira, potest movere, cur illud, quod est mitius, id est, correptio, cum eo positum est, quod est durius, id est, cum furore? Sed ego,* inquit Augustinus, *unam rem duobus verbis significatam puto.* NB. Et ne id frustra statuere videatur, addit: *Nam in Græco* θυμὸς, *quod est in primo versu hoc significat, quod* ὀργὴ, *quod est in secundo versu. Sed cùm Latini vellent etiam ipsi duo verba ponere, quæsitum est, quid esset vicinum iræ, & positum est furor. Ideò Codices variè habent. Nam in aliis prius invenitur ira, deindè furor; in aliis furor prius, deindè ira. In aliis pro furore ponitur indignatio aut bilis. Sed quidquid illud est, motus est animi provocans ad pœnam inferendam.* Et hanc vocabulorum indifferentiam ipse Bellarminus agnoscere debuit, in Explicatione sexti hujus Psalmi scribens: *Petitio est hæc veré pœnitentis & contriti, qui super omnia peccatum odit. Nam tunc Deus arguit, id est, accusat & corripit peccatorem in ira & furore, quando non castigat, ut salvet, ex amore paterno, sed ut perdat*

perdat & Iustitiæ satisfiat; quod facit in hâc vitâ, quando percutit cæcitate & obstinatione, ut sit peccatum pœna peccati, in aliâ verò vitâ, quando perdit in Gehennam. Iste igitur concussus horrore, & timens abyssum judiciorum Dei, non recusat flagellum pœnarum, quæ non separant à Deo, sed compellant ad Deum; sed horrendum, id est, tradi in desideria cordis sui, in passiones ignominiæ, obdurari, & tandem in æternum separari à facie Dei. Porrò, *iræ & furor pro eodem accipiuntur hoc loco, sicut etiam argui & corripi; est enim familiare Prophetis, id ipsum bis accipere, explicandi vel inculcandi gratiâ.* Nulla in his Bellarmini verbis scintilla Ignis purgatorii adparet, quibus si aliorum quoque Interpretum, nominatim *Iacobi de Valentiâ, Cajetani, Eugubini, Genebrardi, Iansenii Gandavensis, Titelmanni, Agellii, Maldonati, Lorini, &* noviſſimi omnium *Muisii* Explicationes adjungantur, nihil pro Igne hoc excitando subsidii præstabunt. Quin & ad Psalmum trigesimum & septimum vel juxta Ebræos octavum non mutavit Sententiam Bellarminus, ad hanc suam verborum Davidis paraphrasin provocans, utut Augustini quoque de Purgatorio Igne Sententiam, libero tamen Lectoris arbitrio proposuerit, de quâ notandum *primò*, quod eam Doctor augustus eo Apostoli oraculo niti existimaverit, quod post ex Ejusdem mente plenius examinabitur; *deindè*, inhæsisse quidem Augustini animo aliquam de quodam Igne post hanc Vitam Purgatorio opinionem, sed alio longè sensu & splendore, quàm quo in oculis Papæorum lucet, cùm Ignis Purgatorius, quem Augustinus, sed probabiliter tantum, credidit, tum demum ex Ejus Sententiâ ardere incipiet, cùm Papisticus jam fuerit extinctus, ut paulò post amplius indicabitur; ut adeò demonstratio Ignis Purgatorii ex testimonio Davidis ad sensum Augustini intellecto ineptè sit à Bellarmino susceptа. Sed etsi ita esset, atque Augustinus verba Regii Psaltis de Igne Purgatorio ad sensum Ecclesiæ Romanensis hodiernæ intellexisset, quo tamen modo Eum non intellexisse certum omninò est, id *tertiò* adhuc restat observandam, vix ac ne vix quidem Doctores Romanos in aliis S. Scripturæ testimoniis explicandis admissuros, ut si solus cæteris Patribus contrarium vel aliud sentientibus singulare quid statuat Augustinus, de cujus in Psalterium Enarrationibus *Sixti Senensis* judicium supra audivimus, contra cæteros omnes solus obtineat, Ejusque explicationi tanquam optimæ & solùm valituræ standum sit. Atqui ex priorum Seculorum temporibus neminem Augustino in hujus Dicti explicatione consentientem adjungere potuit Bellarminus, non intermissurus, si unus & alter Ei occurrissent. Quod enim *Bedam, Haymonem, Dionysium Carthusianum* ad has citat partes, nemo non videt, quàm longè ab Augustini Seculo sint dissiti, & quàm non ad illud Authoritatis culmen pertingant, quâ alii Ecclesiæ proximiorum post Apostolos Seculorum Doctores adhuc hodiè ex debito inter Orthodoxæ Veritatis Professores gaudent, ut *Origenem & Arnobium*, utpotè non unâ de causâ suspectos, taceam, ex Latinis *Hieronymus*, ex Græcis *Basilius, Chrysostomus, Theodoretus*, suis quisque meritis in rem Ecclesiæ publicam illustres, nullam omninò hujus Augustinianæ Explicationis mentionem facientes, è quorum numero dum *Chrysostomus* non postremum occupat locum, placet in gratiam curiosi Lectoris aliqua depromere ex eâ in Psalmum sextum Homiliâ, quam cum paucis quibusdam aliis, ante Annos non ita multos, ex Manuscripto Codice Regiæ in Hispaniâ Bibliothecæ S. Laurentii Scorialensis, *Joh. Baptista Cotelerius*, è Collegio Sorbonæ, in Galliâ cum Interpretatione Latinâ ac Notis edidit, in quâ ad mentem Regii Psaltis super citata Ejus verba hæc leguntur: *Propheta* tremendo „Tribunali oculis mentis adsistens, quasi jam nudus ac demissâ cervice, nihil præterea „rogat Judicem, nisi id duntaxat: *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Novi Domine, „quod horrendum ac terribile me manet Tribunal coram Angelis & omni Creaturâ, „ubi Tu super formidandum ac excelsum Thronum ad judicandum præsides, & omnium delictorum, quæ peracta sunt, manifestationem ac revelationem facis; & non audeo, neque à facie multorum peccatorum meorum, apud Te confiteri, Domine, quia „majus est peccatum meum, quàm ut dimittar, quia plus cæteris hominibus in Te deliqui, quia ultra modum Nomen Tuum exacerbavi. *Peccata mea, sicut onus grave, „gravata sunt super me, & curvatus sum usque in finem.* Sanctum nomen tuum irritavi, „mandatis Tuis non obtemperavi, Divitias tuas improbè dissipavi, Thesaurum tuum „malè consumsi, Arrham, quam mihi dederas, cum inimicis tuis comedi; Vocem „mandati tui non servavi, Tunicam, quâ me indueras, sordidavi; Lucernam, quam „mihi paraveras, extinxi dormitans; Faciem meam, quam expurgaveras & laveras, „peccatis dehonestavi; oculos meos, quos illuminaveras, pravè iterum excœcavi; „Labia mea, quæ sanctificaveras, iterùm maculavi. Et scio, Te omninò acta mea re-

„ prehensurum; ac propterea non est, quò effugiam, sed prorsus arguar, necesse est,
„ *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Non dico, ne arguas me, sed, ne in furore tuo ar-
„ guas me. Lucrer & ego, auferamque hoc à Te, qui solus es humanus. Tu nosti
„ accuratè omnes meos lapsus occultos: verùm ne *in furore tuo arguas me*, ne publices,
„ ne manifestes illos omnibus Angelis & hominibus in meum dedecus. *Domine, ne in*
„ *furore tuo arguas me.* Nam si mortalis Regis iram nemo ferre valet, quanto minus Dei
„ iram ac furorem sustinebit creatura. *Neq; in irâ tuâ corripias me.* Non dico, ne cor-
„ ripias, omnes enim correptione & castigatione indigent, sed, dum me corripies, ne in
„ irâ tuâ corripias. Domine, quandoquidem innatum habes ac inseparabilem huma-
„ nitatis abyssum & longanimitatis pelagus, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ
„ corripias me, sed adhuc atque adhuc erga me esto patiens; ne festines immaturum
„ me è Vitâ demetere, neve properes me exscindere ut ficum infructuosam, sed tan-
„ quam bonus ac benignus Dominus dona mihi cum cæteris Beneficiis hunc etiam An-
„ num ad Pœnitentiam, & ne tædio adficiaris in portandâ meâ desidiâ, & ne rapias *im-*
„ *paratum &c.* Hæc & alia ibidem plura *Chrysostomus*, si modò *Chrysostomum* agnoscunt
„ Parentem, ut quidem laudatus Editor extra omne dubium ponit, id quod Lectoris ju-
dicio commendamus.

Sequitur nunc ex Veteris Testamenti pro Igne Purgatorio testimoniis ordine & numero *sextum*, ex libro Vaticiniorum Isaiæ desumtum, ubi inter alia hæc leguntur: *Si*
cap. 4. *abluerit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem laverit de medio ejus, in Spiritu judicii, & Spiritu combustionis.* Notat Bellarminus, *Augustinum exponere hunc Locum de pœnâ Purgatorii.* De quo ut certi simus, quid statui debeat, observandum est, quod ad antecedens quoque ex Psalterio testimonium monuimus, credidisse Augustinum probabiliter, futurum (non esse jam) in ultimo Judicii die aliquem Purgatorium Ignem, & de eo non tantum Malachiæ testimonium, quod paulò post in considerationem veniet, sed & citatum Esaiæ intelligendum esse. Verùm addidit notanter San-
lib. 20. de Civit. Dei, cap. 25. ctus Doctor: *Nisi fortè sic eos dicendum est emundari à sordibus & eliquari quodam modo, cùm ab eis mali per judicium pœnale separantur, uti illorum segregatio atq; damnatio sit istorum purgatio, quia sine talium de cætero commixtione futuri sunt.* Quæ Augustini Explicatio si valet, nullo planè modo ad Ignem Purgatorium, qualem Papistæ credunt, pertinere potest. Certè *Leo Castrius*, Doctor Salmaticensis, ante hoc Seculum amplissima è Patribus in hunc Prophetam scribens Commentaria, remittit quidem industrium Lectorem ad hoc Augustini testimonium, sed præter id aliam Ejus super hoc Oraculo laudat Sententiam; *Augustinus intelligit his verbis Fidei Sacramentum declarari, hoc est, Baptismo, quo purificantur, qui mortis fuerant rei, ut sint æternæ Vitæ hæredes.* Et iterùm: *Mihi perplacet Augustini Sententia, ut significatum hoc loco sit tempus, quando promissa sunt complenda, quando Dominus Sacro Baptismate eluerit humani generis peccata, tunc Spiritum ardoris datum esse significat; non enim in nudâ abluti sumus aquâ, sed Spiritu Sancto, & Igne Divino liquatæ & excoctæ sunt animorum nostrorum sordes.* Addit, ita etiam hoc Oraculum explicare *Hieronymum, Cyrillum, Procopium*, & ex parte *Chrysostomum.* Recentiorum ex Papæis Interpretum, nominatim *Hectoris Pinti, Franc. Forerii, Ariæ Montani, Sanctii, Cornelii à Lapide, Tirini*, & inprimis *Alvarezii* Explicationes vitandæ prolixitatis causâ non adduco, illud saltem noto, neque hic Bellarminum sincerè egisse, hujus Oraculi mentem ex Sententiâ Augustini ad Ignem Purgatorium trahendo, id quod ab *Immanuele Sa*, & *Iohanne Marianâ*, Bellarmini vestigia prementibus, (nescio an ex malitiâ, an ex imprudentiâ?) factum est; cùm & ille Ignis Purgatorius, de quo dubitanter hoc Oraculum explicavit Augustinus, alius planè sit ab Igne Papistico, & insuper aliam Ipse subjecerit Interpretationem non improbabiliorem, si non magis probabilem, quin & *Leo Castrius*, Interpres hujus Prophetæ plurium Elogiis commendatus, aliam planè & quammaximè commodam ex Eo laudaverit, ad Ignem hunc Purgatorii minimè pertinentem.

Succedat nunc juxta ordinem à Bellarmino observatum Locus pro Igne hoc Purgatorii numero *nonus*, Augustini videlicet authoritatem & consensum, si Bellarmino fides habenda, secum ferens. Ita enim porrò Bellarminus: *Nonus est Locus ex nono capite Zachariæ:* Tu autem in Sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos tuos *de lacu*, in quo non est aqua. *Etsi enim hunc locum adducunt passim pro liberatione Patrum ex limbo, melius tamen convenit liberationi animarum ex Purgatorio, „ quas Christus eduxit, cum eò descendit*

post

post mortem suam, primò, *quia isti rectius dicuntur vincti*; secundò, *quia in Purgatorio non est aqua consolationis, quæ est in limbo, ut patet ex cap. 16. Lucæ de Lazaro. Vnde Augustinus contendit, Christum, cum descendit ad Inferos, non solùm Patres invisisse, sed eos etiam, qui cruciabantur in Inferno, id est, in Purgatorio, & inde multos eorum liberasse.* Atqui Bellarminus ipse suprà de Descensu Christi ad Inferos agens, defensurus, *animas piorum non fuisse in Cælo ante Christi adscensionem*, ad hoc etiam Zachariæ Oraculum provocat, addens, *Patres communi hoc docere consensu*, & de Augustino in specie monens, *etsi ambigere videatur, an sinus Abrahæ, ubi olim fuerint animæ Patrum, in Inferno, an alibi esset; affirmare tamen, in Inferno fuisse, ut omnes cæteri Patres semper docuerint.* Cùm aliorum Ecclesiæ Doctorum vindicias scribere hujus non sit loci, sufficiat nunc saltem illud monuisse, grandem hic Augustino fieri Injuriam, supra ostensam luculentissimè, ubi de Christi ad Inferos descensu ex professo fuit actum. Accedit, Bellarminum sibimetipsi contrarium esse, dum Oraculum Zachariæ, quod antehàc de Patrum Limbo voluit intellectum, nunc ad Purgatorii Ignem fovendum attrahit, utrobique Augustini authoritate fretus, cùm tamen ignorare nec potuerit, nec debuerit, Sanctum Patrem aliter longè de hoc Zachariæ Oraculo scripsisse, sequentem videlicet in modum: *Quid per hunc locum Propheta velit intelligi, diversa possunt sentiri, etiam secundum rectam Fidem. Mihi tamen videtur non eo significari melius, nisi humanæ miseriæ siccam profunditatem quodammodo & sterilem, ubi non sunt fluenta Justitiæ, sed iniquitatis Lutum.* Etli autem fortè Augustinus alicubi hunc lacum de Purgatorio intellexisset, cujus tamen nullum ex omnibus Ejus operibus facere potuit indicium Bellarminus, quamvis fucum Lectori faciens, ac si Augustinus Expositioni suæ de Purgatorio faveret; nobis tamen satis esse posset, quod non plane nulli ex Interpretibus Papæis, non attentâ Augustini authoritate, aliter de eo senserint. *Esthius* certè in suis *Additionibus*, utut celebratiorem apud Authores de Patrum Limbo sensum adducere non neglexit, Unum tamen hunc esse notanter scripsit, *Christum in Sanguine Testamenti sui, id est, per meritum Passionis suæ, & per Sanguinem illum in Cruce effusum, quo dedicatum est Novum Testamentum, omnes electos suos, qui tenebantur tanquam vincti & incarcerati sub potestate Diaboli & sub jugo peccati, ex eâ iniquitate liberasse; & secundum hanc Expositionem, lacum, in quo non est aqua, captivitatem esse humani generis, quâ quamdiu detinetur, vacuum est ab aquâ Gratiæ Divinæ.* Ante illum *Arias Montanus* Oraculi hujus Sensum ad Statum populi sub Testamento veteri retulit, gratiam Novi fœderis in eo promissam „ existimans: *In hujus Testamenti* sanguine Israelitas à durissimæ & inutilis servitutis vin„ culis relaxandos liberandosque eos Deus pollicetur, ergastulis illis, in quibus olim o„ mnes fuerant, nunc verò maximè illorum reliquiæ sunt; namque ad plenam Israelita„ rum liberationem hoc Vaticinium spectat. Adpellatur autem illa Israelitarum con„ ditio lacus, in quo non est aqua; quæ descriptio cum omnibus illis temporibus aptè, „ sed cum his aptissimè collata convenit, quando illa olim Israelitarum servitus parùm „ utilis existimata sit, quippè quæ nihil ad perfectum adduxerit, nunc verò non inutilis „ modò, sed pernitiosa etiam sit. Accedente namque & extante Christi luce omnis „ illa rituum ceremoniarumque atque traditionum Judaica umbra parùm olim salubris, „ obsolescens tandem pestilens esse cœpit. Atque hæc res aptissimâ translatione à Vate „ explicata est. Namque subterraneus lacus, in quo aqua vel non fuerit, vel esse desie„ rit, tum humido, caliginoso, crassoque aere propter corruptas terræ exhalationes of„ funditur, tum maleficis & nocentibus Serpentum bestiarumque generibus abundat. „ Omnis autem hæc descriptio ad antiquam Ægyptiacæ Servitutis imaginem refertur; „ neque enim hæc, in quâ nunc Israelitæ sunt, aut levior aut clementior quàm illa est, de „ quâ olim fuit scriptum. Adeò sibi sacra omnis Scriptura ubique constans & consona „ est. Atque hoc in loco Israelitæ secundum carnem olim fuêre, in quo, sed multò de„ teriore, ut diximus, ii etiam, qui illud nomen adhuc tuentur, sunt; quibus Divinæ li„ bertatis & salutis desiderium & expectationem *Vates ipse ex Divino Responso commovere studet.* Et ad hunc ferè Sensum novitius in plerosque Testamenti utriusque Libros Exercitator, *Castaneus*, Pictavorum in Galliâ non ita pridem Episcopus, hoc Zachariæ Oraculum sequenti illustravit paraphrasi: *Tu quoq;, Christe, in Sanguine Novi Testamenti tui, tamdiu præstolati, emisisti gratuitò vinctos olim homines durioribus præceptis à Mose promulgatis de Veteris Legis lacu, in quo non est Baptismatis aqua, quælibet piacula leniissimè abstergens, sed cruentum dolorem inurens Circumcisio.*

Epist. 89. ad Evod. lib. 12. in Gen. cap. 33. lib. IV. de Christo; cap. 11. lib. 20. de Civit. Dei, cap. 15. conf. Sixt. Senens. Bibl. S. lib. V. Annot. 261. lib. 18. de Civ. Dei, cap. 35.

Restat nunc ultimus ex Veteri Testamento pro Igne Purgatorii locus ex Malachiâ desumtus, sequens de Christo Oraculum exhibens: *Ipse sedebit quasi Ignis conflans, &* cap. III.

purgabit filios Levi, & colabit eos &c. de quo Bellarminus hæc habet: *Hunc locum exponunt de pœnâ Purgatoriâ* Origenes, Ambrosius, Hieronymus, *Augustinus* &c. Addit, *Quanquam pœna illa Purgatoria non est ea, de quâ nunc agimus, nam illa purgabit viventes, nos autem agimus de pœnâ mortuorum; rectè tamen indè infertur Purgatorium. Nam ideò tunc præcedet tribulatio gravissima, & posteà etiam ignis descendet, & purgabit celerrimè omnes Reliquias Peccatorum in hominibus justis, quia tunc repentè Ecclesia, quæ est in terris, adsumenda erit ad Sponsum, nec erit tempus purgationis ulterius, ut nunc est post mortem ante judicium.* Ut de consequentiâ inconsequente non dicam, quam per se videt Lector aliquatenus saltem judicare doctus, illud præprimis notandum est, Bellarminum Augustini super hoc Oraculo Sententiam ritè non expressisse, cùm id Eum de purgatione viventium, in hoc nimirum Seculo, intellexisse scribit; contrarium enim ex ipsius Sancti Doctoris verbis perspicuum est. Nam ubi prolixe satis hoc Prophetæ Vaticinium verbotenùs adduxit, ita de eo suam expressit Sententiam: *Ex his videtur evidentius adparere, in illo Judicio quasdam quorundam purgatorias pœnas futuras*, quam suam Sententiam, adducto etiam illo Esaiæ Oraculo, quod paulò ante vindicatum est, in sequentibus comprobare studet, ut adeò opus sit credere, Bellarminum vel ab alio seductum non ipsum inspexisse locum, vel studio singulari fallere Lectorem incautum voluisse. Quid de hâc Augustini Sententiâ habendum sit, ut hic excutiatur, necessum non est, cùm sufficere possit, eam cum Bellarmini Sententiâ non eandem esse, id quod ipse, utut eam non ritè expresserit, ex parte fateri coactus fuit. Accedit nunc, *Christophorum de Castro*, & Complutensem antehàc & Salmanticensem Doctorem, concedere quidem, *multos eosque graves Authores, nominatim* Eusebium, Chrysostomum, Theodoretum, *Augustinum, de posteriori ad Judicium adventu hoc Vaticinium intellexisse; at veriorem existimare Expositionem Cyrilli, Theodoreti* semetipsum corrigentis, *Ruperti, Dionysii Carthusiensis, Vatabli, Ariæ Montani*, aliorum, *de priori adventu Christi hanc Prophetiam intelligentium.* Addo *Franciscum Riberam*, ejusdem Sententiæ Interpretem; & ex superabundanti ipsum quoque Bellarminum, sui iterùm ex more non semel hactenus observato immemorem, qui sub initium hujus de Igne Purgatorio tractationis, ubi de tribus è S. Scripturâ Purgatoriis agit, ad secundum, quod hujus Vitæ tribulationibus adscribit, hoc ipsum Malachiæ Oraculum refert, ideò *quod de iis ad literam videatur intelligendum*, addens expresè, de hoc Igne Purgatorio, nimirum hujus Vitæ tribulationum, hic non agi, *tum quod sit extra Controversiam, tum etiam, quod non semper tribulatio hujus vitæ sit purgatoria.* Et tamen, ubi Ligna ad exsufflandum Ignem purgatorium fuerunt comportanda, hic quoque locus aliquem inter cætera Veteris Testamenti loca minus pertinenter adducta occupare debuit locum, ne quid ad ejus illustrationem, potiùs obscurationem & omnimodam extinctionem deesset.

lib. 20. de Civit. Dei, cap. 25.

vid. D. Dorsch. in Artic. abus. Disp. 4. pag. 92.

CAPUT QUARTUM, & seqq.

De

Novi Testamenti pro Purgatorio Testimoniis.

INacie hic collocatur illud, quo Christus testatur, *esse quoddam peccatum, quod non remittatur, neq; in hoc Seculo, neq; in futuro.* Hinc scribit Bellarminus colligere Sanctos Patres, interque eos Augustinum, *quædam peccata remitti in futuro Seculo per orationes & suffragia Ecclesiæ.* Quia ad duo Augustini loca provocat Bellarminus, de ùtroque in specie videndum, quid statui debeat. Et prior quidem, quem respicere videtur Bellarminus, in Editione Parisiensi ante hoc Seculum curatâ sequentem in modum habet: *Pro defunctis „quibusdam*, vel ut dicitur pro mortuis, vel Ecclesiæ vel quorundam piorum exauditio„rationem ejus, licet, qui in Christo renati, non adeò ita malè vixerint in corpore, ut ta„li misericordiâ habeantur indigni, nec iidem sic benè, ut inveniantur tali misericordiâ „non egere. Tales etiam constat ante Judicii diem per temporales pœnas, quas eorum „spiritus patiuntur, purgatos receptis corporibus Ignis æterni Suppliciis non tradendos. „Quod si ita est, quid dicendum est de his, qui in simili vitâ inveniuntur in die Judicii, id „est, quos hujusmodi dies ille viventes invenerit, cùm quodammodo uno momento „moriantur & resurgant, & non sit spatium, ut pro eis aut Oratio Sanctorum possit audiri, „aut eorum vita ante Judicium temporali pœnâ purgari? Numquid dicendi sunt æterno „Igni nunquam absolvendi posse tradi tempore Judicii, quibus vitam talem egisse concedi-

Matth. 12.

lib. 21. de Civ Dei, cap. 24.

„cedimus, ut si ante Judicium mortui essent, temporali Supplicio ac Sanctorum oratio-
„nibus mundarentur? Ipsius quippè Ecclesiæ vel quorundam piorum exauditur oratio,
„sed pro his, quorum in Christo Regeneratorum nec usq; adeò vita in corpore malè ge-
„sta est, ut tali misericordiâ judicentur digni non esse, nec usq; adeò benè, ut talem mi-
„sericordiam reperiantur necessariam non habere; sicut etiam factâ resurrectione mor-
„tuorum non deerunt, quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum, imper-
„tiatur misericordia, ut in Ignem non mittantur æternum. Neq; enim de quibusdam ve-
„raciter diceretur, quod eis non remittatur, neque in hoc Seculo, neq; in futuro, nisi es-
„sent, quibus, etsi non in isto, tamen *remitteretur in futuro*. Sed notavit *Ludovicus Vives* conf. Voss. Thes. Theol. Disput. 6. pag. 101. in suis ad hoc Augustini opus Commentariis, in antiquis Brugensibus & Colonien sibus Libris priores horum verborum versus non legi, sed hæc tantum haberi: *Pro defunctis quibusdam vel ipsius Ecclesiæ vel quorundam piorum exauditur oratio, sed pro iis, quorum in Christo regeneratorum nec usq; adeò vita in corpore malè gesta est.* Reliqua non haberi, ac neque in Exemplaribus Friburgi excusis. In margine adjicitur, *caret eis & Parisiense Exemplar*; id quod sine dubio de Codice manuscripto intelligendum erit. Et quamvis idem *Vives*, Censor aliàs satis accuratus, judicet, *stylum non abhorrere ab Augustiniano, & forsàn aut deesse hæc in aliis Codicibus, aut ex alio aliquo Augustini opere huc primùm ceu Scholium adscripta, & deindè contextui Orationis admixta esse*; nemo tamen non videt, rem hanc esse non nisi suspectissimam, dubio nimirum loco uti in re, quæ non parvi adeò momenti est, & quâ in dubium vocatâ plures Fidei Papisticæ articuli dubio exponuntur: Accedit, etiamsi omnia hæc Augustini verba esse concedamus, ita tamen in sequentibus augustum Doctorem de toto hoc argumento, quod tractavit, scribere, non quasi aliquid certi voluerit definire, sed probabiliter tantum suam exprimere Sententiam. Indè statim
„subnectit: *Cùm dictum fuerit* à Judice vivorum & mortuorum, Venite benedicti Patris
„mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione Mundi; & aliis è contrario, Di-
„scedite à me maledicti in Ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus, &
„ibunt isti in Supplicium æternum, justi autem in vitam æternam; nimiæ præsumtionis
„est, dicere, cuiquam eorum æternum Supplicium non futurum, quos DEus ituros in
„Supplicium dicit æternum, & per hujus præsumtionis persuasionem facere, ut de ipsâ
„quoque vitâ vel desperetur vel dubitetur æternâ. *Et post aliqua:* Quibus placet istam
„Sententiam usque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, ut ma-
„neant in eis Irâ Dei, quæ in æterno est prænuntiata Supplicio, non contineat DEus in
„hâc irâ suâ miserationes suas, & faciat eos non tantâ, quantâ digni sunt, pœnarum atro-
„citate cruciari, (non) ut eas pœnas vel nunquam subeant, vel aliquando finiant, sed ut
„eos mitiores, quàm merita sunt eorum, levioresque patiantur; sic enim & ira Dei ma-
„nebit, & in ipsâ irâ suâ miserationes suas non continebit. Quod quidem non ideò con-
„firmo, *quoniam non resisto*. Quæ ultima Augustini verba satis fluctuantem Ejus animum in hâc Quæstione indicant, ut adeò Bellarminus non immeritò à dubiâ hâc Sancti Doctoris Sententiâ Lectori commendandâ debuisset abstinere; præprimis cùm à precibus Ecclesiæ pro defunctis, de quibus solùm, nullo autem verbulo de ipso Purgatorii Igne agit Augustinus, ad Ignem Purgatorium argumentari, præter Leges consequentiæ fiat, ut postmodum suo uberius loco demonstrabitur, id quod ad posterius quoque Augustini testimonium, quod Bellarminus ad Ignem Purgatorii ex laudatis Christi verbis ostendendum citat, respondere sufficiens esset, nisi ipse Pater augustus ibidem aliud insuper suppeditaret responsum, hic non silentio prætermittendum, ita scribens: *Si nulla remitterentur in Iudicio illo novissimo peccata, puto, quod Dominus non dixisset de quodam peccato, Non remittetur neq; in hoc Seculo, neq; in futuro; quando sibi sperabat remitti Latro ille, qui dicebat, Memento mei, cùm veneris in Regnum tuum. De quâre quoniam profundissima est Quæstio, non est præcipitanda modò Sententia.* lib. 6. contra Julian. cap. V. Tria hic observari merentur. *Primum* est, Augustinum ex verbis Christi colligentem, quædam peccata remitti in Judicio ultimo, suam tantummodò opinionem, non Sententiam exhibere, scribentem videlicet, Puto, non, Firmiter credo vel statuo. *Secundum*, ex aliis Ejus Scriptis non manifestum esse, quod constans fuerit Ejus Sententia, idem ex verbis crucifixi cum Christo latronis posse vel debere colligi, quod ex Christi verbis de Peccati in Spir. S. irremissibilitate colligendum putavit, id quod infrà in peculiari hujus Oraculi Examine videbitur. *Tertium* & id quidem notatu digniss imum, ipsum quoq; Augustinum agnovisse, in profundissimâ hac Quæstione, ut Ipsi tunc videbatur, præcipitandam non esse Sententiam; quam cautionem sicut aliis voluit præscriptam, ita ab Ipso quoq; non fuisse neglectam credere par est & justum. Ac-

cedit, eundem Augustinum in horum Christi verborum Sensu indagando ad Marcum provocare: *Quod scriptum est, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti;* Serm. 11. de Verb. Dom. *quid est aliud, quàm id, quod secundum Matthæum legitur, Non remittetur ei, neq; in hoc Seculo, neq; in futuro? Aliis quippè verbis & alio loquendi modo eadem ipsa est expressa Sententia.* Ubi non possum satis mirari insignem Bellarmini incogitantiam, hanc à Marco prædicatam æternitatem ad hoc Seculum adplicantis pariter & futurum, & tamen concedere nolentis, excludi per eam peccatorum in futuro Seculo Remissionem, quam ex loquendi modo apud Matthæum extante, *non quidem secundum Regulas Dialecticorum, sed tamen secundum Prudentiæ Regulam* sequi, nescio, quâ consequentiarum ex Regulis Dialecticæ fluisolitarum ingratâ oblivione scripsit Bellarminus, ob id ipsum in Vindiciis *Anti-Ottonis* vid. Hacksp. ad Lipmann. cap. III pag. 432. seqq. debitæ subjectus Censuræ. Ipsum loquendi modum quod attinet, quo hæc Christi verba apud Matthæum leguntur, juxta Augustini Sententiam id, quod Marcus habet, aliis tantum verbis, exprimentem, non seduci eum se passus fuisset Bellarminus, sequelam maximè inconsequentem ex eodem pro Igne Purgatorii formans, si ejus rationem & sensum ab iis discere non fuisset dedignatus, qui illius Idiomatis, quo Christus suo tempore est locutus, & cujus proprietates Sancti Evangelistæ in aliâ etiam linguâ observare studuerunt, majorem habent, quàm plerique Scriptores Papæi, cognitionem.

Secundus sequitur ex Novi Testamenti Scriptis pro Igne Purgatorii locus à Bellarmino quam-maximè commendatus, & fusissimè explicatus, vel quod rectiùs dici potest, per plurimas contradictiones implicatus, dum non solùm ab initio statim in genere largitur, *esse unum è difficillimis*, idq; non uno Augustini testimonio confirmat, sed & in specie tot è variis Interpretibus circa ejus obscurationem magis, quam illustrationem nectit difficultates, Augustino etiam subindè aliquem occupante locum, ut quid præ ceteris ad verum ejus sensum eligere, quid reprobare consultius sit, ferè non invenerit. Nostrum erit, ex tantis ambiguitatibus ea solùm attendere, quæ Augustini respiciunt authoritatem, ut constet, num S. Doctor, & Pater augustissimus Ignem in eo Purgatorium observaverit? Verba testimonii, prout Bellarminus adduxit, hæc sunt: 1. Cor. 3. *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens Architectus fundamentum posui. Alius autem superædificat; unusquisq; autem videat, quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc Aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam; uniuscujusq; opus, erit manifestum, dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusq; opus, quale sit, Ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur, Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per Ignem.* Ad Oraculi hujus illustrationem, vel ut dixi, potius obscurationem, Bellarminus quinq; nectit difficultates, ex quibus Ipse semet extricare non potis fuit, ut Lectori veritatem Ignis purgatorii ex eo ostendat. In singularum verò difficultatum evolutione & laboriosâ enodatione dum Augustinus etiam mentem suam explicans sistitur, operæ erit pretium videre, pro nobis, an contra nos in hâc Quæstione sit S. Doctor? Et quidem *circa primam difficultatem*, videlicet, quid per ædificantes in genere, Architectos nimirum & superædificantes intelligatur vel intelligi ex mente Apostoli debeat, de Augustino scribit, quod consuerit, *omnes Christianos dici hic architectos, & omnes superædificare super Fidei fundamentum opera vel bona vel mala*, & idem sibi docere videri *Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum & Oecumenium*; alios autem permultos docere, *architectos hic ab Apostolo non vocari, nisi Doctores & Evangelii prædicatores*, ita *Ambrosium & Sedulium*; idem insinuare *Hieronymum*; idem recipere *Anshelmum* & *Thomam Aquinatem*; idem multos recentiores, ut *Dionysium Carthusianum, Lyranum, Cajetanum* & alios, *& utramq; Expositionem esse bonam*, & ex utrâque deduci adsertionem Purgatorii, *posteriorem tamen magis esse literalem*, id quod manifestum sit ex antecedentibus & consequentibus. *Circa secundam* de fundamento, auro item, argento, lapidibus pretiosis &c. difficultatem, quam graviorem esse dicit, & in sex diversas opiniones divisam vel distractam, tertiam ex iis Augustino adscribit Sententiam, nomine fundamenti Fidem vivam intelligente, nomine autem Auri, argenti & lapidum pretiosorum opera Supererogationis, nomine ligni, fœni & stipulæ omissionem consiliorum & adfectum quendam carnalem ad bona hujus mundi, licitum quidem, sed qui dolorem adfert, cùm illa amittuntur; de qua Augustini Sententia monet Bellarminus, *eam quidem esse veram, sed non huic loco convenientem, nisi cum illo adfectu carnali intelligantur peccata saltem venialia, cùm non dentur media opera in particulari.* Addit pro ratione: *Aut enim amor ille carnalis bonus est, aut malus.* Si bonus, quare ardebit more stipulæ? Si malus, ergò saltem admixtum habuit veniale peccatum. *Circa tertiam* de die Domini

diffi-

difficultatem dicit, *aliquos intelligere Vitam præsentem sive tempus tribulationis, in quo discernuntur sæpè boni à malis*, ita Augustinum sentire, & cum Eo Gregorium cognomine Magnum; quam tamen itidem Sententiam Bellarminus, quasi non videatur ad mentem Pauli esse, rejicit, hâc inter cæteras adjectâ ratione, *quia omnes alii Doctores diem Iudicii hic intelligant*; addens, licet Augustinus & Gregorius docuerint, posse diem illam referri ad hanc Vitam, eosdem tamen docere, etiam posse intelligi de tempore futuro post hanc vitam. *Circa quartam* de Igne in die Domini difficultatem, ait, *aliquos intelligere hujus Vitæ tribulationes*, Augustinum nempè & Gregorium, sed hanc Sententiam in proximè antecedentibus esse rejectam; *& quamvis alii intelligant de pœnis Purgatorii, neque id tamen rectè dici posse*, Augustini quibusdam verbis eam in rem laudatis, per quæ Ignem hic purgatorium extingui putavit. *Circa quintam & ultimam* difficultatem de Igne, per quem superædificantes ligna, fœnum, stipulas salvari scribit Apostolus, augusto Patri iterùm adtribuit Bellarminus, *quod & per eum*, unà cum Gregorio, *hujus Vitæ tribulationes intellexerit*, quod tamen convenienter dici non possit, *quamvis Augustinus in hâc Sententiâ non adquieverit*, sed aliam quoque posuerit, per quam Ignis Purgatorii & pœnæ in eo post mortem temporales evidenter demonstrari possint, rejectis insuper etiam *Chrysostomi & Theophylacti* Explicationibus, *qui Ignem æternum hic intellexerunt*.

Ex pluribus hæc, & prolixissimâ harum difficultatum tractatione placuit excerpere, quæ Augustini inprimis respiciunt authoritatem, ut ante Examen omne, ex solâ citatione Bellarminianâ, videat Lector judicare potens, an Augustinus in hujus Oraculi Sensu, pro Igne Purgatorio, qualem Papæi Doctores fingunt, possit tanquam testis laudari orbique Catholico commendari. Juvat autem his addere ex Interpretum Papæorum numero, præ omnibus aliis amplissimum hujus Oraculi tractatorem, *Estium*, qui etsi Bellarminum numerat inter eos doctissimos Viros, qui de hoc loco *accuratè* egerint, id tamen apertè fatetur, se eos non *per omnia* secutum ideò, *quia nec ipsi inter se consentiant, & quia sibi licitum existimaverit, in obscuro loco ex variis id consectari, quod visum sit probabilius.* Non autem iteratò repetam, quæ in *Vindiciis* Anti-*Ottonianis* ad idem Oraculum urgente Adversario excerpsi, sed ea & hic exindè notabo, quæ ad percipiendam Augustini Sententiam super eo videbuntur pertinere. *Ad primam* igitur & *secundam* simul difficultatem, postquam diversa Augustini loca indicasset, quibus Eum per aurum, argentum & lapides pretiosos intelligere bona opera, per ligna autem, fœnum & stipulam intelligere inordinatos adfectus ad res terrenas, & in universum venialia peccata, &, ut Ipse loquitur, amorem rerum temporalium, quæ tamen CHRISTO non præponantur, monuit; contra eos etiam egisset, qui Sententiam hanc Augustini à *Gregorii* cognomine *Magni* Sententiâ volunt esse diversam, inter quos & Bellarminus esse videtur, quomodo hæc Augustini & *Gregorii* Sententia ritè intelligi debeat, sequentibus ostendit „verbis: *Quia superædificantes*, quibus ipsos etiam architectos adjungit Bellarminus, „ex Apostoli mente non omnes intelligi debent fideles, sed soli Doctores, idcircò di„cta Expositio, Augustini nimirum & *Gregorii*, contrahenda est ad doctrinam, quæ fun„damento rectæ ac sanæ Fidei superstruitur, ut videlicet per Aurum, argentum & lapi„des pretiosos intelligatur doctrina pura, sincera, solida, conducens ad Pietatem, & „pertinens ad ornamentum Ecclesiæ; per ligna verò, fœnum & stipulam doctrina non „quidem hæretica aut pernitiosa, (talis enim fundamentum destrueret,) sed minus sin„cera minusque solida, veluti, si sit humanis aut Philosophicis, aut Judaicis etiam Opi„nionibus admixta plus satis, si magis curiosa quàm utilis, si vanâ quâdam oblectatione „mentes occupans Christianas, ut contingit illis, qui plus æquo student ornatui sermo„nis, quo in genere etiam ab illis peccatur, qui specie pietatis invehunt aut propagant „novas ac plausibiles vulgò opiniones, quæ interdum existunt semina contentionum, „& in universum ab iis, qui dubia aut incerta pro certis, vel temeritate, vel imperitiâ, vel „imprudentiâ, vel animi levitate, vel placendi studio proferunt ad auditores, sed &, „si quis veram & utilem auditoribus tradat doctrinam, non tamen id faciat ea pror„sus intentione, qua debet, sed oculum obliquè reflectat aliorsum, cum iis meritò „deputabitur, qui ligna, fœnum & stipulam fundamento *superstruunt*. Ita Augustini & *Gregorii* Sententiam intelligi debere putat *Estius*, addens, hanc Expositionem legi apud *Sedulium*, *Herveum*, *Aquinatem*, *Lyranum*, *Carthusianum*, *Cajetanum* & alios Recentiores. *Ad tertiam* de die Domini difficultatem eadem ex Augusti-

no habet, quæ Bellarminus, videlicet, Eum per diem Domini intelligere quidem tempus adversitatis seu tribulationis in hoc Seculo, cùm homini illa quæ diligit auferuntur, quæ res probare soleat ac discernere bonos à malis; sed & simul cum *Gregorio* agnoscere & approbare, si per diem Domini intelligatur tempus Judicii Divini post hanc vitam, sive Judicii particularis, sive generalis atq; ultimi, quo ferè modo diem hunc acceperint veteres, *Chrysostomus*, *Theodoretus* ac cæteri Græcorum, & inter Latinos *Sedulius*, *Haymo*, *Hervæus*, *Carthusianus* & Neotericorum nonnulli, & ante hos Author Epistolæ ad Marcellam de tolerandis adversis, inter opera *Hieronymi*, de hâc ultimâ monens Sententiâ, etiamsi neq; priori desint rationes, majora tamen esse argumenta pro Judicio generali. *Ad quartam* de Igne in die Domini difficultatem itidem observat post Bellarminum, Augustini quidem & *Gregorii* esse Sententiam, hujus Vitæ tribulationes intelligi, removens quoq; Patrum in Synodo Florentinâ Latinorum explicationem de Igne Purgatorio, arbitratur tamen, Apostolum hic non de alio Igne loqui, quàm de quo aliæ Scripturæ diem Domini describentes loquantur; neq; obstare putat, quod Ignis, de quo Paulus agit, talis intelligi debeat, ut ambo per eum transeant, & qui pretiosa super Fundamentum ædificaverit, & qui vilia, probaturus videlicet uniuscujusq; opus, discertè id Augustino testante, quia, inquit *Esthius*, *unus & idem Ignis, quo ut Iustitiæ instrumento Christus Iudex utetur, omnes probabit, sed eos tantum purgabit, quos quidem bonos, sed adhuc impuros invenerit; quos autem omninò puros & ante purgatos inveniet, eos illæsos ac doloris immunes, nihilq; detrimenti passuros transmittet ad Regnum, impios autem & inimicos Dei corripiet, inflammabit & cruciabit in æternum, adeoq; erit Ignis ille & probatorius & purgatorius & in æternum vindicatorius, sed diversorum respectu, quemadmodum & Ignis, qui apud nos est, purum Aurum probat tantùm, impurum purgat, stipulas comburit.* Addit, ita de Igne novissimi diei sensisse Veteres, *Basilium*, *Hilarium*, *Ambrosium*, *Eucherium Lugdunensem*, *Aleninum*, hâc declaratione id illustrantem, *Sanctis, id est, iis, qui purgatione non egebunt, illum Ignem futurum, sicut fuit tribus pueris fornax Babylonis*, quâ comparatione Augustinus quoq; fuerit usus, & alii plures, ut hoc loco *Ambrosius*, vel qui sub *Ambrosii* nomine venit, & *Haymo*, & ex Augustino *Lombardus*; esse autem hanc Sententiam in Ecclesiâ perantiquam, utpotè à Lactantio jam omnibus his antiquiore exhibitam, & favere præterea huic Expositioni Oraculi Apostolici plerosque Commentatores, nimirum recentiores, è quorum numero *Ambrosii Catharini* verba in *Vindiciis* Anti-*Thomisticis* prolixè fuerunt adducta. Pro uberiori autem hujus Oraculi illustratione confert *Esthius* inter alia Oraculum quoque Malachianum, superiori capite vindicatum, de eo notanter observans, de purgatione, quæ per Ignem futura est in die magni Judicii, id intellexisse Patres, *Hieronymum*, *Ambrosium*, Augustinum &c. Ad *quintam & ultimam* difficultatem, de Igne, per quem superædificantes ligna, fœnum, stipulas salvari scribit Apostolus, de Augustino paria ferè cum Bellarmino scribit *Esthius*, Chrysostomi & Græcorum de Igne æterno Sententiam itidem rejiciens, ut prolixiori repetitione opus non sit.

Verùm satis prolixè Bellarminum & *Esthium* de Augustini Sententiâ quoad Apostoli mentem circa Ignem purgatorii differentes audivimus. Ante autem, quàm judicetur, quid de Augustini Sententiâ, deq; tota hac re & Oraculo Pauli sit statuendum, necessum omninò videtur, ipsum adducere Augustinum, id quod eorsùm inservier, ut simul adpareat, an nihil à Bellarmino & Esthio fuerit prætermissum, quod aliquam suppeditare potuisset observationem notatu dignam. Etsi autem sæpius hunc Apostoli locum laudaverit S. Pater, tria tamen præprimis sunt loca, quibus ex professo cum tractavit, undè breviter omissa, quam maximè autem huc pertinentia repetemus. *Primus* est ex libro de Fide & operibus, ubi postquam hanc Pauli Sententiam planè difficilem dixit ad intelligendum, ipsaq; Apostoli verba adduxit, ita ex aliorum Sententiâ scripsit: *Quidam tantum intelligendum putant, ut illi videantur ædificare super hoc Fundamento aurum, argentum, lapides pretiosos, qui Fidei, quæ in Christo est, bona adjiciunt opera; illi autem ligna, fœnum, stipulam, qui, cùm eandem habeant Fidem, malè operantur, undè arbitrantur, per quasdam pœnas ignis eos posse purgari ad Salutem percipiendam merito Fundamenti.* Sed quia Augustinus hanc Explicationem multis absurditatibus vidit obnoxiam & pluribus aliis, iisq; clarissimis S. Scripturæ Oraculis oppositam, ideò alium duxit requirendum esse intellectum in hac Apostoli Sententia, in his deputanda, quæ Petrus scripsit esse in Pauli Epistolis intellectu difficilia. Addidit: *Hic à me fortasse quæratur, de ipsâ Apostoli Sententiâ quid Ego sentiam, & quonam modo intelligendam putem? Fateor, hic me malle audire intelligentiores atque doctiores. Dicam tamen, quam brevissimè potero, etiam Ipse, quid sentiam de illâ Apostoli Sententiâ ad intel-*

cap. 15. & 16.

intelligendum difficili, dummodò illud, quod ad meam attinet promissionem, præcipuè teneatur, quod de hâc me malle dixi audire meliores. Fundamentum Christus est in structurâ Architecti sapientis, hoc expositione non indiget. Sed quid sit ædificare super hoc Fundamento aurum, argentum, lapides pretiosos, & ligna, fœnum, stipulam, si subtilius disserere coner, vereor, ne ad intelligendum difficilior sit ipsa Expositio. Enitar tamen, quantum Dominus adjuvat, & breviter, & quantum potero, dilucidè, quod sentio, expedire. Prolixè id ibi præstat Doctor augustus, suamque ex non uno S. Scripturæ testimonio illustrare conatur, id quod etiam ab Eo factum loco, quem dicimus, *secundo*, in similis ferè tituli opere, *Enchiridio* nimirum de Fide, Spe & Charitate ad *Laurentium*, ubi fassus est pariter Augustinus, *obscurè dictum esse ab Apostolo de iis qui super ædificant*, ita tamen suam explicans mentem: *Est Ignis tentatio tribulationis. Iste ignis in hac vitâ facit, quod Apostolus dixit, si duobus accidat fidelibus, uni scilicet cogitanti, quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est, ædificanti super Christo aurum, argentum, lapides pretiosos; alteri autem ea cogitanti, quæ Mundi sunt, quomodo placeat Vxori, id est, ædificanti super idem fundamentum ligna, fœnum, stipulam. Illius enim opus non exuritur, quia non dilexit ea, quorum amissione crucietur; hujus autem exuritur opus, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt, sed quoniam alterutrâ conditione propositâ eis potius carere malit, quàm Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat, dum amittit, salvus est quidem, sic tamen, quasi per Ignem, quia urit eum dolor rerum, quas dilexerat, amissarum, sed non subvertit ne ij, consumit fundamenti stabilitate at ij, incorruptione munitum.* cap. 68. & 69.

Quia verò uterque, Bellarminus & *Estbius*, Augustinum præter Ignem calamitatum temporalium, in hoc Oraculo Ignem quoque alterius vitæ monent agnovisse, ideò quid de eo statuerit, porrò videndum est. Ita autem Sanctus Pater mentem de eo suam explicat: *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & utrum ita sit, quæri potest, & aut inveniri aut latère*, nimirùm, *nonnullos fideles per Ignem quendam purgatorium, quantò magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardius citiusve salvari.* Et hæc duo Augustini loca eò sunt notatu digniora, quod eadem verbotenùs sub initium Libri *de octo Dulcitii Quæstionibus* repetierit, nec quidquam in eis mutaverit. Nunc *tertius* superest locus, quo Doctor augustus eandem mutatis tantum verbis Sententiam, sed & eâdem incertitudine proponit, hunc in modum scribens: *Post corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui post Resurrectionem corporum futurus est damnationis & remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus* (animæ) *defunctorum ejusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis vitâ, ut eorum ligna, fœnum & stipulæ consumantur, alii verò sentiant, qui ejusmodi ædificia secum portaverunt, sive ibi tantum, sive & hic & ibi, sive ideò hic, ut non ibi, Secularia, quamvis à damnatione venalia concremantem transitoriæ tribulationis ignem inveniant*, non redarguo, quia forsitan verum est; *potest quippè ad illam tribulationem pertinere ipsa etiam mors carnis, quæ de peccati primi perpetratione concepta est, & secundum cujusque ædificium tempore suo ab unoquoque susceptа &c.* lib. 21. de Civit. Dei, cap. 26. NB.

Trias hæc locorum Augustini, si accuratius & sine omni præjudicio consideretur, triplicem Ignem purgatorium exhibet, primum hujus, secundum alterius Seculi, tertium verò quasi intermedium. Ut de primo & secundo nihil dicamus, cùm neuter ex illis ad focum pertineat Romanum. De tertio quidem negari non potest, videri eum Papistico non adeò dissimilem, qui tamen in oculis Augustini radiasse dici non debet, quia de eo nullibi ex propriâ, sed aliorum Sententiâ & quidem ita scripsit, ut suum expressè consensum huic opinioni non præbuerit, sed, quâ polluit modestiâ, suspenderit, non nisi dubitanter eam proponens. Hinc dicit, *quæri de eo posse, utrum ita sit, & aut inveniri aut latère. Non redarguo*, inquit, *quia forsitan est verum.* Certè non ita dubitanter aliàs scripsit, in aliorum videlicet S. Scripturæ Oraculorum explicatione; neque hic ita dubitanter circa hujus Oraculi Sensum de hoc etiam intermedio Igne scripsisset, si ullas in Apostoli loco strictûras observasset, quem de cætero obscurum & difficilem valdè agnovit, atque adeò è clarioribus, id quod Hermeneuticæ Ratio requirit, explicandum. Et dum Bellarminus pariter & *Estbius* varios Oraculi hujus difficultates non tantum ingenuè agnoverunt, sed & circa quasvis, Interpretum varias Expositiones adduxerunt, quin & Sententiam Augustini utplurimùm rejecerunt, nemo non videt, minus aptum illud esse ad Articulum Fidei stabiliendum, imò Augustinum nullo planè modo tanquam Ignis purgatorii testem oculatum exindè probari posse, utpotè in plerisque hujus Oraculi partibus Bellarminianæ opinioni omninò contrarium.

Tertius ex Novi Testamenti Scriptis pro hoc Igne Purgatorio locus *de Baptismo pro mor-*

mortuis vel *super mortuis* ad hanc tractationem non pertinet, quia Bellarminus in sex di-
1. Cor. 15. versarum super ejus sensu opinionum propositione, quas hodiè septendecim aliqui nu-
merant, ex Augustino in Purgatorii favorem nihil quidquam potuit in medium adfer-
re, & quam Ille Sententiam Oraculo Apostoli adscripsit, præter alios Interpretes *Est hi-*
um paulò ante laudatum & *Fromondum* rejecisse ut improbabilem & quam maximè im-
pertinentem, in *Vindiciis* Anti-*Thomisticis* est ostensum. Succedat ergò *quartus*, Chri-
Matth. V. sti monitum de fraternâ Reconciliatione exhibens: *Esto consentiens adversario tuo citò,*
Luc. 12. *dum es cum eo in viâ, ne fortè tradat te adversarius judici, & judex tortori, & mittaris in car-*
cerem. Amen, dico tibi, non exies indè, donec reddas novissimum quadrantem. Circa hu-
jus Oraculi sensum penitius indagandum non opus est ex Bellarmino prolixius repetere
diversorum Sententias *de viâ, adversario, judice, tortore, carcere*, easdemque cum Bellar-
mini censuris examini subjicere, ne prolixitas nimia fastidium Lectori pariat; sufficiet
observasse, quid de ultimo quadrante, qui totam hic rem conficere potest, Augustinus
senserit, utpotè ex cujus Sententiâ erit manifestum, nihil Ei de Purgatorio circa hujus
Oraculi Sensum venisse in mentem, id quod ipse Bellarminus fateri necessum habuit,
scribens, *Augustinum putare, agi hic de pœnis Gehennæ æternis, & illud,* Donec, *non signifi-*
care certum tempus, sed æternitatem, exemplis ex utroque Testamento adductis, particu-
lam hanc eodem sensu exhibentibus, de quibus, rejectâ hâc Augustini Sententiâ, scri-
bit Bellarminus, *ea non satisfacere*. Non repeto, quæ ad hujus loci Sensum ex *Hieronymo &*
Theophylacto, item ex *Iansenio Gandavensi & Didaco Stellâ* alibi in *Vindiciis* Anti-*Ottonianis*
prolixè laudavi, de Augustini Sententiâ primariò hic sollicitus, quem etsi nobis tanquam
Testem hic ultrò largitur Bellarminus, quia tamen contra Exempla ab Eo producta,
quod excipiat, habere se in promtu existimavit, ideò ab eo vindicari debet Sanctus Do-
ctor. Exempla autem, quibus niti voluit augustus Pater, ipso teste Bellarmino, ut nimi-
rum particula *Donec* non certum tempus, sed æternitatem hic significet, hæc sunt. Ex
Psal. 110. Veteri Testamento illustre Regii Vatis Oraculum: *Dixit Dominus Domino meo, Sede à*
dextris meis, donec *ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Ex Novo autem illud
Evangelistæ; *Non cognovit Iosephus Virginem Mariam*, donec *peperit filium suum.* Et illud
Matth. 1. 1. Cor. 15. insigne Apostolicum, *Oportet Christum cœlum suscipere*, donec *omnia subjiciantur pedibus*
Ejus. Bellarminus ad hæc notat sequentia: *Cum dicitur*, non cognoscebat eam, *donec pe-*
perit, non licet quidem inferre, ergò postea cognovit eam, sed inferre licet, ergò Illa aliquando
paritura erat. Similiter cùm dicitur, sede à dextris meis, *donec* ponam &c. *rectè infertur, er-*
gò ponentur aliquando omnes inimici Christi sub pedibus Ejus, alioquin illud Donec *inepte dice-*
retur. Ita ergò cum dicitur, non exies, *donec* solvas, *inferimus rectè ergò solvet aliquando ulti-*
vid. Spanh. in Dubiis Evang. Part. III. pag. 863. *mum quadrantem, & consequenter exibis indè.* At retorquere hæc licet in ipsum Bellarmi-
num. Si enim ex Ejus concessione non licet inferre, Josephum cognovisse postea Mari-
am, vel Sessionis ad dextram Dei aliquem futurum finē, sed vim hujus particulæ Donec
putat referri solùm debere ad posteriora, videlicet certitudinem partûs & positionis ini-
micorum &c. neque hic inferre licebit prius, exitum positis in carcere sperandum, præ-
primis cùm id ipsum sit in Quæstione, âque Bellarmino demonstrandam fuerit. De cæ-
tero ad quem modum verbis illis directè & primariò Spiritus S. probare non voluit, vel
Mariam Virginem aliquando parituram, vel Christo hostes tandem subjiciendos, quod
tamen fundamentum est Exceptionis Bellarminianæ, sed potius, Josephum nunquam
Virginem Mariam cognovisse, & Sessionem Christi ad dextram Dei Patris æternam fo-
re; Ita hoc etiam loco, id quod integer contextus evincit, id præprimis docetur, homi-
nem erga proximum, à quo læsum se existimat, irreconciliabilem eo metipso, quo se pro-
ximo lædenti nefariè subtrahit, iri conjectum in carcerem, undè nulla omninò sperari
potest vel debet Redemtio, tamdiu videlicet in eo detinendum, Donec ultimum sol-
vat quadrantem, quem dum nunquam persolvet, sequitur, eum neque vinculis debito-
rum exsolvi, id quod Augustinus apertissimè agnovit, super hæc Christi verba sequen-
lib. 1. de Serm. Dom. in Monte. tem formans Quæstionem: *Undè solvitur illud debitum, ubi jam non datur pœnitendi & cor-*
rectionis locus? addito hoc responso: *Accipi potest, semper non exiturum esse, quia semper no-*
vissimum solvit quadrantem, dum sempiternas terrenorum peccatorum luit pœnas. Quamvis
autem negari non possit, particulam Donec in se & aliàs terminum significare finiti vel
finiendi temporis; aliter tamen sentire opus est de iis locutionibus, quarum subjecta nul-
lum planè admittunt, sed omnem potius excludunt finem, quibus hæc etiam Christi
Verba accensèri debere, præter Augustinum, qui totus hic iterum noster est, laudati ex
Adversariorum acie Interpretes ultrò concedunt, manum Veritati manifestæ præben-
tes.

Per-

Pergimus jam ad *quintum* ex Novo Fœdere pro Igne Purgatorio testimonium, sequentia Christi verba sistens: *Qui irascitur fratri suo, Reus erit judicio; qui dixerit fratri suo, Racha, reus erit Concilio; qui dixerit, fatue, Reus erit Gehennæ Ignis.* Ut hunc locum Augustini authoritate ad Ignem Purgatorium aliquâ ratione possit trahere Bellarminus, dicit, *Eum omnia hæc tria exponere de pœnis animarum post hanc Vitam, & distinguere tria peccatorum & pœnarum genera*, adeòque hinc damnationem æternam tribui solùm tertio peccatorum generi, aliis autem, utpotè levioribus peccatis tribui pœnas leviores ac proindè temporales, undè sequi existimat, aliquas animas post hanc vitam puniri temporalibus pœnis. Bellarminus hic iterùm in verbis Augustini vidit Ignem Purgatorium, quem vix alius à præjudicio & opinione præconceptâ liber, utut oculatissimus, videre poterit & indice digito ostendere. Et dum, quæ Sanctus Pater de gradibus peccatorum & pœnarum habet, ad distincta utrinque genera refert Bellarminus, nemo non videt, fraudem satis apertam hic intercedere, atque insignem augusto Doctori Injuriam fieri. Ea ut luci publicæ exponatur, ipse Augustinus ex laudato opere super Christi Oraculo Sententiam dicat, hunc in modum scribens: *Quid interest inter Reum Iudicio, & Reum Concilio, & Reum Gehennæ Ignis? Nam hoc postremum gravissimum sonat, & admonet, quosdam gradus factos à levioribus ad graviora, donec ad Gehennam Ignis veniretur.* Et ideò sicut levius est, Reum esse Judicio, quàm Reum esse Concilio; „ Ita levius est, reum esse Concilio, quàm esse reum Gehennæ Ignis. Itaque oportet „ ut levius esse intelligatur, irasci sine causâ fratri, quàm dicere Racha; & rursus, esse „ levius dicere Racha, quàm dicere fatue. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi „ gradatim peccata etiam commemorarentur. *Et post aliqua:* Gradus itaque sunt in „ istis peccatis, ut primò quis irascatur, & eum motum retineat corde conceptum. „ Jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsâ eruptione testantem, quâ feriatur ille, qui irascitur, plus est „ utique, quam si surgens ira silentio premeretur. Sin verò non solùm vox indignantis audiatur, sed etiam verbum, quo jam certam ejus vituperationem, in quem profertur, designet & notet, quis dubitet, amplius hoc esse, quàm si solus indignationis „ sonus ederetur? Itaque in primo unum est, id est, ira sola. In secundo autem duo, „ & ira & vox, quæ iram significat. In tertio tria, & ira & vox, quæ iram significat, & „ in voce ipsâ certæ vituperationis expressio. Vide nunc etiam tres Reatus, Judicii, „ Concilii & Gehennæ Ignis. Nam in Judicio adhuc datur defensioni locus. In Concilio autem quanquam & Judicium esse soleat, tamen, quia interesse aliquid hoc loco „ fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad Concilium pertinere Sententiæ prolatio, quando jam non cum ipso agitur reo, utrum damnandus sit, sed inter se, qui judicant, con„ ferunt, quo damnari oporteat Supplicio, quem constat esse damnandum. Gehenna verò Ignis nec damnationem habet dubiam, sicut Judicium, nec damnati pœnam, „ sicut Concilium; In Gehennâ quippè Ignis certa est damnatio & pœna damnati. „ *Claudit hanc Explicationem sequentibus verbis:* Videntur ergò aliqui gradus in peccatis „ & in reatu: *sed quibus modis invisibiliter exhibeantur pœnæ meritis animarum, quis potest „ dicere?* Interrogativè hæc ita posuit Augustinus, ut simul negativam incluserit responsionem, laudabile aliis præbens Exemplum, ne quis in rebus non ita manifestis quidquam audeat definire, inque partem alterutram statuere. Quia verò etiam *Tirinus* expresè Augustinum inter eos recensuit Interpretes, qui hæc Christi verba ad formam civilium apud Judæos judiciorum intelligi debere existimaverunt, per se cadit, quidquid Bellarmino hic & paucis quibusdam aliis de Purgatorio fuit visum, plerisque aliis invisо, nominatim & præter alios *Iansenio* Gandavensi, qui Augustini super his Christi verbis Sententiam satis clarè proposuit, nullâ planè mentione Purgatorii facta, eam non omissurus, si Bellarmini telescopio ad observandum hunc Ignem usus fuisset.

Matth. V.

conf. Spanh. l. cit. pag. 823.

vid. Petit. var. Lect. lib. I. cap. V. pag. 22.

Sextus nunc sequitur ex Novo Fœdere locus, in quo Bellarminus videre sibimet-ipsi visus est Ignem ardere Purgatorium. Exhibet is sequentia Christi verba: *Facite vobis amicos de Mammonâ iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ad quæ Bellarminus hæc notat: *Per deficere intelligunt omnes mori, per Amicos intelligunt Sanctos, qui cum Christo regnant, ex quibus sequitur, homines post mortem juvari precibus Sanctorum.* Et ne id de suo videatur justo liberalius largiri Augustinum laudat testem, sibi in hoc præeuntem, & Purgatorium ex hoc loco demonstrantem. Sed neq; hic augusti Doctoris mentem adsecutus est Bellarminus, quod melius ostendi non potest, quàm si iterùm ipsa Sancti Patris verba videamus, quæ huc quam-maximè videntur pertinere:

Luc. 16.

Et

Lib. 21. de Civ. Dei, cap. 27. *Et illi justi, qui tantâ vixerunt Sanctitate, ut alios quoque recipiant in tabernacula æterna, quibus amici sunt facti de Mammonâ Iniquitatis, ut tales essent, misericordiâ liberati sunt ab Eo, qui justificat impium, imputans mercedem secundum Gratiam, non secundum debitum. Illi autem, qui recipiuntur à talibus in tabernacula æterna, fatendum est, quod non sint his præditi moribus, ut eis liberandis sine suffragio Sanctorum sua possit Vita sufficere, ac per hoc multò amplius in eis superexaltat Misericordia judicium.* Commendare quidem hic videtur Augustinus suffragia Sanctorum, sed non talia, quæ hominem ex Igne Purgatorio possint liberare. Addit: *Nec tamen ideò putandus est quisquam sceleratissimus, nequaquam vitâ vel bonâ vel tolerabiliore mutatus, recipi in æterna tabernacula, quoniam obsecutus est Sanctis de Mammonâ iniquitatis, id est, de pecuniâ vel divitiis, quæ malè fuerant adquisitæ, aut etiamsi benè, non tamen veris, sed quas iniquitas putat esse divitias, quoniam nescit, quæ sint veræ divitiæ, quibus illi abundant, qui & alios recipiunt in æterna tabernacula. Est itaque quidam vitæ modus, nec tam malæ, ut his, qui eam vivunt, nihil prosit ad capessendum Regnum Cœlorum largitas Eleemosynarum, quibus etiam Iustorum sustentatur inopia, & fiunt amici, qui in æterna recipiant tabernacula; nec tam bonæ, ut ad tantam Beatitudinem adipiscendam eis ipsa sufficiat, nisi eorum meritis, quos fecerint amicos, misericordiam consequantur.* Multa & hic videtur Augustinus Sanctorum meritis adscribere, sed quæ itidem nihil omninò faciant ad liberationem ex Purgatorio. Utrumque ostendit in sequentibus, dum post aliqua suam porrò mentem sequenti explicat declaratione: *Quis iste sit modus, & quæ sint ipsa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad Regnum DEI, ut tamen Sanctorum Amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est inventre, periculosissimum definire. Ego certè usque ad hoc tempus, cum indè satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. Quoniam si scirentur, quæ vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu melioris vitæ adsumtis intercessio sit inquirenda & speranda justorum, eis securas se obvolveret humana segnities, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret, sed tantummodò quæreret aliorum meritis liberari, quos sibi amicos de Mammonâ iniquitatis Eleemosynarum largitione fecisset. Nunc verò, dum venialis iniquitatis, etiamsi perseveret, ignoratur modus, profectò & studium in meliora proficiendi, instando orationi vigilantius adhibetur, & faciendi de Mammonâ iniquitatis amicos Sanctos cura non spernitur.* Addit: *Verùm ista liberatio, quæ fit sive suis quibusque orationibus, sive intercedentibus Sanctis, id agit, ut in Ignem quisque non mittatur æternum, non ut cum fuerit missus, post quantumcunque tempus indè eruatur.* Meum jam non est, severiori censuræ hæc Augustini verba subjicere, cùm ex Instituti Ratione sufficere possit, ostendisse, Bellarminum minus sincerè & hic cum Augustino egisse, Sententiam Ei adscribendo, quam invenire difficillimum, & definire periculosissimum esse scripsit, quin & ingenuè fassus, se post multum tempus ad ejus indaginem pervenire non potuisse. Observatu etiam non indignum est, statuisse Augustinum, ideò modum ejus rei, quâ nimirum Ratione Sancti deficientes ex respectu Eleemosynæ ab eis acceptæ recipiant in tabernacula beatæ æternitatis, latere, ne studium proficiendi ad cavenda quævis peccata pigrescat; quem dum Bellarminus cum suis, utut difficillimum Augustini judicio, invenisse se gloriatur, adque liberationem ex Igne purgatorio per merita & intercessiones Sanctorum trahere conatur, videat ne eam incurrat vel alios etiam incurrere faciat securitatem, quam Augustinus ex hujus modi cognitione oriri suspicatus est. Omnium maximè autem ultima notari debent verba, quibus de Igne æterno, ex quo, post quantumcunque tempus etiam, nulla planè datur liberatio, hæc intelligi debere putavit Augustinus, quo iterùm ipso Ignem Bellarmini purgatorium extinxit, aliis etiam in locis invisum. Addo, ipsum quoque *Cajetanum*, integro annorum millenario distantem ab Augustini ævo, ad Ejus imitationem & exemplum agnovisse, *Parabolæ*, ad quam laudata CHRISTI verba respiciunt, *adplicationem*, iisdem hisce verbis constantem, *valdè difficilem, si non planè impossibilem*, esse, quod & aliis Interpretibus notatum, quidquid Bellarmino & quibusdam paucis ad Ignem Purgatorium quævis ligna, impertinenter etiam, ac sine omni judicio colligentibus visum, qui num omnes hujus loci difficultates, quas superare Augustinus & post Eum *Cajetanus* impossibile existimârunt, per fictionem Ignis Purgatorii & commendationem meritorum aliundè pro liberatione ex eo impetrandorum superârint, ut quidem Simplicioribus eunt persuasum, eruditi & judicare docti Lectoris liberum esto judicium.

Nunc

Nunc ut ad *Septimum* devenianus & breviter aliquid dicamus locum, ordo & propositum exigit, quia Augustini iterum intercedit authoritas. Sistit is verba Latronis in cruce ad Christum conversi & dicentis: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Bellarminus ad ea observat: *Nunquam hoc diceret bonus ille vir à Spiritu Sancto edoctus, nisi crederet, post hanc vitam posse remitti peccata, & auxilio animas indigere, & juvari posse. Certè Augustinus hinc probat, aliqua remitti post mortem peccata.* Atqui non de statu animarum post mortem ampliativè, sed de extremo agit judicio Augustinus ibi, ubi Eum de remissione peccatorum post mortem agere putat Bellarminus. Verba, quæ huc pertinent, sunt: *Si nulla remitterentur in Iudicio novissimo peccata, puto, quod Dominus non dixisset de quodam peccato, Non remittetur neque in hoc Seculo, neque in futuro; quando sibi sperabat remitti Latro ille, qui dicebat, Memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Addit notanter & modestè, prout solet, Augustinus: *De quâre, quoniam profundissima est Quæstio, non est præcipitanda modò sententia.* Verborum Christi de peccati in Spiritum Sanctum irremissibilitate in hoc Seculo & in futuro, id est, in æternum, Sensus ex mente dicentis & Sanctorum Evangelistarum consensu paulò ante vindicatus fuit, nobis illud nunc tantum addentibus, quod D. *Menzerus* antehàc notanter contra *Pistorium* Apostatam observavit, hujus Dicti interpretationem ab Augustino factam, nec uno in loco exhibitam, *ante Ejus ætatem in Ecclesiâ non fuisse*, adeòque pro singulari & non necessariò recipiendâ haberi debere. Quod verò Latronis conversi attinet verba, ex iis Augustinus non probare voluit in genere & sensu ampliativo, aliqua remitti post mortem peccata, quod Bellarminus Ei impertinenter attribuit, indeque libertatem ex Igne Purgatorio sequi inconsequenter existimat; sed id tantum in specie & sensu quodam restrictiori exindè putavit esse manifestum, remitti in Judicio extremo peccata aliqua, hoc tamen observato moderamine, ut in Quæstione hâc tanquam profundissimâ & altioris ex suâ mente indaginis præcipitandam non esse Sententiam temerariè duxerit consultissimum, Ipseque ab ultimâ ejus decisione ob hanc ipsam abstinuerit causam, id quod aliquâ ratione visum fuit Analogiæ Fidei consentaneum, adduxisse contentus.

Luc. 23. lib. 6. contra Julian. cap. 5. vid. oper. T. II. p. 1786.

Octavus pro Igne Purgatorio ex Novo Fœdere locus à Bellarmino adductus hic est: *DEus IEsum suscitavit, solutis doloribus Inferni, juxta quod impossibile erat, teneri Eum ab illis.* Bellarminus addit: *Hunc locum ita intelligit Augustinus, ut sensus sit, Christum, cùm descendit ad Inferos, multos liberasse à cruciatibus Inferni.* Quod cùm juxta Bellarminum non possit intelligi de damnatis, necessariò ipsi videtur accipiendum de iis, qui purgabantur, id est, de doloribus animarum Purgatorii. Quia Bellarminus ad duplex provocat Augustini testimonium, ideò utrumque breviter videamus. Et in priori quidem ita scribit Sanctus Pater: *Quod si movet aliquem, quemadmodum sit accipiendum, Inferni dolores ab Illo solutos; (neque enim cœperat in eis esse, tanquam in vinculis, & sic eos solvit, tanquam si catenas solvisset, quibus fuerat alligatus:) facile est intelligere, eos sic solutos, quemadmodum solvi possunt laquei venantium, ne teneant, non, quia tenuerunt. Potest & sic, ut eos dolores Eum solvisse credamus, quibus teneri Ipse non poterat, sed quibus alii tenebantur, quos Ille noverat liberandos. Verùm, quinam isti sint, temerarium est definire.* Et post aliqua: *Quod scriptum est in morte Christi factum solutis doloribus Inferni, vel ad Ipsum potest intelligi pertinere, quod eos hactenus solverit, hoc est, irritos fecerit, ne ab eis Ipse teneretur, præsertim quia sequitur, in quibus impossibile erat teneri Eum; vel si causa quæritur, cur voluerit venire in Infernum, ubi dolores illi essent, quibus teneri omninò non poterat, quia erat, ut scriptum est, inter mortuos liber, in quo princeps & præpositus mortis non invenit aliquid, quod supplicio deberetur, hoc scilicet, quod scriptum est, solutis doloribus Inferni, non in omnibus, sed in quibusdam accipi potest, quos Ille dignos istâ liberatione judicabat, ut neque frustra illuc descendisse existimetur, nulli eorum profuturus, qui ibi tenebantur inclusi, nec tamen sit consequens, ut quod Divina quibusdam Misericordia Iustitiaq; concessit, omnibus concessum esse putandum sit.* Satis perspicuum exindè est, augustum Doctorem non unius constantisque Sententiæ in hujus Loci explicatione fuisse, & utut ex unâ parte satis commodè eum ad ipsam Christi personam adplicaverit, ex alterâ tamen statuisse, posse etiam, non autem debere, eum de aliis in Inferno constitutis, ac exindè per Christum liberatis intelligi, quod dum Bellarminus necessario accipiendum esse scribit de animabus Purgatorii, vim facit Augustino, nullam hic Ignis Purgatorii, sed Infernalis solam mentionem facienti, ex quo Ipsi non adeò improbabile fuit visum, aliquos per Christum in ipso ad Inferos descensu fuisse eductos, quæ tanquam singularis quædam opinio ad hanc tractationem omninò trahi non debet. Et hanc Ejus

Act. II.

Epist. 99. ad Evod.

opinionem exhibet etiam posterius testimonium à Bellarmino citatum sequentibus verbis: *Christi animam venisse usque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos solveret à tormentis, quos esse solvendos occulta nobis sua Iustitia judicabat, non immeritò creditur; quomodo enim aliter accipiendum sit, quod dictum est, quem DEus suscitavit ex mortuis, solutis doloribus Inferorum, quia non poterat teneri ab eis, non video, nisi ut quorundam dolores apud Inferos Eum solvisse accipiamus eâ potestate, quâ Dominus est, cui omne genu flectitur cœlestium, terrestrium & Infernorum, per quam potestatem illis etiam doloribus, quos solvit, non potuit teneri.* Hæc cùm ita se habeant, nihilo tamen minus priorem Augustini de ipsâ Christi personâ explicationem *Sanctius* antehabuit, ea, quæ ad ejus illustrationem pertinent, probabilia judicans, utut longè probabilius adhuc existimaverit, sermonem hic Apostolo non esse de his doloribus, qui quoquomodo apud Inferos sustinentur, sed de aliis, qui propter acerbitatem hyperbolicè inferni, vel clarius infernales dicuntur; cùm dolor, quem passus est Christus, tantum habuerit acerbitatis, ut, si uspiam alius, Inferni dolor adpellari potuerit, & hinc sensum Petri verborum esse, Christum acerrimis doloribus perfunctum esse excitatum. *Tirinus* quoque posthabitâ posteriore Augustini Sententiâ priorem amplexus apertissimè adprobavit, eoquemet ipso interpretationem, quam Bellarminus Augustino præter rationem adfinxit, apertissimè reprobavit.

lib. 12. de Gen. ad lit. c. 33.

Ad *nonum* & ultimum ex Novo Fœdere pro eodem Igne Purgatorio locum, illud solùm notari meretur, quod & hic Bellarminus non sine fuco egerit. Exhibet is egregium de Statu Exaltationis Christi testimonium, scilicet accepisse Eum nomen super omne nomen, *ut in nomine IEsu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum.* Ut videatur hic locus ex Sententiâ Augustini Purgatorio Igni favere, scribit Bellarminus, *Augustinum hoc uti loco.* Sed fucus est, ut dixi, quo Lectori persuasum voluit, Augustinum ex eo Ignem Purgatorium vidisse; qui, utut hocusus sit loco, quod ex laudato proximè testimonio negari non potest, non tamen in hunc finem eo usus est, ut Purgatorium exindè ostendat, sed ut Christus ostendatur esse Dominus universalis, cui nemo non subjectus ex omnibus in Cœlo, Terrâ & apud Inferos degentibus, de quibus ipse Bellarminus, quæ Veritatis Evangelicæ vis est, fateri debuit, *quod non improbabiliter Dæmones accipiantur*, Esthio etiam agnoscente, *esse communem omnium penè Interpretum expositionem, per Inferos quidem significari Dæmones caterosq; damnatos, quorum supplicii locus sit Infernus, sed subjectionem genuflexionis nomine significatam intelligi generaliter, quâ nimirum quis alicui subjicitur, sive libenter ac spontanèe, quo modo Cœlites omnes in nomine IEsu totâ mentium humilitate genuflectunt, sive etiam coactè, quatenus ita subjectus est, ut resistere non possit, qui modus Dæmonibus & in universum damnatis competat*, id quod pluribus S. Scripturæ testimonibus illustratur. Atque ita hactenus satis superque est demonstratum, nullum ex utriusque Testamenti libris oraculum posse ostendi, quod juxta explicationem Augustini illud exhibeat Purgatorium, quale in oculis Papæorum ardere videtur, adeòq; ad mentem quoque augustissimi hujus Doctoris dici posse, quod priori Seculo *Picherellum*, celebrem Sorbonistam scripsisse in Vindiciis Anti-Thomisticis monui, *Purgatorio fovendo, imò ne excitando quidem, nullam in omnibus Bibliorum Silvis lignam inveniri.*

Philip. II.

CAPUT DECIMVM &seqq.

De

Aliis ex Augustino testimoniis.

Duplicis ea exhibet generis Bellarminus, unius quidem, quibus probet, orationes olim in Ecclesiâ, nominatim Augustini tempore, pro defunctis fuisse factas; alterius autem, quibus apertissimè Ignis Purgatorius ostendatur. Ad prioris generis vel speciei testimonia pertinent, quæ caput proximè antecedens habet, in quo Conciliorum Decreta sistuntur, quorum pleraque non nisi de his orationibus pro defunctis agunt; contra quas dum *Petri Martyris* exceptiones diluere studet, varia eundem in finem ex Augustino pro earum commendatione colligit Bellarminus, id inprimis urgens, quod de recepto earum usu communi scripsit: *Si nusquam in Scripturis Canonicis omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hâc consuetudine clarei, auctho-*

de curâ pro mort. cap. 1.

authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ DEO ad Ejus Altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio defunctorum. Addit ex eodem Sancto Patre, *inſolentiſſimæ eſſe inſaniæ, diſputare contra id, quod univerſa facit Eccleſia.* Subjungit ejusdem de harum orationum & Interceſſionum uſu teſtimonium, an ſcilicet proſint animabus defunctorum preces Eccleſiæ, ſcribentis, *prodeſſe illis, qui in hâc vitâ non fuerunt valdè mali, & qui meruerunt, ut ſibi prodeſſent; non autem illis, quæ fuerunt valdè mali, & proindè nihil tale meruerunt.* ibid. Et quia hanc in ſpecie exceptionem non parum momenti habere exiſtimavit Bellarminus, quâ Eccleſiam pro Martyribus & aliis in Statu Beatitudinis extra controverſiam viventibus orare perhibetur, ideò ex eodem Auguſtino Eccleſiam tale reſponſum ſtitit ſuppeditantem: *Ideò ad ipſam Menſam non ſic Martyres commemoramus, quemadmodum alios defunctos, qui in Pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis, ut orent ipſi pro nobis.* Tract. 64. in Joh. Alia accedunt loca Sancti Patris, ad quæ Bellarminus ratione orationum pro defunctis provocat, ea inprimis, quæ ex laudato Ejusdem *de curâ pro mortuis* libro deſumuntur, undè ſequentia in rem ſuam laudat: *Cùm recolit animus, ubi ſepultum ſit chariſſimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis, adfectus; qui cùm defunctis à fidelibus chariſſimis exhibetur, eum prodeſſe dubium non eſt.* cap. 4. Et poſt aliqua: *Non ſunt prætermittendæ Supplicationes pro Spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtianâ & Catholicâ ſocietate defunctis, tacitis etiam nominibus quorumcunque, ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut, quibus ad iſta deſunt Parentes, aut filii, aut quicunque cognati vel amici, ab unâ eis exhibeatur piâ Matre communi.* Quæ alia magno ſatis numero loca citat Bellarminus, verbis tamen non expreſſis, cùm idem, nec aliquid amplius vel ſingulare habeant, brevitatis ſtudio nunc omittuntur, tranſitu intereà facto ad poſterioris generis teſtimonia, quibus Auguſtinum apertiſſimè Purgatorium adſeruiſſe ſtatuit Bellarminus, nominatim de morte infantis baptizati ita ſcribentem: *Non tantum pœnis non præparatur æternis, ſed nec ulla poſt mortem purgatoria patitur tormenta.* lib. 21. de Civ. Dei, cap. 16. Accedit, Eum de adultis fidelibus, qui cum levibus decedunt peccatis, hunc in modum cenſuiſſe: *Tales conſtat ante Iudicii diem per temporales pœnas, quas eorum Spiritus patiuntur, purgatos, Ignis æterni ſuppliciis non tradendos.* ibid. cap. 24. Et alibi: *Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, per Ignem quendam purgatorium tranſibunt, de quo Apoſtolus inquit, ſalvus erit, ſic tamen, quaſi per Ignem.* Homil. 16 ex quinquag. Et iterùm: *Qui fortè agrum non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hâc vitâ maledictionem terræ ſuæ in omnibus operibus ſuis, & poſt hanc Vitam habebit vel Ignem purgationis, vel pœnam æternam.* lib. II. Gen. c. Manich. cap. 20. Tandem: *Quia dicitur, ſalvus erit, ille Ignis contemnitur, ita planè, quamvis ſalvus per Ignem; gravior tamen erit ille Ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hâc vita.* in Pſ. 87. Addit ad hæc Bellarminus, ut Auguſtinum contra quasvis exceptiones pro Igne Purgatorio ſtatuentem ſiſtat: *Cùm Auguſtinus aliis in locis dubitari poſſe dicit & quæri, an poſt hanc Vitam animæ torqueantur Igne purgatorio; non dubitat de pœnâ animarum, ſed de modo & qualitate. Nam in priore loco ſolum dubitat, an ignis purgatorius idem ſit in ſubſtantiâ cum Igne gehennali; in poſteriore autem, an poſt hanc vitam animæ urentur Igne illo doloris de amiſſione temporalium, quo hic uri ſolent, cùm rebus valdè dilectis carere coguntur.* lib. 21. de Civ. Dei, cap. 26. Enchir. cap. 69.

Ut de poſterioribus hiſce Auguſtini teſtimoniis, quibus Eum apertiſſimè Ignem Purgatorium ſtatuere dicit Bellarminus, primùm dicamus, illud in genere venit repetendum, quod ſupra non ſemel in examine locorum utriusque Teſtamenti debuit obſervari, Auguſtinum probabiliter quidem ſtatuiſſe aliquem Purgatorium Ignem, ſed non jam animas mortuorum torquentem, ut Papæis videtur, ſed in die Judicii demum extremi eas purgaturum, cui quendam alium antepoſuit Ignem adflictionum temporalium, per quem homines in hâc etiam vita aliquatenùs purgari ſtatuit. Hæc non ſine cauſâ dici, teſtimonia ſuperius citata & contra iniquas Bellarmini detorſiones vindicata ſatis teſtantur ſuperque. Et ſi id obſervetur non difficile erit, ad hæc quoque loca ſufficienter reſpondere, ut manifeſtum fiat, in Auguſtini oculis Ignem Purgatorium, qualem Papæi accendere conantur, fuiſſe inviſum ac omninò incognitum. Et in ſpecie *primum* Auguſtini teſtimonium de morte Infantum baptizatorum ita intelligi debere, ibidem clarè indicatur per ſequentia: *Quisquis cupit pœnas evadere ſempiternas, non ſolùm baptizetur, verùm etiam juſti-*

ficetur in Christo, ac si verè transeat à Diabolo ad Christum: purgatorias autem pœnas nullas opinetur futuras, nisi ante illud ultimum tremendumque Iudicium. Ut non urgeam, quod aliis circa hujus loci sensum observare placuit, Augustinum ea intellexisse tormenta purgatoria, quæ non Catholici, sed Platonici & Platonem secuti Origenistæ defendebant. Cùm enim contra istos illâ libri parte disputet augustus Doctor, non debere absurdum videri, ut, quæ Illi vel constituebant, vel ex suo Dogmate constituere poterant, rejecerit Sanctus Pater. Nam cùm isti illud prius, quod de æternis dicit pœnis, admitterent, à quibus hanc ætatem multò magis submovebant, quàm cæteras; Augustinum, ut totum eorum excluderet delirium, tormentis etiam purgatoriis infantes baptizatos exemisse, ne quis ex illo errantium grege exciperet, ipsam quoque ætatem illam, tametsi æternarum pœnarum expertem, non fore tamen à Purgatoriis immunem, quibus carnalis & animalis eorum natura excoquatur & refingatur, atque hinc velut hanc Exceptionem præoccupando in proximè sequentibus adjecisse: *Sufficit enim sola spiritalis generatio, ne post mortem obsit, quod carnalis generatio cum morte contraxit.* De secundo testimonio ex eodem libro actum est sub initium Examinis locorum Novi Fœderis, atque ex *Ludovico Vive* ostensum, verba, quæ Bellarmino Ignem Purgatorium satis manifestè visa sunt ostendisse, ad Textum Augustini non pertinere, sed aliundè intrusa esse. Ad *tertium* ergò testimonium ut veniamus, id ante omnia notari debet, quod non indubium sit, sed de aliquâ suppositione suspectum, ex eo videlicet Homiliarum numero, quarum pauciſſimas pro genuinis *Possidium* in Indiculo agnovisse, ipse testatur *Possevinus*, interque eas hanc non referri, ex quâ Bellarminus hoc testimonium desumsit; ut non dicam, etiamsi Patrem agnosceret Augustinum, non tamen de Igne Purgatorio id loqui, quem Papæi fingunt, sed quem in die Judicii animas purgaturum probabiliter statuit Augustinus, ut dictum. Circa *quartum* hoc observandum est, legi illud in tali Scripto, quod ab Augustino neque Episcopo, neque Presbytero, sed Ministerii adhuc Candidato, ut hodie solemus loqui, & Theologiæ studioso fuit profectum, in quo videtur vires suas contra Manichæorum errores experiri voluisse, quid valeant, vel quid recusent ferre, in eâ nimirum ætate constitutum, quâ Origenistarum opiniones nondum planè sepositi, quibus alii etiam non ineruditi præbuerunt consensum. Res autem ei in toto hoc opere fuit cum Manichæis, communibus tum cæterorum, tum in specie Origenistarum hostibus. Ita utrorumque Sententiam, cùm pro utrisque pugnaret, expressit, lite de æternitate pœnarum missâ, quæ nihil ad præsens Institutum faciebat, defenditque ex omnium, qui se Catholicos & à Manichæis alienos profitebantur, Dogmate, veram inveniri Sententiam, homini lapso à Creatore dictatam, *In sudore vultûs tui comedes panem tuum.* Nam & bonos cum labore agrum suum, id est, animum excolere, tametsi post mortem quiescant; & reprobos, quibus in luxu & desidiâ per summam inertiam traducitur ævum, habituros post mortem vel Ignem purgationis, ut quidam *Originem* secuti existimabant, vel pœnam, ut cæteri, æternam. Ostendunt hæc clara Augustini verba, quibus hanc Explicationem notanter obsignat, scribens: *Ita nemo istam evadet Sententiam; sed agendum est, ut saltem in hâc tantum vitâ sentiatur.* Quod verò Augustinus Sententiam *Origenis* hic non oppugnaverit, causa forsitan est, quia vel propositi ratio id non exegit, vel Ipse eam tum temporis non adeò statuit improbabilem, aliàs Eum in hoc opere non semel imitatus, ut eò majori adparatu Sacræ Geneseos historiam, quam Manichæi non parùm deturpaverant, ab eorum sarcasmis & obtrectationibus vindicaret. Etsi autem videatur hæc in *Retractationibus* suis, unà cum pluribus aliis, etiam momenti minoris, corrigere meritò debuisse, nisi constanter huic Sententiæ videri voluerit inhæsisse; ægrè tamen ferri non debet, id ab Eo non factum, si cogitemus, etiam alios, qui Ejus exemplo scripserunt *Retractationes*, Bellarminum inprimis, non omnia specietenùs attigisse, quæ corrigenda videbantur, multa singulari studio prætermittentes, ne nimiâ emendationem copia omnis authoritas detraheretur Scriptis, quæ non omninò abolita, sed cometi ipso modestè Lectori voluerunt commendata. Quæ ad *quintum* pertinent locum, ex parte jam fuerunt observata sub initium Examinis testimoniorum ex Veteri Testamento. Hic illud solùm observari meretur, verba à Bellarmino laudata nihil amplius exhibere, quàm graviſſimum illius Purgatorii Ignis ardorem, quem in die Judicii animas purgaturum ita statuit, ut neminem ad suæ hujus Sententiæ acceptationem voluerit coactum, ut ex duobus testi-

monijs

NB. vid. Dallæj. de Pœnis & Satisfact. pag. 424.

vid. Dallæj. l. cit. p. 425.

Gen. 3.

moniis sequentibus constabit, ad quæ, utpotè Ignem Purgatorii Papisticum non parum obscurantia, Bellarminus respondere quidem conatus est, sed pro more in vanum. Quod enim de priore dicit, Sanctum Patrem in eo dubitare solùm, *an Ignis purgatorii idem sit cum Igne Gehennali quoad substantiam*, falsum scribit testimonium, idque Augustino adtribuit, quod illi in mentem non venit. Ipsa Augustissimi Doctoris verba superius prolixè fuerunt descripta, ex quibus nihil tale exsculpi potest, quocunque etiam modo ponderentur. Respondere nimirum & hic aliquid pro more voluit Bellarminus, quamvis non ad rem, modò ne fraus apertè pateat. Quod autem de posteriori testimonio, itidem supra jam citato, respondet, Augustinum in eo saltim dubitare, *an post hanc Vitam animæ urantur Igne illo doloris de amissione temporalium, quo hic uri solent, cùm rebus valdè dilectis carere coguntur*; aliquid dicit quidem Bellarminus, sed nihil contra Evangelicos, hoc Augustini testimonio utentes, verùm contra semetipsum. Si enim dubitavit de hoc Igne doloris, cur non de ipso Igne Purgatorio, quem in die Judicii animas purgaturum non improbabiliter statuit, dubitasset, cùm de uno æquè ac de altero non nisi dubitanter ac multâ cum hæsitatione scripserit, ut ex citatis jam ante Testimoniis est videre.

Ad *prioris* nunc generis testimonia ut deveniamus, ea nimirum, quæ de orationibus & Intercessionibus pro defunctis agunt, repetere hic prolixè opus non est, quæ de earum origine & usu in Ecclesiâ Veteri inter & ante omnes ferè alios *Chemnitius* noster, more suo, accuratissimè observavit, & post Eum plures alii eum in finem notarunt, ut ostenderent, nullam ex hisce precibus ad Ignem Purgatorium, quem Papæi fingunt, legitimam esse consequentiam; pauca tantum nunc lubet addere ex eorum numero, quæ celebris quidam Scriptor in Antiquitate Ecclesiastica non parum versatus, paucos ante annos in peculiari Tractatu, quem de *Veterum Oblationibus pro defunctis* scripsit, ex antiquis pariter & hodiernis Ecclesiæ Doctoribus in satis bonum redegit & collegit ordinem, quædam non ubivis obvia nec omnibus nota Lectori proponens. Præter alia illud inprimis observationem meretur, quod de usu Precum pro defunctis agens, contra singularem quandam *Antonii de Dominis* opinionem circa Originem earum notavit. Existimavit is, eas in hunc finem ab initio introductas, *non ut pro mortuis, sed pro moribundis & animam agentibus sub extremâ mortis vel Vitæ horâ à circumstantibus dicerentur, verùm à moribundis posteà translatas ad mortuos*, quòd Ecclesia in privatis morientium ædibus angustisque eorum cubiculis commodè minus convenire, & postremum hoc Charitatis officium præstare potuerint; & hinc, quod moribundo debebatur, mortuo in Exequiis esse persolutum. Sed benè monuit laudatus Author, id quod celebri aliàs huic Viro dubium fuit nullum, dubium habere vel maximum, cùm nuspiam eæ precum formulæ, quas Ecclesia pro defunctis habuisse legitur, apud moribundos inveniantur usurpatæ, nec id ullo vel unius prisci, vel recentioris etiam Scriptoris testimonio confirmari possit, ac proindè opinio hæc vel novitate suâ sit falsi suspecta; ratione inprimis ab angustiâ cubiculi parum valente ac nimis angustâ, dum priscis fidelibus quotidiè ad sacra publicè convenientibus, etsi Ecclesia moribundi cubiculum ingredi non potuerit, potuerit tamen exinde ad Ecclesiam mitti, & potuerint ad Sacra hæc quotidiana collecti fideles rogari, ut animam moribundi DEO commendarent, more hodienùm inter Evaagelicos recepto. De utilitate precum pro defunctis & quidem ob impœnitentiam damnatis sequentia ibidem ex eodem Antonio de Dominis citantur: *Etiam pro damnatis usus fuit aliquando ferè universalis, fundere in Ecclesiâ proficuas orationes, non quidem ex Origenis errore, qui preces pro damnatis adeò censuit proficuas, ut possent damnatum à suppliciis Inferni penitùs eruere; sed quod talibus precibus minui cruciatus damnatorum aliquantisper putaverint, manente tamen supplicio æterno.* Circa hoc testimonium illud præsertim videtur censuram mereri, quod hic mos orandi pro damnatis dicatur *ferè universalis* & œcumenicus, sine sufficienti tamen demonstratione ex Authoribus, qui testimonium dicere debebant. Et ad quem modum *Antonius hic de Dominis* Orationes in Ecclesiâ Veteri factas fuisse censet pro defunctis jam damnatis, ad impetrandam à DEI clementiâ aliquam pœnarum Inferni mitigationem; Ita etiam eas non fuisse inutiles pro defunctis jam Beatis *videlicet ad honorem ipsorum & gloriæ accidentalis vel accidentale incrementum* à DEO tanquam gratiosissimo Bonorum operum æstimatore vi factæ promissionis impetrandum. Et quia fide-

vid. Exam. Conc. Trident. part. III. pag. m 111. seqq. conf. Picher. opus. p. 152. & seqq.

cap. II. p. 84. seqq.

les etiam cum aliquibus peccatis levioribus ex hâc discedere Vitâ crediderunt aliqui Veterum, hinc circa earum remissionem post mortem idem Antonius de Dominis ibidem legitur peculiarem habuisse opinionem, scribens: *Non est absurdum fateri, peccata leviora, si quæ in hâc Vitâ quoad culpam remissa non sunt, post mortem remitti, idque paulò post obitum, dum piæ & religiosæ Exequiæ peraguntur, virtute Intercessionis Ecclesiasticæ, in precibus publicis, iis præsertim, quæ ad sacram fiebant synaxin.* Addit, *Siquidem Ecclesia perpetuò oravit pro defunctis & obtulit, ab Apostolis etiam edocta; piè credi posset, Deum vel in mortis puncto talibus venialia remittere peccata, condonando ea nomine Ecclesiæ propter prævisas intercessiones, vel paulò post mortem aliquâ datâ morulâ, antequam in Cœlum inducantur; non enim necesse est, in unico instanti animas statim ex corpore egressas ad suum pervenire terminum.* In quâ Sententiâ præter id, quod Ecclesiam ab Apostolis edoctam perpetuò oravisse pro defunctis & obtulisse ex merâ statuitur conjecturâ, hoc etiam meritò venit animadvertendum, DEum ob prævisas Ecclesiæ preces homini peccata vel in ipso Mortis puncto, vel paulò post mortem remittere, cùm id nullâ Scripturæ authoritate possit demonstrari. Locum Augustini classicum & in hâc Quæstione vexatissimum quod attinet, quo Sacrificia sive Altaris sive quarumcunque Eleemosynarum, quæ pro baptizatis omnibus defunctis offeruntur,

Euchir. cap. 110. *pro valdè bonis gratiarum actiones esse* dixit, *pro non valdè malis propitiationes, pro valdè malis, etsi non adjumenta mortuorum, qualescunque tamen vivorum consolationes*; utut Antonius de Dominis non adeò clarum esse putaverit, quomodo Augustinus intellexerit vel intellectum voluerit, quod preces & oblationes pro defunctis non valdè malis sint propitiationes, videlicet, ad remissionem culparum venialium, *num ad aliquam pœnæ remissionem, vel ad aliquid aliud habeat respectum*, monuit tamen laudatus Scriptor, preces & oblationes pro defunctis ab Augustino dici propitiationes, non quod per eas DEus nondum placatus sit placandus, sed *quia per Eleemosynas pauperibus nomine defuncti datas ipse defunctus sibi apud Deum patronos & interessores conciliare creditur, qui suis Deum precibus implorent, ut defuncto Benefactori in Cœlo magis propitius & in die novissimo clementior adparere velit.* Alia hujus generis eo præter, quæ ibidem circa has pro defunctis preces observantur, cùm hæc pauca possint sufficere, ut intelligamus, ab hoc usu precum apud antiquos derivari non posse Ignem purgatorium, qualem Papæi ex iis sequi contendunt. In specie autem, ut ad Augustini de iis loca breviter aliquid dicatur, sicut supra non semel fuit ex Sancto Patre agnitum, *disputare contra id, quod universa facit Ecclesia, insolentissimæ esse insaniæ*, ita videre non licet, quâ ratione Ecclesia dici possit statuisse Ignem Purgatorium, quia in precibus ad Altare locum habuit *commendatio defunctorum*, utpotè quæ non tam intercessoria vel alicujus boni impetratoria, quàm debitæ erga DEum gratitudinis declaratoria & ad Imitationem exhortatoria dici potest, id quod inter alia exinde etiam manifestum

vid. Picher. opusc. pag. 159. & 160. esse potest, dum Augustinus de memoriâ Martyrum ad Altare scribit, *eam non ideò fieri, ut pro iis oretur, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus*; qui Doctor augustissimus expressè scribens, Supplicationes pro omnibus in Christianâ & Catholicâ Societate defunctis; *tacitis etiam nominibus quorumcunque, sub generali commemoratione* fieri, nullo planè modo Ignem Purgatorium, in eorum culinis ardentem, qui verè pro eo tanquam pro Aris & focis pugnant, accendere voluit, nisi communem eum omnibusque sustinendum docuisse Ecclesiam dicere velimus, quod tamen dici non posse in propatulo est.

Accedunt diversa quinque loca Augustini, Purgatorium Ignem Papæum omninò extingventia, quamvis ea omni vi Evangelicis eripere, inque sensum planè alium detorqvere conetur Bellarminus. Videamus eo ordine, quo ab Ipso sunt proposita, subjunctis postmodum Ejus contra eorum fulgorem responsis. Primus hic est:

Tract. 49. in Joh. lib. V. *Habent omnes animæ, cùm de Seculo exierint, diversas receptiones suas; habent gaudium boni, & mali tormenta. Sed cùm facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur.* Secundus:

Hypogn. ultra med. *Primum locum fides Catholicorum Divinâ authoritate credit regnum esse Cœlorum, secundum verò Gehennam, ubi omnis apostata vel à Christi fide alienus æterna experietur supplicia; tertium penitùs ignoramus, imò nec esse in Scripturis sanctis invenimus.* His

in Psal. 31. vel 32. verbis similia alibi non semel apud Augustinum legi additur. Tertius: *Si DEus texit peccata, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.* Quartus à Bellarmino

hon

non plenariè expressus: *Morum corrigendorum nullus alius, quàm in hâc vitâ locus; nam post hanc vitam quisque id habebit, quod in hâc sibimet conquisierit.* Epist. 14. ad Maced. Quintus huic parallelus est & per omnia similis: *In quo quemque invenerit suus dies novissimus, in hoc eum comprehendet Mundi dies novissimus; quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.* Epist. 80. Hesych. Et post aliqua: *Per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inveniat eum Domini adventus; imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suæ hujus vitæ dies ultimus.* Possent quidem alia adhuc ex Augustino loca contra Ignem hunc Purgatorium colligi & produci, quæ tamen, quia ejusdem sunt sensûs cum laudatis, vitandæ prolixitatis gratiâ prætermittuntur, nobis in eo jam ex debito occupatis, ut videamus, an Bellarminus aliquid contra hæc loca potuerit excipere, quæ vim eorum enervent, nobisque eripiant. Et quidem ad *primum* respondet: *Gaudium & requiem dari statim à morte omnibus, qui in Charitate decedunt, cùm certi fiant suæ Salutis æternæ, quod ingens adferat gaudium; non tamen eodem modo dari istud gaudium, sed diversimodè pro meritorum diversitate. Quibusdam dari sine doloris admixtione, quibusdam non sine temporalium pœnarum admixtione, ut idem Augustinus sæpissimè docet.* Sed operæ fecisset pretium Bellarminus, si hanc pœnarum temporalium mixturam, quam Beatis etiam post mortem evenire fingit, unico saltem Augustini testimonio confirmasset, id quod Eum sæpissimè docuisse scripsit. Ex cujus defectu mixtura hæc per se cadit, ac Gaudium in verâ Fide morientibus, etsi non ex omni parte perfectum & plenariè consummatum, purum nihilo-minus atque sincerum, sine omni doloris admixtione, concedi cum Augustino, ipsâ imò Scripturâ piè credimus. *Ad Secundum*, non obstante dubiâ libri authoritate, quam Evangelici quoque agnoscunt, respondet, *loqui Eum de locis æternis; agere enim contra Pelagium, qui tertium pro parvulis non baptizatis invenerat locum, quos volebat fore beatos Beatitudine quâdam naturali extra Infernum & extra Regnum Cœlorum. Quod autem non negaverit Augustinus tertium locum post hanc Vitam, ex eo posse intelligi, quod Fides Catholica doceat, præter Cœlum & Infernum ante Christi passionem fuisse Sinum Abrahæ, ubi degebant animæ Sanctorum Patrum.* Atqui meminisse debebat Bellarminus, doctrinam de Limbo Infantum non adeò procul abesse à Pelagianorum sententiâ, contra quam hic egisse Augustinum scribit, si non eadem est omninò. Certè si tertium aliquem locum quoad temporales etiam pœnas post mortem agnovisset Augustinus, contra Pelagianos agens, non ita absolutè Fidem Catholicorum Divinâ authoritate fundatam penitus ignorare tertium aliquem locum præter Cœlum & Infernum scripsisset, addens, eum in Scripturis Sanctis non inveniri. Nec ineptè ad marginem hic *Purgatorium* posuit Erasmus, ut Bellarmino visum, cùm & Parisienses ante hoc Seculum Augustini operum Editores illud Marginale expresserint, non facturi, si contra mentem Sancti Patris ab Erasmo adpositum fuisset, agnoscente nimirum, si tertium aliquem locum Fides Catholica penitus ignoravit, Ignem quoque Purgatorium ignorasse, utpotè qui nec ad Cœlum, nec ad Infernum proprie referri possit. De cætero, quod Bellarminus de Sinu Abrahæ, tanquam tertio quodam loco & Statu Patrum Vet. Testam. ante Christi passionem habet, quasi doctrinâ Fidei Catholicæ, principium petit, quod adhuc demonstrationem desiderat, nescio, an sufficienter exhibendam, de quo aliàs. Ad *tertium* respondet, *loqui Augustinum de pœnâ non temporali, sed æternâ; quod enim pœnam temporalem requirat DEus, Doctorem augustum alibi docere.* Sit ita, legatur alibi apud Augustinum, *vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, pœnam temporaliter hominem tenere, etiam quem jam reum ad sempiternam damnationem non tenet culpa;* Tract. 124 in Joh. Nemo tamen non videt, uti Sanctum Patrem vocabulo pœnæ in sensu aliquantò laxiore, nihilque intelligere aliud, quam calamitates temporarias, in hâc adhuc Vitâ hominibus à DEO impositas, quas Ignem Purgatorium dixisse Augustinum, supra vidimus, ab Igne Purgatorio in culinis Papæorum ardente quam-maxime diversum. Ad *quartum* respondet: *Nihil eum ad rem facere.* Causam dicit hanc: *Nam etsi non erit post hanc Vitam locus, ubi convertantur flagitiosi & suos corrigant mores; erit tamen, ubi levia Iustorum peccata, quæ dici non possunt flagitia, purgentur, & pro dimissis jam criminibus pœna temporalis lui possit.* Verùm & hic ponit Bellarminus, quod adhuc est in quæstione, dum Augustinus è contrario verbis quammaximè apertis significavit,

nullum alium quàm in hâc vita locum esse morum corrigendorum, &, quod notandum venit, *quemque post hanc Vitam id habiturum, quod in hâc Vita sibimet conquisierit*, quo nihil clarius dici aut scribi potuit, ut adeò *nihil ad rem* omninò faciat, quod Bellarminus per justorum à flagitiosis, leviumque peccatorum à flagitiis distinctionem efficere laboravit, Augustino id partim per particulam exclusivam, *nullus*, partim per particulam universalem, *quivis*, satis notanter eludente, ac ita manifestè Sententiam exponente, ut mirum sit, ausum fuisse Bellarminum, Soli offundere tenebras, per se facili operâ dispellendas. Ad *quintum* respondet, *Augustinum significare, post hanc vitam non crescere merita vel demerita, & ideò judicandos omnes vel ad Gloriam vel ad Gehennam, & ad majora vel minora præmia vel tormenta, prout eorum opera fuerint ante mortem.* Si & hic Bellarminum singulari studio pervertere Augustini mentem voluisse dicamus, nullam ei injuriam faciemus; adeò enim clara iterùm & perspicua sunt Ejus verba, ut nullam planè obscurationem admittant, præprimis, si eæ producantur hypotheses, quæ examen adhuc prolixius requirunt, qualis est de incremento meritorum Gloriæ, qualia in se nulla veri fideles agnoscunt, omnia quæ habent & olim sunt accepturi, soli Gratiæ & Merito Christi ex debito adscribentes.

Atque sic excussis & vindicatis Augustini testimoniis Ignem Purgatorium non illustrantibus, sed quam-maximè obscurantibus, si non omninò extingventibus, constat, Augustinum pro teste hujus Purgatorii Ignis laudari omninò non posse, & Bellarminum in eo labore pro viribus occupatum frustra sudasse. Nunc id præterea venit addendum, quod ad præcedentia duo capita pertinet, nimirùm, vindicatio eorum ex Sacra Scripturâ testimoniorum, quæ contra hunc Ignem Purgatorium ab Evangelicis laudari scribit Bellarminus, & ad quæ pariter respondere conatur; quamvis & hic ea tantum attendantur, circa quæ Augustini authoritas commendatur. Primum hoc est: *Cùm dederit DEus dilectis suis somnum, ecce, hæreditas Domini!* Ex hoc loco talem ab Evangelicis necti consequentiam dicit Bellarminus: *Non igitur intercedit Purgatorium inter mortem fidelium & cœlestis hæreditatis consecutionem.* Respondet autem, *tractare Psalmum de generali resurrectione, Augustino rectè ita exponente, & hunc esse eorum Verborum sensum: Cum dederit DEus dilectis suis somnum, id est, cùm dormierint per corporalem mortem omnes Electi, ecce, hæreditas Domini, id est, continuò tunc adparebit hæreditas Christi, resurgentibus in Gloria omnibus Electis ejus, quæ hæreditas est etiam merces ejusdem Christi, qui passione & morte suâ nos adquisivit. Et æque idem est hæreditas & merces, idem filii & fructus ventris; filii enim DEI per adoptionem sunt hæreditas Domini, & iidem filii, qui & fructus ventris adpellantur, sunt ejusdem Domini merces.* Adde, *quod in Textu Ebraico, quem Adversarii Latino præferunt, non habetur*, cùm dederit, *sed*, sic dabit. *Proindè ruit vis tota argumenti; non enim exprimitur*, quando *adveniet hæreditas Domini.* In genere ad rationem argumentationis ex hoc testimonio contra Ignem Purgatorium notari debet, Evangelicos eo non ita uti, uti aliis expressè contra Ignem hunc directis, cùm Regii Psaltis scopum ex toto contextu alium planè videant & agnoscant; sed ideò, quia non inutiliter ex Latinâ Vulgati Interpretis Versione, quæ, ut notum est, apud Papistas pro authenticâ venditatur, contra Ignem Purgatorium urgèri posse videtur. *In specie* autem quoad Augustini Expositionem, illud observandum, ipsum quoque Bellarminum, qui hic ad eam provocat, alibi videlicet in Commentario, eam non aliter exhibere, nisi quatenus altiorem Sensum respicit, de cætero statuentem, Ebraico Textui conformiter hæc Verba exponi de statu populi & Ecclesiæ Novi Testám. hunc in modum: *Cùm dederit dilectis suis Somnum, id est, cùm pacem & quietem Dominus populo suo dederit, mittens ad illos verum Salomonem, qui Templum verum, id est, Ecclesiam suam fundabit & propagabit, atque ipsos etiam Imperatores Orbis terræ illi subjiciet, ecce, hæreditas Domini filii, merces fructûs ventris, id est, ecce, tunc adparebit, quod hæreditas Domini erunt filii plurimi, & merces ejusdem Christi Domini erit fructus ventris, filii scilicet plurimi.* Cæteri Interpretes plerique Augustini Expositionem à Bellarmino laudatam non attendunt, alias vel secundum literam, vel secundum Anagogen sequentes. Benè *Muisius* ad mentem regii Psaltis hæc Verba explicat: *Vt vos frustra fatigamini, vix unquam à laboribus & curis quiescentes; sic Deus his, quos diligit, liberam ac tranquillam mentem, atq; adeò somnum concedit, non otiosis quidem illis & ignavis, sed sic laborantibus, ut se inanibus curis haud excrucient, sed eventum DEO committant, & peracto labore suaviter dormiant.*

Aliter

Psal. 126. vel. 127.

vid. Prückn. ad h. loc.

Aliter Castaneus, *Hilarii*, Pictavorum antehàc Episcopi in Cathedrâ non ita pridem Successor: *Cùm dederit* & immiserit Christus *dilectis suis* Apostolis, Petro, Jacobo & Johanni, quibus præ cæteris sua committebat arcana, *Somnum* & soporem arctiorem in Horto Gethsemane, *ecce*, adveniente Judâ Ischariote & turbâ Judæorum, *hæreditas Domini*, obventura nobis, in ipso Passionis præludio adparuit, *filii*, scilicet DEI, *merces*, ad humanum genus reparandum, qui est *fructus ventris*, Beatissimæ Virginis Mariæ, in Cruce suspendendus. Post omnes alios *Franciscus Carriere*, Minorita, hæc habet: *Extendunt Interpretes ad omne opus, quod molitur homo, ita ut nec familias, nec urbes, nec proles parari vel servari posse doceant citra DEI favorem. Addo, hic increpari mortales de nimiâ sollicitudine temporalium, vel Verbi DEI Concionatores de nimiis vigiliis in verboso & moderno adparatu Sermonum argui.* Plures non adduco, ab Augustini Sententiâ hic recedentes, cùm præter Bellarminum hi etiam doceant, in Psalterii præsertim Explicatione Augustinum non semper Spiritus Sancti mentem esse adsecutum, & hinc non necessariò sequendum.

Alia nunc videamus & vindicemus Dicta, quæ ab Evangelicis contra Ignem Purgatorium citari solita Bellarminus ex authoritate Augustini ad alium trahere nititur sensum, inter quæ numero & ordine quartum hoc est: *Cùm aversus fuerit impius ab impietate suâ, omnium iniquitatum ejus non recordabor, dicit Dominus.* Ezech. 18. Inde contra Purgatorium ita argui scribit Bellarminus: *Quomodo non recordatur DEVS iniquitatum Amicorum suorum, si eas tam severè in Purgatorio punit?* Et respondet præter alia, vel dicit responderi posse, *recordari iniquitatum esse quidem punire, sed punire in æternum. Nam cùm ibidem legimus*, si justus averterit se à Justitiâ, omnes Justitiæ ejus non recordabuntur; *Cogimur ita exponere, ut dicantur Iustitiæ tradi oblivioni, non, quod non remunerentur temporali aliquo præmio, sed quod hominem non liberent à Gehennâ, nec remunerentur præmio sempiterno, nam alioqui bona impiorum opera non fraudari mercede temporali, docet præter alios Patres Augustinus.* In genere ad hunc locum pro Evangelicis Sententiam contra Bellarminum dicat *Sanctius*, sequentia notanter observans: *Recordari in omni linguâ, & omnium maximè in Ebraicâ, opus sonat externum, ortum non ab otiosâ neque inerti, sed à vividâ practicaque memoria, unde quispiam recordari dicitur pauperis, cùm illius sublevat inopiam; & meritorum alicujus, cùm illa mercede debitâ compensat; & scelerum aut injuriarum, cùm illas ulciscitur; aut paternarum Virtutum, quando filius ad illarum exemplar paternos in se mores informat. Contra verò licet aliquis à se sive meritorum, sive injuriarum memoriam non deponat, oblitus tamen dicitur, cùm nullum extat memoriæ illius monumentum aut argumentum externum, quia quæ iners est & otiosa, non existimatur esse memoria. Hinc Sancti sæpè aut orant DEum, ut sui recordetur, id est, ut faveat; & quod oblitus sit & immemor, expostulant. Hinc orant, ut memor sit inimicorum, id est, ut illos puniat. Iuxta hanc Scripturæ Sacræ consvetudinem dicit Dominus, non futurum se memorem iniquitatum, quas homo pœnitens operatus est, eâ videlicet memoriâ, quâ quis injuriarum recordari solet, ultrice nimirum injuriarum aut peccatorum vindice; neque enim peccata apud DEum in æternum vivent, quæ semel vera Pœnitentia delevit.* Adplicetur hæc *Sanctii* Explicatio ad responsum Bellarmini, & erit manifestum, hunc ab illo deseri & refutari. In specie autem, quod eam attinet ex Augustino exceptionem, quâ *bona impiorum opera non fraudari mercede temporali* cum aliis quibusdam Patribus docuisse scribitur, indeque Bellarminus tanquam ex ratione oppositorum sequi existimat, quod & mala Justorum opera, ea etiam, quæ venialia dicuntur peccata, non sine omni punitione vel castigatione temporali remittantur aut prætermittantur; impertinenter nimis & inconsequenter arguitur. Ut enim cætera non urgeam, illud ante omnia nullitatem hujus illationis ostendit, quod merces illa temporalis pro bonis, si quæ sunt, impiorum operibus non post hanc Vitam, sed in hâc Vitâ adhuc confertur, id quod Augustinus loco per Bellarminum citato amplissimè ostendit, indeque ex ratione oppositorum aliud nihil deduci potest, quàm quod aliqua etiam punitio vel castigatio temporalis pro malis Justorum operibus, iis in specie, quæ peccata dicuntur venialia, juxta proportionem non Arithmeticam, sed Geometricam, adque normam Justitiæ non tam distributivæ, quàm commutativæ, sequi debeat, quod ad fictas Ignis Purgatorii pœnas non pertinere, ipse Bellarminus fortè agnovisset, si rem hanc æquâ lance ponderasset.

Sequi-

Sequitur jam *nonus* ordine & numero locus à Bellarmini responsione vindicandus.

2. Cor. 5. Exhibet is sequens Apostoli Oraculum: *Omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum.* Tale ex hoc contra Purgatorium formari argumentum scribit Bellarminus: *Si post hanc vitam peccata remitterentur, & locus esset purgationi, certè non reciperet unusquisque, prout gessit in corpore.* Respondet autem, *verissimam esse Pauli Sententiam.* Addit: *Nam illi etiam, qui remissionis & purgationis locum in futuro inveniunt Seculo, nihil recipiunt, nisi quod gesserunt in corpore; id enim meruerunt, perseverando in Fide & Charitate usque ad mortem, ut etiam post mortem purgari & juvari possent. Quâ ratione Sancti etiam Viri post mortem, etsi propriè nihil mereantur, tamen à Domino impetrant, quidquid postulant; quoniam id meruerunt in hâc Vitâ rectè vivendo, ut etiam post hanc vitam à Domino exaudiantur*, id quod præter alios iterùm Patres Augustinum non uno in loco docuisse perhibet. In genere & hic animadvertendum venit, Bellarminum pro more receptis à se, sed inconcessis à parte nostrâ hypothesibus militare, eâ præsertim, quâ statuitur, Sanctos in hâc Vita non pro se tantum rectè vivendo mereri, ut post mortem juventur, sed ut pro aliis etiam post hanc Vitam apud DEUM intercedendo, exaudiantur. In specie de Augustini & aliorum Patrum quoad Intercessionem pro defunctis Sententiâ paulò ante fuit dictum, ex eâ nullum planè Purgatorium sequi aut ritè probari posse, quod satis est.

Restat *utimus* contra Purgatorium locus, qui tamen ex debito *primus* nominari potest, utpotè ante omnes alios Ignem hunc Purgatorium omninò excludens. Continet is oraculum Apocalypseos Johannææ illustrissimum: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur amodò, jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequantur illos.* Ei tanquam Propositioni, ut Logici communiter dicunt, majori, hanc Subsumtionem contra Purgatorium subnecti dicit Bellarminus: *At pii omnes in Domino moriuntur, omnes igitur pii post mortem requiescunt, neque ullus est, qui in Purgatorio torqueatur.* Respondet dupliciter, primùm cum Anshelmo, *illud amodò non significare à morte uniuscujusque, sed ab extremo Iudicio, de quo in toto capite Iohannes agat, itaque hunc fore sensum: Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodò enim, id est, à fine hujus judicii, de quo nunc loquor, in æternum requiescunt à laboribus suis.* Deindè, *si id minus alicui probetur, responderi posse scribit cum Richardo de S. Victore & Haymone, loqui Iohannem de Viris perfectis, ac præsertim de Sanctis Martyribus, quos eo in loco consolari voluerit, qui nimirùm simpliciter moriantur in Domino, neque aliquid purgandum ferant secum.* Addit pro illustratione hujus: *Nam qui decedunt cum peccatis venialibus, aut cum debito alicujus pœnæ temporalis, ii non simpliciter moriuntur in Domino, sed partim in Domino, ratione Charitatis, quam ferunt secum, partim non in Domino, ratione peccatorum, quæ nihilominus secum ferunt. Neque mirum videbitur, quod aliquos mori dicamus partim in Domino, partim non in Domino, si legatur Augustinus, qui eosdem homines in hâc Vitâ partim esse dicit Filios DEI, partim filios hujus Seculi.* Et hic iterùm aliqua in genere notari debent, utramque, Explicationem à Bellarmino laudatam concernentia. Ut enim de singulari *Alcasaris*, curiosissimi, ut videri vult, arcani Sensûs in Apocalypsi Johannææ Investigatoris Sententiâ jam prolixè non dicam, quâ non sibi tantum persvasit, sed & aliis voluit persvasum, *Mori in hoc loco non esse re ipsâ ex hâc Vita decedere, sed constanti atque erecto esse animo ad vitam pro Christo cum Sanguine profundendam, & quasi victimam internecioni jam esse devotum ac destinatum pro DEI gloriâ & Christianæ Fidei professione; atque adeò illos hic mortuos nominari, qui fortiter mori decreverunt, priusquàm sceleris quidquam in Divinam committant Majestatem, ac omnes demùm labores & calamitates maturè prospiciant, quàm pluribus quidem argumentis confirmare nisus est*, nulli tamen Interpretum post se persvadere potuit. Qui ante ipsum hæc Novi Testamenti oracula ex eodem ordine susceperunt explicanda, eam hic exhibuerunt Sententiam, quæ cum Bellarminianâ non convenit. Franciscus certè *Ribera* communem Sententiam de omnibus in Domino morientibus dicit esse veram & probandam, atque eidem favere consvetudinem Ecclesiæ, quæ in officio defunctorum hæc proponit verba, *quasi de omnibus velit quodammodo intelligi.* Addit, *causa est, quod esse in Domino, sive esse in Christo significat intra corpus Ejus contineri, non quomodocunque, sed ut viva membra.* Et post aliqua: *ita in Domino moriuntur, qui usq; ad mortem in Domino manent, & cùm moriuntur, viva Christi membra sunt.*

Sub-

Subjungit porrò, *Est hic Sensus ad id, quod Apostolus agit, aptissimus, quoniam & eam de Martyribus complectitur & latius manat, adque justos omnes pertinet.* Secutus hunc proximè *Blasius Viegas*, apertius Bellarmini Sententiam postposuit laudatæ communiori, scribens: *Quidam recentiores existimant, Sermonem hic esse de Martyribus, ut Sensus sit, Beati mortui, qui in Domino moriuntur, hoc est, pro Domino vel propter Dominum, ajunt esse Idiotismum Ebraicæ Linguæ frequentissimum. Et meritò*, inquiunt, *de Martyribus sermo infertur, quia, cùm Iohannes Sanctorum labores & persecutiones Antichristi tempore futuras commemorasset, par erat, ut fideles animaret, felices eos beatosque adpellans, qui pro Domino morerentur, prænuntiansque, fore, ut tamen à laboribus requiescerent.* Verùm *quanquam Expositio hæc probabilis sit, multò tamen probabilior & verior nobis videtur communis Sententia, quæ hunc locum non ad Martyres tantum refert, sed ad Sanctos universos.* Et ubi hanc Sententiam tradere ostendit *Bedam* cognomento *Venerabilem*, *Andream Cæsariensem, Richardum de S. Victore, Primasium, Cœlium Pannonium, Ioachimum Abbatem, Ansbertum, Haymonem*, (quem cum *Richardo de S. Victore* in contrariam laudavit) inprimis *Bernhardum*, cujus egregia duo in hanc rem testimonia adduxit, ita porrò eam Ribera confirmare studuit: *Accedit & Ecclesiæ authoritas, quæ in Officio defunctorum hoc utitur testimonio ad celebrandam cujusvis defuncti memoriam, estque Expositio hæc Iohannis instituto inprimis adcommodata. Cùm enim instituat consolari fideles illius temporis, qui non omnes pro Christo Martyrium pati debent, imò ante paulò de Virginibus disseruisset, convenienti serie ac nexu illos in universum pronuntiavit felices ac beatos, qui in Domino, id est, in Fide & gratiâ Christi morerentur, quò à suis laboribus in Gloriâ requiescerent.* Elegantia etiam sunt, quæ ad hujus phraseos illustrationem in sequentibus subjungit, quæ etiam contra *Alcasaris* singularem Sententiam possunt aliquatenùs inservire; *Mortui hoc loco non Mundo mortui, sed verè mortui per animæ separationem à corpore accipiendi sunt, ut sensus sit: Beati illi mortui, non, qui postquam semel mortui sunt, iterùm moriuntur, sed qui in Domino moriuntur, id est, quibus contingit mori in Domino, seu in Domino mortuos esse. Itaq; mori in Domino nihil est aliud, quàm mori in fide & gratiâ Domini, seu mori servum Domini, ut dictum est de Mose, idemque aliâ etiam loquendi formulâ significatur in sacris Literis, videlicet mori in Pace. Moritur autem justus in Pace, quia in morte omnia ejus bella & certamina finiuntur, cùm improbos maneat sempiterna apud Inferos cum tormentis decertatio.* Porrò, *moriuntur justi in Domino, id est, in Domini sinu quasi dormientes conquiescunt; hoc enim sensu de Beato dictum est Stephano, quod obdormivit in Domino. Adpellatur autem mors justorum somnus, tum propter summam in ipsâ morte quietem & mentis tranquillitatem, ut somnum potius dulcem capere, quàm mori videantur; tum etiam, quia sicut Somnus præteriti laboris est requies, ita Sancti per mortem à laboribus vitæ requiescunt. Eodem recidit illud, quod de Mose dicitur, Mortuus est Moses servus Domini in terrâ Moab, jubente Domino, seu, ut Alii transferunt, super os Iehovah, seu, ex osculo Iehovah, ut sit Sensus, sicut Mater dormientem in sinu suo infantulum solet ore ori adplicato in lectulo reponere; ita DEum Mosen Servum suum ceu dormientem infantulum per osculum & amplexum in Sinu Abrahæ, quasi in lectulo collocasse.* Quæ ultima observatio cum eâ convenit, quæ ad hujus loci illustrationem ex *Sopranis Davide* in Vindiciis *Anti-Thomisticis* fuit laudata. Utriusque autem Interpretis Explicatio eum in finem prolixius fuit adducta, ut eò magis pateret absurditas Explicationis Bellarminianæ, quâ beatos partim in Domino, partim non in Domino mori statuit ineptissimè, & quod magis est, Augustinum ad suas trahere partes est conatus. Nimirùm scripsit alicubi Augustinus, *eosdem homines in hâc Vitâ partim esse filios DEI, partim filios hujus Seculi*, quia scilicet ipse Dominus dixit, *Filii hujus Seculi nubunt*, & de Sanctis Patribus, Abrahamo, Isaaco & Jacobo, aliisque in Sacris Scripturis legitur, *quod per Nuptias generaverint.* At impertinentissimè, ne quid dicam gravius, exinde deducitur, ergò quidam in Domino partim, partim non in Domino moriuntur, cùm alia longè sit conditio hominum in hâc Vitâ, alia autem post hanc vitam, ubi ab illius statu & conditione ad statum & conditionem hujus argumentari non licet. Et fuit omninò hæc partim in Domino, partim non in Domino morientium distinctio, quam Bellarminus primùm somniavit, Augustino ignotissima, sicut videre licet ex eâ Oraculi hujus Explicatione, quam alibi exhibet: *Regnat cum Christo nunc primùm Ecclesia in vivis & mortuis; propterea enim, sicut Apostolus dicit, mortuus est Christus, ut & vivorum & mortuorum dominetur. Sed ideò tantum animas Martyrum commemoravit, quia ipsi præcipuè regnant mortui, qui usque ad mortem pro Veritate certaverunt.*

lib. III. c. duas Epist. Pelag. c. 3.

lib. 20. de Civ. Dei, cap. 9.

Sed

Sed à parte totum, cæteros etiam mortuos intelligimus ad Ecclesiam pertinentes, quod est regnum Christi. Pertinet huc etiam, quod alibi iterum scripsit augustus Doctor, adque aliam adplicavit controversiam: *Sicut per unum omnes ad condemnationem, sic per unum omnes ad Iustificationem; nec ullus est ulli locus medius, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus, volens auferre de cordibus malè credentium istam nescio quam, medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito Innocentiæ sint in Vitâ æternâ, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno Ejus, definitivam protulit ad ora hæc obstruenda Sententiam, ubi ait: Qui mecum non est, adversum me est.* Id quod hic Sanctus Pater contra medietatem Statûs Infantum non baptizatorum scripsit, dici etiam jure meritòque potest contra medietatem Statûs cum peccatis (ut vocant) venialibus ex hâc vitâ decedentium, cùm verba Christi, ad quæ Augustinus provocat, sint generalia, quibusvis specialibus adplicanda casibus. Addantur autem, quæ suprà ex quinto *Hypognosticon* libro de duobus tantum receptaculis animarum post hanc Vitam fuêre adducta & contra Bellarminum vindicata, & mens augustissimi Patris extra omne erit dubium.

lib. 1. de peccat. merit. c. 28.

conf. Peiher. opusc. p. 153. & seqq.

Nunc nihil amplius est super, quam ut ea etiam breviter videamus Sancti Doctoris testimonia, quibus confirmare voluit Bellarminus, ex ratione etiam de hoc Igne Purgatorio constare, eâ præprimis, quâ à mortalibus venialia distinguere solet peccata, pœnâ tantum temporali digna, cum quibus si homo moriatur, necessum esse, ut in alia post hanc Vitâ ab iis purgetur & purificetur. Ad hujus distinctionis confirmationem sequentia laudat Augustini verba: *Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti, imperitia Sapientiæ, malitia Bonitati. Quisquis igitur novit, quid sit Virtus & Sapientia DEI, potest existimare, quæ sint venialia peccata; & quisquis novit, quid sit Bonitas DEI, potest existimare, quibus peccatis certa debeatur pœna & hic & in futuro Seculo. Quibus benè tractatis probabiliter judicari potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam & lamentabilem, quamvis peccata fateantur; & quibus nulla omninò Salus sit speranda, nisi sacrificium obtulerint DEO, Spiritum contribulatum per Pœnitentiam.* Ad hanc rationem accedit alia, quâ statuit, cùm peccatores DEO reconciliantur, non totam semper cum peccato dimitti pœnam temporalem; ac posse fieri & sæpè fieri, ut aliquis in totâ Vitâ non planè satisfecerit pro illa temporali pœnâ. Necessariò igitur statui debere Purgatorium. Antecedens hujus rationis duobus probare studet Augustini testimoniis, quorum prius dum paulò ante fuit examini subjectum, ad posterius nunc tantum respicimus, quo Sanctus Pater sequentia legitur scripsisse, Regii Psaltis ad DEum verba explicans: *Veritatem dilexisti*, hoc est, *impunita peccata, eorum etiam, quibus ignoscis, non dimisisti. Sic prærogasti misericordiam, ut servares & veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed scipsum punienti; Sic servatur Misericordia & Veritas.* Ad utramque rationem breviter sic respondeo, nullum exindè radium Ignis Purgatorii adparere, etiamsi utriusque antecedens concederetur. Posito enim, alia esse vel dici peccata mortis, alia autem veniæ; Item, remisso etiam peccato, super adhuc tamen esse peccati pœnam temporalem, non tamen necessariò Ignis Purgatorius excitari inde potest & debet. Dum verò utrumque inter nos controversum, nondumque à parte adversariâ sufficienter demonstratum est, esse peccata quædam in se venialia, peccatorumque remissionem sequi non rarò pœnam propriè dictam, per se patet, nullum esse consequens, quod pro Igne Purgatorio Bellarminus exinde voluit deductum. Sed &, quod ante omnia hic attendendum venit, neutrum habet Augustinum consentientem. Quamvis enim Doctor augustissimus distinguat inter peccata infirmitatis, imperitiæ & malitiæ, eaque opponat Virtuti, Sapientiæ & Bonitati Divinæ, imò peccata infirmitatis & imperitiæ venialia dicat; non eo tamen sensu vocasse venialia, quo communiter Papæis Doctoribus dicuntur, suo infra loco ex pluribus & prolixioribus Ejus testimoniis, ubi hæc Controversia ex professo tractabitur, erit manifestum. Nunc pauca sufficere possunt verba, quibus magnitudinem minimorum etiam quorumvis peccatorum erga DEum Justitiæ observatorem agnovit: *Væ etiam laudabili Vitæ hominum, si remotâ eam discutias Misericordiâ!* Quod verò ex mente regii Psaltis Veritatem Divinam commendans Augustinus agnovit, DEum peccata etiam remissa, non tamen omninò impunita dimittere, de castigatione Paternâ intelligi debere suprà dictum est, quâ in hâc etiam Vita DEus fideles suos solet visitare, quam idem Sanctus Doctor etli sensu quodam dixit Ignem Purgatorium, nihil tamen prorsus ad Ignem Purgatorium, qui animas cum peccatis venialibus & nullâ adhuc satisfactione aut

lib. 83. Quæst. num. 26.

in Psal. 50. vel 51.

lib 9. Confess. cap. ult.

passio-

passione expiatis mortuorum juxta Papæorum sententiam purgat, pertinere certum est, ut adeò Augustinus impertinenter utrobique & hic sit à Bellarmino tanquam testis laudatus; qui, ne quid relinquat in hâc etiam Quæstione intentatum, inprimis ut obtineat, *Purgatorii confessionem pertinere ad Fidem Catholicam*, cui adsertioni demonstrandæ ultimum libri prioris de Purgatorio Igne Caput consecravit, ad ea etiam Augustini testimonia respondere conatus est, quæ supra ad locum Pauli de Igne, per quem architectos Fidei fundamento ligna, fœnum, stipulas impertinenter superædificantes salvari tandem dixit, prolixè fuerunt adducta, utpotè in quibus non-nisi dubitanter de Igne Purgatorio scripsit, ut ex Ejus Sententiâ nihil omninò certi possit haberi, quæ dubitatio locum habere non posset, si Augustinus Purgatorii confessionem ad Fidem Catholicam pertinere censuisset. Bellarminus ergò, ut dixi, ne Augustinus in hâc Quæstione, quæ maximi apud Papæos est momenti, videatur dubius, omnem movet lapidem, duplici responso se muniens. Primùm dicit, *opponi debere alia Sancti Patris loca, quæ extra dubium omne, non solùm Orationes & Sacrificia pro defunctis commendent, sed & ipsum Ignem Purgatorium post hanc Vitam exhibeant defunctorum animas purgantem.* At quo respectu Doctor augustus cum aliis Patribus Orationes pro defunctis commendaverit, qualem quoque Ignem in die extremi demum Judicii homines purgandum statuerit, ubi Ignis Purgatorius juxta Papæorum Sententiam nunc ardens jam extinctus erit, supra itidem propriis Ejus verbis fuit ostensum, ut prolixâ hic repetitione non sit opus. Videamus ergò alterum Bellarmini responsum, quo dubitantem Augustini de Igne Purgatorio animum ad liquidum deducere nititur. Dicit autem, *Augustinum dubitare solùm de genere peccati, quod punitur, an videlicet, sicut in hâc vitâ immoderatus amor erga temporalia purgatur à Deo variis adflictionibus, ita etiam sit credibile, post hanc adhuc vitam remanere aliquas in Animâ talium adfectionum reliquias, quæ purgari debeant molestiis & tribulationibus.* Addit, *Etsi enim animæ vacantes corpore non videntur tangi posse adfectionibus ejusmodi corporalibus, tamen cùm sint formæ corporum, & in corporibus diu fuerint, & corporibus adpetant rursùm conjungi, non est incredibile, eos recordari adhuc voluptatum, quas per instrumenta perceperunt corporea, & aliquo earum teneri desiderio.* Verùm Bellarmini hæc sunt verba, quibus quidem Augustini dubiam de Igne Purgatorio mentem studet facere certam, sed præter & contra mentem Ejus, id quod ex ipsis manifestum est verbis, si tantum modo ponderentur debito.

LIBER SECVNDVS,
De
IGNIS PURGATORII CIRCUMSTANTIIS.

EXtincto per Augustini authoritatem Igne Purgatorio, aut ad minimum dubitationi exposito, quale nimirum Doctores Papæi statuunt, idque, ut in suis perpetuò ardeat culinis, omni studio laborant, undè undè ad illud fovendum ligna colligentes; supersedere liceret eo labore quem hujus Purgatorii circumstantiarum Examen requirere videtur, cùm juxta omnium Philosophorum canonem à nemine non receptum *non-Entis nullæ sint adfectiones*, & de eo, quod in dubio adhuc est, non nisi circumstantiæ umbratiles possint prædicari. Ne tamen & hic aliquid videar præter debitum omisisse ad hanc Quæstionem pertinens, breviter tantum & quasi per stricturas ea notabo, quæ ad Augustini authoritatem pertinere aliquâ ratione videbuntur. Et quidem quod Personas attinet, quibus Ignem Purgatorium convenire censet Bellarminus, dum cæteris septem de hâc circumstantiâ erroribus & primo quidem loco accenset eum, quo statui dicit, *purgari debere post Vitam hanc tam bonos, quam malos, uno excepto Christo*, huncque errorem, quem dicit manifestum, multis adscribit Patribus, nominatim, *Origeni, Ambrosio, Hilario, Lactantio, Hieronymo, Alcuino, Ruperto Tuitiensi*, utut existimet, *Patres & Scriptores hosce, excepto Origene, videri sano modo intelligi posse, aliquos videlicet eorum juxta Pauli Oraculum intelligere Ignem Extremi Iudicii, aliquos autem videri*

intelligere verum Purgatorii Ignem, per quem transeant Sancti sine ullâ læsione, materialiter nimirum, non formaliter; notandum est, non sine fraude Augustinum à Bellarmino hic omissum fuisse, quem tamen ad horum Patrum pertinere numerum, ex supra dictis constat. Quin & hoc non piæ fraudis est, quod Bellarminus insuper Augustinum quasi huic Sententiæ contrarium laudare ausus fuit, ideò, quia statuit, *Infantes, qui mox à Baptismo moriuntur, nullam Ignis Purgatorii pœnam sentire*; cùm tamen supra itidem ipsis Augustini verbis fuerit ostensum, Eum non nisi Ignem homines in die Judicii purgaturum intellexisse, quod hic satis est. Quoad statum animarum in Purgatorio, meritorium vel demeritorium, an *nimirum in Igne Purgatorio locus sit vel meritis vel demeritis*, Bellarminus *Lutherum*, merita aliquando juxta doctrinam *Thomæ* statuentem, ante nimirum, quàm è tenebris errorum, quos cum Lacte quasi materno imbibit, & in quibus non pauco tempore immersus jacuit, emergere totus potuit, arguens & refutans; usus authoritate etiam Augustini, locum meritis, si quæ homines propriè coram DEO habent, hanc modò vitam adscribentis; cum Larvis pugnat, inanemque ludit operam, cùm non potuerit, imò nec debuerit ignorare, *Lutherum* post plenariam illuminationem, in viâ Evangelicæ Veritatis proficiendo, non tantum merita animarum in Purgatorio ardentium, sed ipsum omninò Purgatorium, qualem Papistæ somniant, pro non-Ente & nihilo habuisse & constanter negasse, id quod ægrius non ferre debet Bellarminus, cùm de ipso Thomâ, at, quanto in Scholis Pontificiorum Doctore! scribere non erubuerit, Eum in eâdem distinctione ejusdem operis, *quo post hanc vitam reperiri posse statuit meritum respectu præmii, non quidem essentialis, sed tamen & tantum accidentalis*, mutasse Sententiam, ac diserte docuisse, *in Purgatorio nullum esse posse meritum, neque essentialis, neque accidentalis præmii*, adeòque sibimet ipsi in eodem, ut dixi, opere, eâdemque ejus distinctione contrarium fuisse, contra dixisse & scripsisse, *Luthero* pluribus Annis intercedentibus Sententiam, quam è Scholâ *Thomæ* hausit, juxta Scripturæ ductum retractante & in meliorem mutante, dum præter omnimodam Ignis Purgatorii annihilationem, cum Augustino nullum meritis, si quæ sunt, locum concessit post hanc Vitam. Ad statum animarum in Purgatorio ea etiam pertinet Quæstio, *Num animæ in Purgatorio certæ an incertæ sint de suâ salute?* De quâ etsi concedat Bellarminus, docuisse quosdam, ut vocat, Catholicos, *varias esse in Purgatorio pœnas, & unam esse omnium maximam, Salutis incertitudinem, quâ animæ aliquorum multentur, licet certò salvandæ sint*, & ita videri sentire Dionysium Carthusiensem, & Michaelem Bajum, idemque videri posse deduci ex Sententiâ Gersonis & Roffensis; communem tamen esse Theologorum Sententiam, *omnes in Purgatorio animas habere Salutis suæ certitudinem*, statuit, id non solùm ex Sacris Literis probare conatus, sed ex Patrum quoque Ecclesiasticorum testimonio, è quibus Augustinum sequentia scribentem adducit: *Illud rectissimè & valdè salubriter creditur, judicari animas, cùm de corporibus exierint, antequàm veniant ad illud Judicium, quo eas oportet redditis jam corporibus judicari.* Benè est, agnoscimus verba Doctoris augustissimi, sed quibus modis id extorqueri possit, quod Bellarminus demonstrandum suscepit, nulli videmus, qui nondum exoculati sumus; quin potius, si ritè Sancti Patris mentem capimus, non parum contra ipsum Ignem Purgatorium militant, si non omninò eum extinguunt, quod eruditi Lectoris judicio commendatum esto, nobis ea inter ad alia transeuntibus, nominatim ad *locum Ignis Purgatorii*, de quo dum Bellarminus nihil ab Ecclesiâ definitum scribit, diversasque octo Sententias recenset, ac numero secundam Augustino adscribit, malè iterum & non planè nullam Sancto Patri facit injuriam. Dicit quidem, Eum statuendo, *loca animarum in Purgatorio non esse corporalia*, id postmodum retractasse. Sed quî potuit augustus Doctor id retractasse, quod antehàc nunquam tractavit? Quo etiam modo locum adsignare potuit Igni Purgatorio, de quo non nisi dubitanter in aliquibus locis scripsit, in aliis autem ita suam expressit mentem, ut non immeritò videri possit omninò illud negasse, ac pro non-Ente, ut dixi, habuisse? Ut autem constet, quorsum hic respexerit Bellarminus, sciendum est, Augustinum suam retractasse Sententiam de loco Inferorum. Agens enim de libris, quos antehàc scripserat de Genesi ad literam, hoc in specie monet: *In duodecimo de Inferis magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quàm reddere rationem, cur sub terris esse credantur sive dicantur, quasi non ita sit.* Etsi enim Bellarmino facilis videatur consequentia à loco

lib. II. de Orig. Anim. c. 4.

cap. 24. lib. II.

Inferni

Inferni ad Ignis Purgatorii locum argumentari, dum communem Scholasticorum Sententiam esse dicit, *Purgatorium esse intra terræ viscera, ipsi Inferno vicinum*; non tamen de Augustino idem dici potest & debet, non idem Purgatorium cum Papæis statuente. Satis impudenter quidem id Sancto Patri adtribuit Bellarminus, ad eum ex Actis Apostolorum iteratò provocans locum, quo Christus *Inferni dolores solvisse* dicitur, addens, cap. 11. *Augustinum de pœnis Purgatorii eum intellexisse*; cùm tamen supra jam sit in Sede propriâ demonstratum, Doctorem augustum in Illius Oraculi explicatione ne verbulum, imò ne Syllabam quidem vel literam de Igne Purgatorio habere, sed de ipsis Inferni doloribus intellexisse, quos ipse Christus in Passione suâ sustinuit, & à quibus merito Passionis suæ homines liberavit, quod nihil planè ad Ignem pertinet Purgatorium. Contradictoriè etiam agit Bellarminus, dum à simili, videlicet Puerorum non baptizatorum limbo ad Ignem Purgatorium argumentaturus, & demonstraturus, quia ille Limbus sit in Inferno, neque locum Ignis Purgatorii procul ab eo remotum esse, ad illud Augustini testimonium supra laudatum provocat, quo Sanctus Doctor *Fidem Catholicam non nisi duo tantum loca nosse* scripsit, *ubi homines futuri sint perpetuò, Cœlum videlicet beatorum & Infernum damnatorum*; cùm non tantum nulla Limbi in his verbis fiat mentio, sed ex iis insuper & Limbus & Ignis Purgatorius extingvatur, nisi perversam iis adfingere quis velit mentem, quam supra exclusimus, veram augustissimo Patri vendicantes; quam utut circa eam de Patrum Limbo quæstionem, quâ ejus quoque locum Inferno, & ejus parti quidem superiori adsignant, supra ex eâ parte vindicavimus, quatenus exindè Samuelis animam à Pythonissâ in gratiam Saulis revocatam statuunt Papæi; 1. Sam. 28 quia tamen Bellarminus hoc Exemplo vice repetitâ utitur, ut ab hoc quoque Patrum Limbo ad Ignis Purgatorii locum possit uti, quæ ex Augustino adfert, ut accuratius porrò expendantur, omninò videtur necessum, ne & hic Sancto Patri præter debitum quid adfingatur.

Non autem prolixè urgebo, quod ipse Bellarminus agnoscit, & Authorem quæstionum V.T. & Authorem librorum de mirabilibus Scripturæ, utrumque sub Augustini nomine inter Ejus scripta extantem, neque semel à Scriptoribus Papæis laudatum, priorem à *Gratiano* etiam in Jure Canonico, ubi de hâc ipsa Quæstione agitur, citatum, non verum Samuelem adparuisse, sed Sathanam statuisse, cùm ut ad testes hos non usque adeò indubios recurramus, opus non sit, quamvis non deesset, quod ad authoritatem iis ex adversariorum testimonio conciliandam adferri posset; sed in eo tantum nunc occupatus ero, ut quo ipsomet Bellarminus Augustinum ad suas trahere partes conatur, eometipso ostendatur, Eum nihilo-minus nostrum esse âque nostris stare partibus. Præter id autem, quod supra in hanc rem attulit, ubi *de Christi ad Inferos descensu* quæstionem tractavit, & in quo ipsi satis ex asse fuit factum, ut ostendat, *verè Samuelis animam fuisse eam, quæ adparuit Sauli, & proindè vehementer confirmari Sententiam de loco animarum in Igne Purgatorii subterraneo*, ad quem â Limbo puerorum non baptizatorum & Patrum in Vet. Test. argumentum duxit, eos Authores, qui contrariam tenent Sententiam, negantque, veram Samuelis animam adparuisse, *aut intertos dicit, aut obscuros*, eos autem, quos à suis stare partibus scribit, *certos esse dicit & clarissimos*, quibus inprimis adnumerat Augustinum, de quo hoc in specie observat, quod antehàc quidem, videlicet secundo ad Simplicianum libro, dubitaverit, *an fuerit vera Samuelis anima*, conf. *nec ne*, postea autem, *re diligentius consideratâ*, in libro nimirum de curâ pro mortuis, Franc. indubitanter *veram adparuisse Samuelis animam* docuerit, addens, Eum, quod testimo- Combef. nium ex Ecclesiastici libro antehàc omisit, postmodum adhibuisse, *esseque illud argumen-* in Meth. *tum, propter quod Augustinus adseruerit, verum fuisse Samuelem, qui Sauli adparuit.* pa. 458. Ut prolixè verba ex utroque Scripto repetantur, Lector forsitan non requiret, cùm ea superius exhibeantur, exque iis satis sit manifestum, veritatis immemorem fuisse Bellarminum, dum de Augustino ausus est scribere, quod in scripto posteriori, *re diligentius consideratâ*, & ob authoritatem Ecclesiastici, quasi argumento singulari victus, indubitanter statuerit, *verum Sauli adparuisse Samuelem*, contrario ex ipsis Augustini verbis nemini non obvio, ut mirum sit, quâ fronte potuerit Bellarminus tam apertè vel voluerit Lectoris simplicitati illudere: Ecclesiastici testimonium, in priori scripto omissum, in posteriori quidem adduxit, sed non ita, ut omnem ei fidem adhiberi voluerit, utpotè silentio non prætermittens, *ei ex Ebræorum Canone, in quo non sit, contradici*, adeòque eâ apud omnes authoritate non valere, quâ debebat, si ad probanda Fidei dogmata adhibendus esset, quo de primâ statim Controversia circa librorum Canonicorum

& Apocryphorum diversam authoritatem ostendendam ex Augustino fuit actum. Et, quod insuper benè notandum, adeò Augustinus in posteriori Scripto non retractavit, quod in priori de hâc Samuelis adparitione scripsit, non ex suâ tantum, sed & ex aliorum Sententiâ, ut potius in alio etiam scripto, de octo nimirum Quæstionibus ad Dulcitium, quod in Retractationibus libro de curâ pro mortuis postponit, verbotenus repetierit, quæ antehâc de adparitione Samuelis ad Simplicianum scripserat, eometipso hæc adprobans, quale quid etiam ante circa locum Pauli de Igne super fundamentum ædificantes ligna, fœnum & stipulas salvaturo observatum fuit. Addo, ejusdem Adparitionis, de quâ agimus, ab Augustino mentionem fieri in de Doctrinâ Christianâ libris, sed non eam, quæ Sententiæ Bellarmini possit favere, si non omninò eam evertere. Ita enim de eâ Sanctus Pater: *Non quia imago mortui Samuelis Regi Sauli vera prænuntiavit, propterea talia Sacrilegia, quibus Imago illa est præsentata, minus sunt execranda.* Nota Lector optime, Augustinum non scribere, fuisse verum Samuelem, sed ejus modò Imaginem, utut ex parte vera prædicentem, id quod aliàs etiam à talibus Sacrilegiis per Divinam permissionem fieri non sine Exemplis credidit. Sed quid opus est, pluribus in Augustini de hâc Quæstione Sententiam inquirere, cùm *Martinus del-Rio*, Disquisitionum Magicarum ad suspicionem usque Author curiosissimus, præter Bellarminum prolixissimè de hâc adparitione Samuelis agens, inter Scriptores graves, (quos *aut incertos, aut obscuros* dixit Bellarminus, multum, plus, plurimum à Socii judicio distans,) *qui non ipsam Samuelis animam, sed Dæmonem larvatum ac subditium* Sauli adparuisse censuerunt, Augustinum quoque laudavit, tanquam huc, in utroque nimirum, & ad Simplicianum & ad Dulcitium Scripto, *inclinare visum*; supra etiam Scherlogus agnovit, *Augustinum non plenè iis adsensisse, qui verum Samuelem adparuisse existimant, sed Quæstionem in utramque partem disputasse*, ut non repetam celebris non ita pridem Judæi, *Menasseh Ben-Israel* de Augustini sententiâ testimonium ibi laudatum, utpote adversariæ parti suspectum.

lib. II. cap. 23. vid. c. Illud 6. 26. q 2. conf. Rainold. Censlibror Apocr. pag. 1078. seq.

lib. II. Quæst. 6.

Nunc de eo breviter aliquid est monendum, quod occasione hujus Controversiæ de receptaculis animarum in genere post hanc vitam agere suscepit Bellarminus, ac de eâ Quæstione in specie, *num exindè defunctorum animæ valeant egredi?* Verissimam hic dicit Augustini Sententiam, *nimiæ esse impudentiæ, negare, animas interdum ad nos redire, DEO jubente vel permittente.* Addit Bellarminus: *habemus enim testimonia gravissimorum Authorum de regressu animarum ex omnibus receptaculis, præterquam ex limbo puerorum. Nam quod ex Cælo animæ beatæ ad nos aliquando veniant, sunt Exempla certissima post & præter alios Scriptores Ecclesiasticos apud Augustinum. Quod ex limbo Patrum animæ adparuerint, probat idem Augustinus exemplo Samuelis & Mosis cum Eliâ in monte Thabor adparentis. Quod ex Purgatorio, exempla sunt apud Gregorium & alios Authores. Denique quod ex Inferno, alia præter Exempla constat ex illa adparitione Doctoris Parisiensis in Vita Brunonis, qui post triduum à morte se condemnatum dixit.* Sed præter ea, quæ non planè nullam sapere videntur contradictionem, quod Bellarminus Authorum, ut dicit, gravissimorum testimoniis regressum animarum ex omnibus receptaculis, præterquam ex limbo puerorum confirmare conatur, & tamen expressè statuit, *& Beatos jam existentes, & similiter damnatos absolutè ad pœnas æternas non posse revocari ad vitam*, & quidem testimoniis Augustini munitus, quæ quia ad præsens Institutum non pertinent, excutere jam non vacat; præter ea etiam, quæ de regressu animarum ex Purgatorio, ut & ex Inferno, per Exempla à Gregorio in Dialogis & pluribus aliis memorata, & per adparitionem Doctoris Parisini putat esse certa Bellarminus, cùm tamen *Melchioris Cani* de Gregorii Dialogis in specie judicium nemini hodiè sit ignotum, adparitio autem illa Doctoris Parisini ex Inferno, cujus occasione *Bruno* in Eremum secessisse, novumque & rigorosioris quidem Disciplinæ ordinem instituisse à multis Simplicioribus adhuc creditur, Romanensis Breviarii Correctoribus ante Annos, non ita multos adeò visa fuerit suspecta, ut consultum ac quam-maximè necessarium duxerint, narrationem ejus ex Historiâ Brunonis omninò expungere, quod factum posteà contra *Theophilum Raynaudum*, Societatis Ignatianæ notum Scriptorem, & *Andream Saussayum*, Martyrologii Gallicani Editorem, *Iohannes Launojus*, Sorboniſtarum hodie celeberrimus, illustri Scripto graviter adseruit & vindicavit. Præter hæc, inquam, quæ Augustini authoritatem non respiciunt, id præprimis attendendum venit, quod Augustino tam audacter Bellarminus injun-

injungit, quasi expressè & verbotenùs scripsisset, *nimiæ esse impudentiæ, negare, animas interdum ad nos redire, Deo jubente vel permittente*, cùm tamen hæc Verba loco per Bellarminum citato non legantur; quæ autem ibi leguntur, hæc sunt: *Mitti ad vivos ex mortuis aliquos, sicut è contrario Paulus ex vivis in Paradisum raptus est, Divina testatur Scriptura.* de Curâ pro mortuis, c. 15.

Sequuntur nunc verba, quæ ad præcedentem quoque Quæstionem pertinent, & supra ad Controversiam de Christi descensu ad Inferos sunt adducta: *Nam Samuel Propheta defunctus vivo Sauli etiam Regi futura prædixit*, quamvis *non-nulli non ipsum fuisse, qui potuisset Magicis artibus evocari, sed aliquem Spiritum, tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse; cum liber Ecclesiasticus, quem Iesus filius Sirach scripsisse traditur, & propter Eloquii non nullam similitudinem Salomonis pronuntiatur, contineat in laude Patrum, quod Samuel etiam mortuus prophetaverit. Sed si huic libro ex Ebræorum, quia in eo non est, Canone contradicitur; quid de Mose dicturi sumus, qui certè & in Deuteronomio mortuus, & in Evangelio cum Eliâ, qui mortuus non est, legitur adparuisse viventibus.* Ex his Augustini verbis, dum Bellarminus non solùm in genere regressum animarum ad viventes ex omnibus receptaculis, solo puerorum limbo hactenus excepto, sed & in specie regressum animarum ex Cœlo pariter & ex limbo Patrum docere laborat, sibi iterùm in faciem contra-dicit & scribit, cùm utrumque simul iisdem de Personis verum esse non possit. Si enim animæ Samuelis & Mosis è Cœlo reduces juxta Augustinum adparuerunt, sequitur, quod non ex Limbo Patrum venerint, & versâ vice, cùm diversa Cœlum & Limbum Patrum receptacula animarum esse dicat Bellarminus, & nihilo-tamen minus eosdem Sanctos ex utroque loco adparuisse velit, non sine manifestâ contradictione, cujus dum Augustinum quoque reum facere satagit, pro more Lectorem fallit, & injuriam Sancto Patri facit. De Sententiâ ejus circa adparitionem Samuelis jam dictum. De Mose autem nihil aliud habet, quàm quod cum Eliâ in Evangelio legatur adparuisse viventibus, hoc tantum addito discrimine, *quod Moses mortuus, Elias verò mortuus non sit.* Author librorum de Mirabilibus Sacræ Scripturæ, qui inter Augustini opera extant, & à Doctoribus Papæis non semel sub Augustini nomine laudantur, sequentem in modum de hâc Mosis adparitione loquitur: *Dum Elias in corpore manens ad talem venerat conductionem, quid de Mose dicendum est, utrum in corpore iterùm ad hanc ostensionem aderat, an ex aere simulatum, sicut Samuel visus est, habitum fingebat; & si suo corpore venit indutus, hâc vice resurrectionem suam, quæ cæteris non nisi in novissimo est futura, complevit? De quâ Quæstione authores unâ eâdemque Sententiâ prolatâ non differenter dicunt, quod dum Dominus cum tribus Discipulis suis & Eliâ, non cum imaginatis* (forsitàn, imaginatiis) *sed veris corporibus conveniisse non dubitatur, & ipse Moses cum suo corpore vero de sepulchro resumto videtur*, nimirum, adparuisse. *Sed Dominus IEsus mortuorum primogenitus rectè creditur Mosi iterùm post hanc visionem Sepulturæ corpus commendasse, ut ipsum in novissimo die, quando resurgent mortui, assumere speretur.* Quæ circa hanc Sententiam monenda essent, Lectoris iterùm industriæ committo, ea addens, quæ post alios Interpretes *Esthius* ad hanc Mosis adparitionem notavit: *Difficulter explicari potest, quomodo Moses adparuerit & locutus fuerit cum IESV, si non fuit resuscitatus; nam Animæ separatæ non habent vim, neque formandi sibi corpora, neque ea movendi ad locutionem, cæteraque vitalibus similes operationes, sicut habent Angeli. Si ergò totum factum est Angelico Ministerio, sicut fieri solet in hujusmodi Adparitionibus, quid ibi egit anima Mosis? An verò dicendum, adparuisse Mosen, quia Angelus in adsumto tali corpore, quale Moses habuerat, repræsentavit Mosis personam, etiam in sermone? At sic verè ibi Moses non fuit præsens, neque secundum animam, neque secundum corpus. Unde qui sentiunt, Mosen ad horam fuisse resuscitatum, ut gloriæ Domini sui serviret, probabilius sentire videntur. Nec inde quidquam sequitur absurdi, quia potuit corpus illud rursus statim sine dolore deponi.* Manifestum est ex his, ipsos Doctores Papæos de hâc Mosis adparitione non uniformiter statuere, remque ut plurimum in suspenso relinquere, quam Bellarminus tamen quasi definitam & omninò indubiam ausus est proponere, insuperque etiam authoritate Augustini confirmare, nonnisi dubitanter de eâ scribentis, quidquid de Authore Mirabilium videatur. Quamvis si uterque pro Bellarmini Sententiâ posset laudari, quod tamen à Bellarmino non ritè fieri dictum est, præter alios *Esthium* haberemus, non obstante Augustini authoritate, probabiliter saltem de hâc Mosis adparitione scribentem. Judaicæ Gentis lib. III. cap. 10. vid. D. Walth. Cent. Miscell. pag. 387. Ludov. Capell. Spicil. N. T. Edit. ult. Sixt. Sen. Bibl. S. lib. 6. Annot. 74

Doctorum, præsertim Authoris Librorum de Vitâ & morte Mosis, quem *Gilbertus Gaulmynus* antehàc cum Latinâ Versione & Notis variæ Eruditionis, Luci publicæ exhibuit, Sententiam huc pertinentem adducere supersedeo, ne Bellarmini vestigia non usque adeò laude digna premere videar, qui ad Ignem Purgatorii quâcunque ratione excitandum ex Gentilium quoque Philosophorum & Poetarum Scriptis, Muhammedis Alcorano & Judæorum Thalmude ligna collegit, egregiumque, scilicet, consensum in hoc Fidei capite orbi Christiano posuit ob oculos. Illud nunc saltem ex abundanti adhuc animadverto, undecunque Moses in monte Thabor adparuit, sive ex Cœlo, æternæ Beatitudinis sede, sive ex limbo Patrum, quorum utrumque Bellarminus contradictoriè ex Augustino demonstrandum suscepit, ad hominem & ex hypothesi partis adversariæ arguendo, ad Ignem Purgatorium nihil exindè sequi, nullamque pro animarum ex eodem adparitionibus deduci posse argumentum, utut ipse Limbus Patrum, quin & limbus Infantum non baptizatorum cum Purgatorio inter non-Entia jure deferri debeant.

Sequitur *circumstantia temporis*, quamdiu nempè duret Ignis Purgatorius, quæ Quæstio vel in genere venit intelligenda, de ipso Igne Purgatorio in universum, vel de quibusvis in specie animabus, quamdiu huic vel illi in hoc Igne manendum sit? Quoad prius contra Sententiam *Origenis*, tempus Purgatorii ultra diem resurrectionis & Judicii extendentis, Bellarminus authoritate Augustini se munit, scribentis, *Purgatorias pœnas nullas futuras, nisi ante illud ultimum tremendumque judicium*; de quo tamen Sancti Patris testimonio supra fuit dictum, illud non ampliativè de omni sed restrictivè de solo & proximo ante Judicii diem tempore ad augustissimi Doctoris mentem alibi satis clarè expressam intelligi debere. Quoad posterius quæ contra *Lutheri* Sententiam ex eâdem Augustini authoritate habet Bellarminus, nullo indigent Examine, cùm supra itidem fuerit observatum, quæ Lutherus sub initium cœptæ reformationis, sicut in aliis capitibus, ita etiam in hâc doctrinâ de Igne Purgatorio præter Scripturæ ductum scripsit, ea postmodum ab Ipsomet, accedente in Annos superiori informatione, retractata fuisse & correcta; quamvis, quod hic Bellarminus scribit Lutherum docuisse, *omnes peccati reliquias dolore mortis purgari in iis, qui in Fide moriuntur, & ideò nullum aliud esse Purgatorium, præter mortem*, sine omni difficultate ad Fidei in Sacris Scripturis expositæ analogiam possit deduci, Bellarmino etiam non dissentiente, sed potius consentiente, si ea attendamus, quæ ad alterum ex ratione pro Igne Purgatorio argumentum in hanc rem supra proposuit. Dum verò Bellarminus duabus hisce sententiis, quas tanquam erroneas rejicit, *tertiam* quoque & quasi intermediam adjungit Dominici à Soto docentis, *neminem in Purgatorio manere ad decem Annos*, de quâ in *Vindiciis Anti-Thomisticis* prolixissime ex recentioribus quibusdam Scriptoribus actum fuit; & contra eam præter alia Bellarminus urget probatissimas Sanctorum visiones, multò longiorem moram animabus in Purgatorio adscribentes, ad quam ratione aliquâ adbreviandam non immeritò refertur decantata hodie *Simonis* cujusdam *Stochii* visio, Bullis Pontificiis confirmata, Carmelitis singulare privilegium denuntians, *quod nimirum non nisi ad proximum à die mortis Sabbathum in Purgatorio manere cogantur*, eamque laudatus paulò ante Sorbonista *Launojus* accurato subjecit Examini, illud inprimis Augustini testimonium Lectori commendavit, quod ex Ejus de *Vnitate Ecclesiæ* Libro supra, ubi de Ecclesiæ Notis in genere fuit actum, prolixissime legitur, quo inter cæteras Ecclesiæ Notas insufficientes & impertinentes hanc quoque Visionum suspectarum gloriam rejecit, veram quærentes Ecclesiam & in eâ æternæ Salutis viam ad testimonia Scripturæ deducens.

lib. 21. de Civ. Dei cap. 16.

p. 374. seqq.

De Igne etiam Purgatorii, tanquam præcipuâ ejus parte, ex Augustino agit Bellarminus, & ita quidem, ut eum evincat esse *corporeum*. Sed præterid, quod Sanctus Pater ibi non de Igne Purgatorio, sed de ipso Igne infernali agit, quod supra etiam non semel animadversum, adeoque ab hoc ad illum neque hic legitima deducitur consequentia; observandum insuper est, Augustinum neque Ignem infernalem corporeum esse ita acriter defendendum in se suscepisse, ut non potius rem in medio relinquendam esse censuerit, suam de Verme & Igne infernali mentem sequentibus exhibens verbis: *Quid horum verum sit, res ipsa expeditius judicabit, quando erit tanta Sanctorum scientia, ut eis cognoscendarum harum pœnarum necessaria non futura sit Experientia, sed ea, quæ tum erit plena atque perfecta, ad hoc quoque sciendum sola sufficiat Sapientia.* Alibi etiam de statu Lazari in sinu Abrahæ & Epulonis in Inferno agens ita scripsit: *Melius est dubitare de*

lib 21. de Civ. Dei, cap. 9.

de occultis, quàm litigare de incertis. Illum quippè divitem in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse non dubito. Sed quomodo intelligenda sit illa flamma Inferni, ille sinus Abrahæ, illa divitis lingua, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa refrigerii stilla, vix fortasse à mansvetè quærentibus, à contentiosè autem certantibus nunquam invenitur. lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 5. Habeat hæc sibi Bellarminus, supercilioſè in hisce talibus contra modestiam augustissimi Doctoris definire conatus; qui dum porrò *de gravitate pœnarum in Purgatorio* agens ad authoritatem Augustini provocat, scribentis, *graviorem fore Ignem Purgatorii, quàm quidquid homo potest in hâc Vitâ pati*; Perperam ad suum Ignem Purgatorium trahit, quem Augustinus de eo tantum voluit intellectum, quem extincto jam Igne Purgatorii Bellarminiano in die Extremi demum Iudicii probabiliter credidit arsurum, & homines ante possessionem Vitæ & Beatitudinis æternæ à reliquiis peccati purgaturum, de quo supra itidem non unâ vice actum. in Psal. 37. vel 38. Quæ in ultimis capitibus de Ecclesiæ suffragiis eorumque usu pro defunctis iteratò adnectit Bellarminus, examen ulterius, præter id, quòd supra ex Augustini mente institutum est, non requirunt, adeòq; nobis, sicut supra ex Monasterio, ita nunc ex Purgatorio, post aliquam in eo moram, exire licitum erit, ubi unum adhuc addiderimus de necessitate credendi Purgatorium non adeò rigorosâ testimonium *Volusii*, hæc Evangelicis incautioribus persvadere omni modò conantis: *Purgatorii veritas est Catholica, non tamen explicitè & positivè eam quilibet credere semper tenetur. Excusantur ab hâc credulitate* (ferè legissem, crudelitate) *rudiores, quibus nunquam fortè est proposita. In quorundam etiam* Part. 1. castig. Cathol p. 13. & 14. *Sententiâ illi, qui recenter ex hæresi convertuntur, si suorum adhuc errorum aliquod patiuntur crepusculum* (en, Elegantias Volusianas) *& in reliquis quidem Fidei capitibus palmariis, in quibus plenè informati sunt, tamen Purgatorii veritatem non amplius quidem negare præsumunt, adsensum tamen positivum illi necdum præbent, interim in corde parati ad illum præbendum, ubi illis sufficienter fuerit propositum. Tales ceu in Fide infirmos, dummodò nulla fraudulentia, serium autem desiderium subsit proficiendi in cognitione hujus veritatis, vix benigna Mater Ecclesia repellet, quemadmodum hâc in re cum Græcis diu condescendit, & cum Hussitis in Concilio Basileensi ratione Calicis.*

Quartæ Generalis Controversiæ
DE
ECCLESIA TRIVMPHANTE
LIBRI PRIMI
CAPUT VNDECIMVM & seqq.
De
Cultu Sanctorum.

BEllarminus hanc Controversiam prolixissimè tractaturus omni jure præmittere & in antecessum explicatius significare debuit, de quibus propriè Sanctis agat, cùm hoc Elogium non unis ejusdemque generis & speciei adscribatur, adeòque necessarium omninò fuerit generatim indicare, quinam sint hic ante omnes alios intelligendi, quibus aliquem deberi cultum & venerationem probare voluit; quamvis si integram hujus Controversiæ tractationem à Bellarmino propositam attendamus, ex eâ forsitan non magno cum labore eruere liceat Sanctorum definitionem, quos tanquam cultûs certi objectum Lectori commendavit. Videtur eam compendio exhibuisse alter præter Bellarminum Cœli Romanensis Atlas *Baronius*, in suis ad Martyrologium illius Ecclesiæ illustrandum Prolegomenis, hanc significationis apud Antiquos & recentiores diversitatem indicans: *Etsi olim Sanctitatis titulus communior esse videretur, ut non solum, ut hodie, illis tribueretur Christianis, qui vitâ functi in Cœlo regnant cum Christo,* cap. 7.

sed & quibuscunq; laudabilioris vitæ fidelibus; datum tamen aliquandò homini hæretico, nemo jure poterit dicere. Non urgeo contra hæc, quæ nominatim contra ultimum *Sinnichius*, præeunte *Theophilo Raynaudo* citavit, ex Augustino inprimis, qui non modo in Saule ExRege, cap. 69. pag. 237. *Hilarium*, Diaconum Luciferianum, nominavit *Sanctum*, utut Eum resipuisse & ad Ecclesiam rediviſse non constet; sed & frequentissimè Sanctitatis titulum honoris ergò impendit, Episcopos Fidei oblæsæ aut vitiatæ adloquens, quamdiu eorum causa non erat desperata; neque descriptionem Sancti Baronianam ad hodiernum stylum Curiæ Romanensis formatam iis gravabo inconvenientiis, quibus idem Professor Lovaniensis eam voluit obnoxiam, dum fideles Testamenti Veteris per eam existimavit videri exclusos, eos in Novo etiam Testamento fideles adhuc vivos, qui tamen in Epistolis Pauli sæpius hoc Elogio ornantur, *Bartholomæo Lintrensi* de hoc veterum Christianorum titulo in Apostolorum Acta Commentariis scribente, *dictos ideò Sanctos, quia in Baptismo sanctificati eam sanctitatem retinere se profiteantur, multi etiam per DEI gratiam retineant, aut amissam statim recuperent*, & quæ alia ibi prolixius adduntur; hæc, inquam, & similia jam non attendam, hoc solùm Lectori Veritatis & orthodoxæ Antiquitatis studioso ad debitam commendans observationem, annon *Baronius* hâc descriptione suâ apertissimè Apostasiam à veteri Ecclesiâ ac usu loquendi primis Christianismi Seculis recepto in hâc etiam Quæstione fateatur, quem Augustini etiam tempore adhuc observatum fuisse, ex sequenti Ejus testimonio clarius meridianâ luce patet, quod in *Vindiciis Anti-Ottonianis* adversario provocanti etiam fuit oppositum, dum Sanctus Pater Apostoli verba, quibus Corinthios per Lavacrum regenerationis dixit sanctificatos, in Psal. 81. hunc in modum illustravit: *Si sanctificatos dicit Apostolus, dicat & unusquisque fidelium, Sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si dixeris te sanctum esse ex te, superbus es. Rursùs, fidelis in Christo & membrum Christi si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Dic tuo DEO, sanctus sum, quia sanctificasti me, quia accepi, non quia habui; quia Tu dedisti, non quia ego merui. Ex alio etiam latere incipis injuriam facere Domino nostro IEsu Christo. Si enim omnes Christiani & baptizati fideles in Illo ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit; si membra sunt facti corporis Ejus, & dicunt se, Sanctos non esse, ipsi capiti faciunt injuriam, cujus membra sunt sancta.* Illustre est hoc augustissimi Doctoris testimonium, ex quo satis manifestè constat, Elogium Sanctitatis illo tempore non ad alterum modò post hanc Vitam, sed & ad præsens in hâc Vita seculum, id est, ad omnes verè fideles pertinuisse, neque ad Sanctos tantum in verâ Fide demortuos, ac cum Christo in statu Beatitudinis æternæ regnantes fuisse restrictum, quanquam de posteriori hoc non una eademque ut cæterorum Patrum, ita Augustini etiam fuerit sententia, quidquid etiam Bellarmino videatur, qui, dum eorum, & Augustini in specie testimonia ad liquidum deducere, adque suas trahere partes omni studio conatur, facit quidem, quod in suis habet viribus, sed, an satis ex asse menti Doctoris augusti & cæterorum Patrum faciat, Lectoris esto judicium, quia nos Evangelici hanc Controversiam contra Doctores Papæos non facimus nostram, in hâc Quæstione à Bellarmini sententiâ non discedentes, non tamen ignari etiam, id quod supra quoque in tractatione Quæstionis *de Christi ad Inferos descensu* fuit monitum, *Montacutium*, Scriptorem Anglum, aliàs in non paucis Papizantem, ad ea omnia loca, quæ Bellarminus pro se citavit, prolixissimè conatum respondere, cætera verò, quæ in contrariam laudavit Sententiam, à responsionibus adversariæ partis vindicare. De ipsâ Sanctorum, quos ad Cultum commendat, canonizatione multa habet præter alios Bellarminus, quæ pleraque in *Vindiciis Anti-Thomisticis* ex Scriptoribus quibusdam recentioribus legi possunt discussa. Ex omnibus id nunc præprimis ad Institutum præsens est notatu dignum, quod hanc Sanctorum Canonizationem, qualis hodie solet observari, nullo Antiquitatis Orthodoxæ, adeòque nec Augustini testimonio munire potuit Bellarminus, quin potius agnoscere debuit, *Sanctos veteres cæpisse coli in Ecclesiâ universali, non tam lege aliquâ, quàm consuetudine*, hâc tamen additâ notatione: *Sicut consuetudines aliæ vim habent Legis ex tacito Principis consensu, ita alicujus Sancti cultus ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus vim habet ex adprobatione tacitâ vel expressâ Summi Pontificis*, quæ verba postmodum in recognitione librorum ita explicavit: *Quod diximus, Sanctos veteres &c. Ita intelligimus, quasi in suâ etiam Provinciâ Sancti illi absque ullo Episcopali Decreto coli cœperint. Scimus enim, semper in Ecclesiâ Catholicâ morem fuisse, ut sine examine & judicio Episcoporum ne Martyres quidem publicè colerentur; sed quod dicere voluimus, est, Sanctos, qui colebantur in certis Provinciis ex decreto particularium Episco-*

vid. Sixt. S. Bibl. S. lib 6. Annot. 345. conf. Maref. Disp. Tom. II. pag. 632.

pag. 386. seqq.

Episcoporum, paulatim cœpisse coli in aliis (etiam) *Provinciis & in ipsâ universali Ecclesiâ, non tam lege aliquâ summi Pontificis, qui solus potest toti Ecclesiæ leges dare, quàm consvetudine ubique receptâ, & ab ipso Pontifice, consensu saltem tacito, adprobata.* Addit, *Quibus id non placet, proferant certius aliquod fundamentum, undè probetur, Sanctos plures in Ecclesiâ universa rectè coli, cùm nulla extent summorum Pontificum de eorum canonizatione diplomata, neque ullæ historiæ de ipsorum canonizatione aliquid testentur.* Egregiam scilicet recognitionem! Illustre nimirum hoc ipsomet Bellarminus præbet documentum omnimodæ circa Sanctorum Canonizationem incertitudinis, utut eam omni modo tollere, Sanctorumque cultum commendare conatus. Destituitur videlicet certo quodam & infallibili fundamento, cui tutò & sine omni metu contradictionis vel ad minimum dubitationis possit inniti. Pari ferè labyrintho inclusum se fateri cogitur, dum ad locum quendam Augustino adscribi solitum respondere laborat, quo dicitur, *Multorum corpora honorari in terris, quorum animæ torqueantur in Gehennâ.* Dicit enim, *locum hunc fortasse Augustini non esse, nusquam enim in Ejus operibus reperiri posse. Præterea intelligi posse de impiis, qui honorantur superbissimis sepulchris, cùm tamen animæ torqueantur in Gehennâ; vel de corporibus sanctorum non canonizatorum, vel de corporibus fraude aliqua suppositis pro corporibus sanctorum, vel denique de Martyribus Donatistarum, qui ab hæreticis honorabantur ut Martyres, cùm eorum animæ revera torquerentur in Inferno.* Ita nimirum agi eos in gyrum oportet, qui, ubi pedem firmiter ponant, non habent. De ipso hoc Augustini testimonio quid habendum, in *Vindiciis Anti-Thomisticis* ex occasione fuit indicatum. pag. 387. seqv. In genere, ut & hoc in antecessum liceat præmittere, de Historiis Sanctorum non ita pridem *Ephemerides* Gallicanæ hoc tulerunt judicium: *Infinitæ ferè prostant Sanctorum Vitæ, non verò omnes Veritati sunt consentaneæ.* Surius, Bollandus, Rosweidus, *illique omnes, qui eas compilârunt, majora tantum volumina componere, neque quidquam omittere laborârunt, præter optimarum rerum segregationem veriorumque selectionem; quo factum est, ut inter tot egregia atque illustria quædam quoque occurrant apocrypha.* pag. m. 84. Tom. I. Confirmârunt cometipso Eruditissimi Censores, quod Seculo jam præterito *Ludovicus Vives, Espensæus, Melchior Canus* & alii quidam cordatiores mente apertâ de tot suspectis Sanctorum Legendis gravissimè fuerunt conquesti. Accedit post Baronium ingenua Confessio *Francisci Mariæ Florentinii*, qui nuper modò Vetustius sub nomine *Hieronymi* Martyrologium, à *Cassiodoro, Beda, Walfrido* aliisque Scriptoribus Ei tributum, à *Gregorio Magno* descriptum, ab *Adone* laudatum, cum pluribus Notis & prolixissimis Exercitationibus, *Lucæ* in Patriâ edidit, hâc de re ita scribentis: *Sicuti de fabulosis narrationibus magno morum & pietatis detrimento accidit in Italiâ præsertim ut sub Heroum & Equitum nominibus impuri amores artesque indignæ, dulci blandiloquentiæ lenocinio in adolescentum animos instillentur; ita ad inflatos Magnatum aliquorum tumores amplificandos, & quod deterius esset, lucri captandi causâ, utinam non defuerint, qui Sanctos aliquos viros in familias Nobilium fabulis additis adoptaverint, vel ignota omnibus Seculis acta, atque ex proprii cerebri penetralibus depromta vulgaverint, quibus hominum minus alioquin dignorum commentitias virtutes adornaverint. Alii præterea sunt, qui ad alicujus Regionis vel Urbis patriæ dignitatem augendam & vetustatem extollendam ignotos & nusquam in Ecclesia constitutos Sanctos ambitioni servire cogant, & adornandas Ecclesiarum Origines, primos omnes Episcopos in Apostolorum ævum refundant, ut non parvam posterioribus Seculis nubem Veritati offusam iri non dubitem.* Admon. X. p. 46. Et ut præ cæteris omnibus Martyro- & Hagio-logiis, nominatim *Baronii & Rosweidi*, (Gallicano etiam *Saussayi*, ut & Hispano *Salazarii*, cujus ultimi tamen nullam ab Eo mentionem factam miror, ut reliquarum Nationum Indices Martyro- & Hagiologicos taceam,) suo, quod primùm edidit, majorem conciliet & fide dignam authoritatem, quæ alia facere potuerunt suspecta, ea à suo abesse gloriatur, scribens: *Non hic memoratur Xinorides, non Sulpitius Severus, à Romano Martyrologio jam expuncti. Non Theodorus, Episcopus Laodicenus; non Paphnutius Ægyptius, quos aliqui ab eodem expungendos opinantur. Non Faustus Rhegiensis, in Martyrologio Galesinii & Maurolyci adpositus; non Ammonius Origenista, à recentioribus in aliquibus Martyrologiis additus. Non Lucifer Calaritanus, non alius, qui sit ab aliquo tanquam dubiæ sanctitatis notatus.* Hæc Ille ibi & multò plura huc pertinentia, quæ non parùm confirmant eam per Exempla deductionem, quam post alios amplissimè exhibuit *Voetius* de Sanctis quibusdam Chimæricis, in specie *de sanctis non sanctis, de sanctis ex-sanctis, de sanctis quasi sanctis*, ex Authoribus domesticis agens, in quâ tanta Sanctorum Tom. III. Disp. p. 509. seqq.

mini-

minimè Sanctorum copia non necessaria, superflua, imò Ecclesiæ non nisi molestissima occurrit, qualem si Augustinus suo tempore, ex illo etiam numero, qui juxta legendas, ut vocant, jam tum vixisse narrantur, audire fuisset coactus, nullum esse debet dubium, quin ægerrimè tulisset, abusum hujus Elogii seriò taxaturus.

Sed hisce breviter præmissis ad rem ipsam nobis est accedendum, id est, ad Controversiam de Cultu Sanctorum, in quâ Evangelicos à Doctoribus Papæis dissentire, notius est, quàm ut significatione indigeat; non quidem, quasi omnem Sanctis honorem denegemus, ut communiter per gravem injuriam nobis imputari solet, Experientiâ contrarium testante; sed quia eum honorem & cultum iis non censemus attribuendum, qui in Sacris Scripturis soli DEO adscribitur, omnibusque aliis præter DEUM denegatur. Bellarminus ut ordinem suo more videatur observare, primùm in genere de cultu, postmodùm in specie de Invocatione Sanctorum agit, quibus demùm libro sequenti Quæstionem de reliquiis & Imaginibus eorum, ut & Christi & Crucis Dominicæ subjungit, aliis insuper additis, quæ ad rem præsentem pertinere visa sunt. Nobis & hic vestigia Ejus observare placet, ut ea, quæ authoritatem Augustini vindicandam respiciunt, eò facilius à Lectore studioso queant inveniri. In explicatione autem Sententiæ, quam dicit Catholicam, rectius, Romano-Papæam, multa proponit observanda, quæ ideò breviter in compendio exhiberi debent, quia Augustini testimonia hinc indè intercedunt. Et *primò* quidem, adorationem tres complecti actus, nimirùm Intellectûs, Voluntatis & gestûs alicujus exterioris tanquam signi debitæ subjectionis. *Secundò*, tot esse species adorationis sive cultûs, quot sint species excellentiæ, videlicet Divinæ, humanæ, & alicujus inter Divinam & humanam intermediæ, quibus respondeant Latria, cultus civilis, & dulia, hâc tamen ultimâ iterùm divisâ in duliam propriè dictam, omnibus Sanctis communem, & hyperduliam, humanæ Christi naturæ & Beatæ Virgini Mariæ debitam. *Tertiò & quartò*, has tres adorationis species non esse univocas, sed analogas, & quantum ad actus interiores optimè distingui, non tamen ita facilè quoad exteriores, *Quintò*, latriam sumi interdum pro ipso actu, quo Deus colitur, interdum pro habitu, quo ad cultum DEI homo promtus redditur; neque obstare authoritatem *Augustini* dicentis, DEI cultum consistere in Fide, Spe & Charitate, ubi videatur velle, latriam esse Virtutem generalem ex tribus Virtutibus Theologicis conflatam. *Sextò*, quantum ad nomina, in Ebræâ linguâ nullum esse nomen, quo propriè designetur cultus Dei solius, sed omnia esse communia; in linguâ similiter Latinâ nullum haberi vocabulum, quod solum de cultu Dei dicatur, Augustino idnotante, & hinc esse, quod Patres vocabula adorationis & religionis nunc concedant creaturis, nunc negent, prout variè accipiantur. Sic in specie Augustinum dicere, *religionis cultum nec Angelis, nec sanctis hominibus jam defunctis deberi, sed soli* DEO; & tamen alibi scribere, *Martyrum memorias religiosâ solennitate populum Christianum concelebrare.* In linguâ Græcâ præter vocabulum, Θεοσέβεια, quæ non propriè cultum Dei designet, quamvis non multum sit in usu, alia quatuor esse, Ευσέβεια, quæ Pietatem, Θρησκεία, quæ religionem, λατρεία καὶ δουλεία, quæ servitutem significent, sed nullum esse horum, quod non interdum creaturis etiam adtribuatur. Et quamvis ista vocabula non sint Divino cultui propria secundum primam ipsorum institutionem, Scholam tamen Theologorum non sine causa illam de latria & dulia distinctionem excogitasse, ut cùm in re inveniatur manifesta distinctio inter cultum Dei & Sanctorum, ad vitandam æquivocationem distincta etiam vocabula adhibeantur; & *primò* quidem, quia Scriptores sacri vocem latriæ nunquam usurpent, nisi pro cultu solius Dei, in Novo nimirum Testamento, vocem verò duliæ pro omni servitute tam DEI, quam hominum, non obstante Græcâ Veteris Testamenti versione, in quâ etsi semel tantum habeatur nomen latriæ pro servitio humano, cùm Ebræus ut & Latius vulgatæ Editionis textus vocem habeant communissimam ad servitium quodvis accommodandam. *Deindè* etiam, quia Patres antiqui nunquam nisi Deo nomen latriæ tribuant, cùm tamen Sanctos etiam coli dicant, Augustino locis paulò ante citatis teste; Imò omnes Veteres falsorum Deorum cultum ideò Idololatriam, non Idoloduliam vocasse, quia viderint, cultum Deo proprium secundum Ecclesiasticum loquendi modum vocari latriam, non duliam, *Augustino* id alibi etiam observante. Neque obstare, quod Patres isti rarò nominatim meminerint duliæ; cùm enim dicant, Sanctos & Imagines coli debere, sed non latriâ, satis indicare, coli debere aliâ cultûs specie, quæ dicatur dulia, authore *Beda & Lombardo* cum omni scholâ. Idem quoque Augustinum insinua-

Enchir. c. 3. & de Trinit. lib. 12. cap. 14.

lib. 10. de Civ. Dei, cap. 1. de V. relig. c. 55. contra Faustum, lib. 20. cap. 21.

Quæst. 61. in Gen.

re, loco ante citato, scribentem, *cultum creaturæ debitum ab Apostolo non dici latriam sed alio nomine, videlicet duliam.* Cæteris omnibus prætermissis, quæ Examen aliquod requirere videntur, id inter has Bellarmini observationes præsertim notari debet, quod de tam insigniter laudatâ inter latriam & duliam distinctione monuit, de quâ in gratiam eorum, qui hanc distinctionem Augustini authoritate niti existimant, *Grotii* aliàs non parùm Papizantis Sententiam audire juvat, hunc in modum scribentis: *Græcam vocem λατρεύειν neque sui origine, neque usu eorum, quos optimos Græci Sermonis authores habemus, propriam esse Divino Cultui, ab aliis rectè est demonstratum. Quin & Septuaginta, quanquam rarius, aliquot tamen locis, laxius usurpant. Sed plerumque λατρεία ipsis est cultus, qui conspicuis signis DEO exhibetur. Fatendum est, Scriptores Novi Fœderis eam vocem vix usquam usurpare, nisi de cultu, qui vero exhibetur DEO, ut plerumque, aut sanè de cultu, qui exhibetur tanquam DEO. Hinc igitur nata est illa Augustino etiam celebrata λατρείας & δουλείας distinctio, non quod dulia non ad DEum quoque pertineret, contrarium enim multa Scripturæ loca evincunt, nec quod proprietas vocis λατρείας aliquid haberet peculiare; sed quod usus primùm Iudæorum Hellenistarum, deindè Christianorum, voci δουλείας relicto significatu generali atque communi, λατρείας nomen Divino cultui adsignasset. Græci veteres pagani θρησκείαν dicebant, quod ipsum, quanquam ut creditur ab orphicis ductum Mysteriis, Apostoli non reformidârunt, adeò verborum incuriosi, dum commodè mentem explicarent. Proximam huic venerationem iidem θεραπείαν vocârunt.* Ex Interpretibus Papæis ipse *Conzenius* ad eundem locum scripsit: *DEI unius honorem λατρείαν vocamus, alium verò Sanctis tribui solitum δουλείαν, &, interdum ejus partem hyperduliam; non quod non & λατρεύειν creaturis dicamus, & δουλεύειν Deo, sed quod ea sit in Ecclesiâ consvetudo.*

Ephes. 6.

ad Matth. 4 vers. 10. conf. Erasm. Schmidt. ibid. vid. etiâ Voss. Thes. Theol. p. 156. ad. de Cham. Panstr. Tom. II. lib. 19. cap. 8.

Quia verò hic quam maximè attendi debet Augustini authoritas, cui distinctio hæc adscribi communiter solet, notandum est, Augustinum hâc distinctione uti in descriptione cultûs sive honoris in genere, non cultûs in specie religiosi, non quod hic, sed ille has quasi duas species in se contineat, atque ita distinguere cultum sive honorem primæ & secundæ Decalogi tabulæ, & quod præprimis hic observandum est, agere Eum quoad alteram speciem de cultu non mortuis, sed vivis, nimirum Parentibus, Magistratibus, omnibusque in universum Superioribus exhibendo. Ne quid præter mentem Sancti Doctoris Patrisque augustissimi hic videatur dici, opus est verba Ejus huc adscribere, ut Lectori eò accuratius de eâ constet. Ita autem explicat hanc distinctionem: *Latriam nostri, ubicunque Sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt Servitutem; sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos Dominis suis subditos esse debere, alio nomine nuncupari solet Græcè. Latria verò secundum consvetudinem, quâ locuti sunt, qui Divina nobis condiderunt Eloquia, aut semper, aut tam frequenter, ut penè semper, ea dicitur servitus, quæ ad colendum pertinet Deum. Proindè si tantummodò cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur; dicimur enim homines etiam colere, quos honorificâ vel recordatione vel præsentiâ frequentamus. Nec solùm ea, quibus nos religiosâ humilitate subjicimus, sed quædam etiam, quæ subjecta sunt nobis, coli perhibentur; nam ex hoc verbo agricolæ & coloni & incolæ vocantur. Et ipsos Deos non ob aliud adpellant Cælicolas, nisi quod Cælum colant, non utique venerando, sed inhabitando, tanquam Cœli quosdam colonos. Hinc & civitates à majoribus Civitatibus velut populorum examinibus conditæ nuncupantur coloniæ. Ac per hoc cultum quidem non deberi nisi Deo propriâ quadam verbi hujus notione verissimum est. Sed quia & aliarum rerum dicitur cultus, ideò Latinè uno verbo significari cultus Deo debitus non potest; nam & ipsa religio, quamvis distinctius non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur, unde isto nomine interpretati sunt nostri eam, quæ Græcè θρησκεία dicitur; tamen quia loquendi consuetudine latinâ, non solùm imperitorum, verùm etiam doctissimorum, & cognationibus humanis atque adfinitatibus, & quibusque necessitudinibus dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum, cùm de cultu Deitatis vertitur quæstio, ut fideuter dicere valeamus, religionem non esse, nisi cultum DEI, quoniam videtur hoc verbum à significandâ observantiâ propinquitatis humanæ insolenter auferri.* Plura non addo, quæ ibidem in hanc rem sequuntur, neque ea, quæ *Ludovicus Vives*, præeunte *Laurentio Vallâ*, in eruditissimis ad hos Augustini libros Commentariis de distinctione hâc observavit, cùm alibi etiam legantur, exque citatis sufficienter pateat, Augustino circa ejus explicationem nihil de eo cultu Sanctorum jam demortuorum venisse in mentem, qui hic quam-maximè venit attendendus. Clarius autem de hoc scripsit, ipso id agno-

vid. D. Dannh. Hodos p. 333. Edit. pr. conf. Krom. Theol positi. p. 733.

lib. 10. de Civ. Dei, cap. 1.

de Verâ relig. cap. ult. agnoscente Bellarmino: *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si piè vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores, sed Illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur, meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergò sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerunt, ubicunque sint, non sunt colendi.* Quibus contraria non sunt, quæ alibi idem Sanctus Pater de hoc Cultu monuit:

lib. 20. contra Faust. cap. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ Solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis Eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur; ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituamus Altaria.* Et post aliqua: *Colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hâc vitâ Sancti homines Dei coluntur, quorum cor ad talem pro Evangelicâ veritate passionem esse scimus paratum. Sed illos tantò devotius, quantò securius post incerta omnia superata, quantò etiam fidentiore laude prædicamus jam in vitâ feliciore victores, quàm in istâ adhuc usque pugnantes. At illo cultu, quæ latria Græcè dicitur, Latinè uno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè Divinitati debita Servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.* Ultima hæc duo loca etsi Bellarminus inter se pugnantia existimet, ita quidem, ut in eis Doctor augustus cum aliis Patribus vocabula adorationis, (cultûs forsitan dicere voluit) & religionis nunc concedat Sanctis, nunc neget, prout variè accipiantur; nemo tamen eorum ritè attendens sensum non videt, unum atque idem in utriusque contineri, & utrobique religiosum adorationis cultum soli DEO attribui, Sanctis sive vivis sive demortuis *cultu dilectionis & sanctæ Societatis, honorificæ vel recordationis vel præsentiæ* relicto, quem Evangelicos etiam duce Scriptură iis exhibere, testimonio *Voluſii* in Vindiciis *Anti-Thomisticis* probatum est.

pag. 394. & 395. Reliqua, quæ tam in laudatis Augustini verbis, quàm in citatis Bellarmini observationibus notari merentur, proximè suo ordine locum habebunt, hoc tantum ea inter non prætermisso, quòd, quam Bellarminus *inter Divinam & humanam ponit intermediam cultûs speciem*, duliam videlicet, eamque iterùm subdividit *in duliam propriè dictam, omnibus Sanctis communem, & hyperduliam, humanæ Christi naturæ & Beatæ Virgini Mariæ debitam*, careat omni Sacræ Scripturæ & Orthodoxæ Antiquitatis fundamento, adeòque etiam augusti Doctoris consensu, ipso iterùm Bellarmino fateri coacto, eam à Theologis vulgò Scholasticis, Beda & Lombardo authoribus, excogitatam, quamvis id non sine causâ factum velit, inprimis *ad vitandam æquivocationem*, & quia ipsam Novi præsertim Testamenti Scripturam inter latriam & duliam distinguere existimat, partim Patres quoque, ac inter eos Augustinum, soli DEO latriam adscribant, cometipso illum religionis cultum, qui dulia dicitur, etsi hâc voce non semper, sed rarò utantur, Sanctis adtribuentes, quæ an verè dicta & scripta sint à Bellarmino, ex hactenus dictis & scriptis constat.

Nunc ad argumenta deveniendum est, quibus cultum hunc intermedium Sanctis rebus hominibus & Angelis deberi Bellarminus contendit, quæ dum non unius generis & speciei sunt, id circa eorum aliqua observabimus, quod ad Augustini authoritatem pertinere videbitur. Et quidem quoad Sac. Scripturæ testimonia, etsi nullibi in eorum deductione Augustini mentio occurrat, placet tamen ostendere, Eum in non planè nullis Bellarmino fuisse contrarium. *Primum* ordine argumentum, ut probetur, cultum hunc intermedium, minorem videlicet Divino, & majorem civili seu merè humano, sacris etiam rebus deberi, sumitur ex noto Regii Psaltis Oraculo: *Adorate scabellum pedum Ejus, quoniam Sanctum est.*

Psal. 98. vel 99. Ubi per scabellum ad literam intelligi putat Bellarminus *Arcam Testamenti*, per verbum adorare autem *non cultum aliquem civilem, sed religiosum*, ob adjectum à Psalte prædicatum, *quoniam Sanctum est.* Verùm si Augustinum hujus Oraculi Interpretem audiamus, longè aliter de ejus sensu informa-
„bimur, ita videlicet scribentem vel potius auditores suos informantem: *Videte fratres,*
„*quid nos jubeat adorare?* Alio loco Scriptura dicit, Cœlum mihi sedes est, terra autem
„scabellum pedum meorum. Ergò terram nos jubet adorare, quia dixit alio loco,
„quod sit scabellum pedum Dei. Et quomodò adorabimus terram, cùm dicat aperte
„Scriptura, Dominum DEum tuum adorabis: & hic dicit, adorate scabellum pedum
„Ejus? Exponens autem mihi, quid sit scabellum pedum Ejus, dicit, Terra autem
„scabellum pedum meorum? Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet
„me, qui fecit Cœlum & terram. Rursùs timeo non adorare scabellum pedum Do-
„mini mei, quia Psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum Ejus. Quæro, quid
„sit scabellum pedum Ejus, & dicit mihi Scriptura, Terra scabellum pedum meorum.

Fluctu-

„ Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio, quomodo sine „ impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum Ejus. Susce- „ pit enim de terrâ terram, quia caro de terrâ est, & de carne Mariæ carnem acce- „ pit. Et quia in ipsâ carne hic ambulâvit, & ipsam carnem nobis manducandam ad „ salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum „ est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non pec- „ cemus adorando, *sed peccemus non adorando.* Hanc Augustini explicationem Bellarminus hìc omittens, non potuit tamen omittere, ubi Ipse hoc regii Psaltis Oraculum suscepit explicandum, dum præter eum, quem priorem dixit, de Arcâ Fœderis vel Testamenti sensum, alterum quoque, videlicet posteriorem sensum monuit attendendum, utpotè juxta quem Propheta hortetur, *ut omnes adorent humanam Christi naturam, utpotè quæ modo nobiliore, quam Arca olim lignea, esset scabellum Divitatis.* Ego de sensu hujus Oraculi, ipsâque Augustini explicatione nihil addo, contentus, explicationem Bellarmini, quam in hujus Controversiæ tractatione proponit, exque eâ argumentum pro rerum sacrarum cultu religioso deducit, Augustino ignotam, si non planè contrariam fuisse. Hoc tantum subjungo, post omnes ferè alios Interpretes *Muisium* optimè hæc Psaltis verba explicare, *Adorate scabellum &c. id est, Deum apud scabellum,* ut adeò non tam objectum adorationis, quàm adorantis, id est, locus Divini cultûs ab ipsomet Deo ad id destinatus intelligi debeat, quod omnem Bellarmino argumentandi rationem auferre manifestum est.

conf. Franc. Carriere, in Comment. h. l.

vid. Sixtin. Amamæ Anti Barb. Bibl. pag. 532. seqq. Edit. post.

Secundum jam sequitur argumentum, quo probare Bellarminus intendit cultum Sanctis etiam Angelis debitum, ab Exemplis desumtum, quibus homines pii Angelis honorem adorationis exhibuisse videntur. Omnia jam excutere non vacat, primum ex eis modò videamus, quod ex eâ laudat historiâ Bellarminus, quâ Abrahamus pronâ in terram adoratione Angelum sibi adparentem coluisse legitur. Cui simile accedit ex capite sequenti de Lotho, de quorum utroque tamen ipse Bellarminus agnoscit responderi posse, *tam Abrahamum, quàm Lothum non cognovisse Angelos, sed homines putasse initio, cùm eos adoraverunt, & civiliter tantum adorasse.* De priori nunc eò libentius libet agere, quia de Augustini circa id Sententiâ, ante Annos non ita multos, inter quosdam Eruditos, pro & contra fuit disputatum, ut videamus, quia Bellarminus omninò Augustini Sententiam dissimulavit, quid de eâ sit statuendum. Ante omnia autem legi merentur, quæ *Iansenius*, non Gandavensis, sed *Iprensis*, damnatus quidem in Ecclesiâ Romanensi & per Expurgatorium Indicem prohibitus Author, sed qui non pauca Doctoribus vulgò Scholasticis, & in ipso Doctrinæ, quod per aliquot secula obtinuit, genere, & in modo proponendi ad debitam ostendit, quamvis intermissam hactenus correctionem, de Augustini circa adparitiones Filii DEI in Vet. Test. Sententia singulari primus, ut videtur, non ita tamen iisque cum fundamentis & rationibus monuit, ut augusti Doctoris mentem usque quaque penetrasse, ac lectori attento satis ex asse videri possit fecisse. Ita autem Professor quondam regius & Doctor Lovanienſis celeberrimus: *Censeo, Augustinum esse*, qui primus Patrum, salvo saniore judicio, divinitatem „ Filii Dei adversus Arii machinas ita stabilivit, ut primus mirabili quodam ratiocinati- „ onis acumine primarium subverterit fundamentum, quo totus Arianismus natus cre- „ verat, adultusque nitebatur. Quamvis enim Nicænæ Synodi authoritate prostra- „ tus, multorumque Patrum vulneribus confossus, Augustini ætate semimortuus palpi- „ taret; nemo tamen erroris radicem exciderat, nec illius objectionis sentinam exhau- „ serat, quæ totius hæreseos istius virus exhalabat. Nihil enim perindè Hæresiarcham „ Arium, doctissimosque, qui Eum sectabantur, Antistites fefellit, quàm quod in Ec- „ clesiæ nascentis exordio Patres trium Seculorum, *Iustinus, Irenæus, Clemens Alexan- „ drinus, Tertullianus, Cyprianus*, ET POSTEA PASSIM ALII, *Athanasius, Eusebius, „ Hilarius, Basilius, Chrysostomus, Epiphanius, Ambrosius, Theodoretus* unanimiter doce- „ rent, adparitiones illas Dei crebras, quæ in Veteri narrantur Testamento, non de Pa- „ tre, quod esset invisibilis, sed de Filio DEI intelligendas esse. Itaque Concilium „ quoddam Orientalium Episcoporum Sirmiense, quod adversus Photini errores „ fuit congregatum, anathema dixit iis, qui dicerent, *Non Filium Abrahæ visum, vel „ cum Iacobo luctatum esse, sed DEum innascibilem, sive Patrem*, quemadmodum „ apud S. Hilarium videre licet. Hinc ergò Sectarii continuò ex istorum Patrum „ authoritate inferebant, Filium Patre minorem esse, quod visibilis factus internuncii „ vice ad homines pro Patre per tot Secula functus esset. *Hæc*, inquit Sanctus Ambro-

Gen. 18.

Tom. II. libr. Pro. cem. c. 12. pag m. 29 & 30. Edit. Lovan.

„sius, *est causa erroris, hæc origo hæresis Arianæ.* Quod & Athanasio, & Gregorio „Nazianzeno, vel iis certè, qui librorum ad Theophilum, & Orationis quadrage„simæ novæ apud Nazianzenum authores sunt, tantopere placuit, ut hæc eadem ver„ba vel Ambrosio præformaverint, vel ex Ambrosio in sua Scripta transtulerint. „Cùm igitur istud ex Ambrosio Præceptore suo didicisset Augustinus, adversus con„stantem præcedentium Sententiam, magno ausu, majore constantiâ, subnixus „Scripturarum pondere & rationum gravissimarum acumine ac texturâ, primus pan„sis velis in de Trinitate libris demonstravit, omnes illas adparitiones Veteris Te„stamenti non DEO, sed Angelo tribuendas esse. Quæ causa fortassis fuit, cur illos „libros tot Annis suppresserit, ne fortè nimis præcipiti audaciâ illam tot Patrum anti„quorum Sententiam, atque unà præcipuum Arianorum præsidium subvertisse vi„deretur. Juvat circa hunc *Iprensis* Episcopi discursum aliqua in gratiam Lectoris ad-notare, ut, quid de hoc Augustini instituto habendum sit, eò manifestius constet,

vid. D. Dorsch. ad Concil. Sirm. p. 148. seqq.

Et *primò* quidem in eo antiquorum Patrum & Ecclesiæ trisecularis Doctorum Sententiam non rectè videtur percepisse, qui in Augustini mente indagandâ utplurimum fuit occupatus, dum eos ideò statuisse putat adparitiones Vet. Testam. Filio DEI adscribendas esse, *quia Pater sit invisibilis*; cùm, qui in eorum Scriptis sunt versati, incognitum non habeant, cum aliquo discrimine eos de hoc argumento scripsisse. Aliquos nimirum, videlicet *Iustinum*, *Tertullianum*, *Hilarium*, quibus *Origenem & Novatianum*, Jansenio omissos, aliqui addunt, statuisse, ex Divinis Personis solum adparuisse verbum, Patrem verò neque visum à quoquam sub ullâ corporeâ & sensibili formâ, neque videri omninò posse; aliquos autem, videlicet *Irenæum*, *Eusebium*, *Athanasium*, *Basilium*, *Chrysostomum*, *Theodoretum*, *Ambrosium*, quibus aliqui Patres *Antiochenos*, utrumque *Cyrillum & Alexandrinum & Hierosolymitanum*, *Prudentium*, *Leonem Magnum*, *Isidorum Hispalensem* adjungunt, cùm Filium non minus quam Patrem suâpte naturâ & substantiâ invisibilem esse tenerent, solum tamen Filium aliquâ corporis specie obductum, prisci fuisse visum, Patrem verò, sive videri hoc modo & ipse posset, sive non posset, nunquam venisse in conspectum, docuisse, quanquam ex prioribus etiam Patribus nullus negaverit, *Filium DEI æquè ac Patrem ex Naturæ & Essentiæ perfectione esse invisibilem.* Et sanè, si in Mysterio Sacrosancti Trinitatis confitendo & contra violatores Ejus vindicando sinceri fuerunt primæ ætatis Doctores orthodoxi, quantum videlicet temporis illius ratio & statûs permisit, quidquid etiam iis videatur, qui alienam iis adfingere mentem conantur, certè non potuerunt summæ Simplicitatis, Spiritualitatis & Invisibilitatis perfectionem Filio DEI detrahere, nisi Eum alterius Naturæ & Essentiæ agnovissent. *Deinde* majori per omnia adplausu *Iansenius* hanc Augustini singularitatem proposuit, quàm antehac eam à contemporaneis partim, partim à subsequentibus Augustini Seculum Doctoribus exceptam fuisse, ex publicis Eorum documentis manifestum est, ita ut agnovisse eos doceri possit, tantum Arianis novo hoc theoremate damnum fuisse illatum, penitusque eorum hastas fuisse eometipso amentatas. Et qui à nimiis quibusdam, occultis tamen *Iansenii* admiratoribus in ejus gratiam solent adduci, quasi Sententiæ huic præbuerint adsensum, si mens eorum ritè ponderetur, à receptiori se Sententiâ non recessisse docebunt. Accedit *præterea*, quod neque id adeò sit liquidum, in quo tamen cardo hujus Augustinianæ singularitatis ex mente quidem *Iansenii* vertitur, Arianos à principio, & tempore præsertim Concilii *Sirmiensis*, ex istis adparitionibus probare ausos fuisse, vel Filium DEI suâ naturâ esse visibilem, vel eundem non esse summum DEUM; cùm potius contra Arianos ex illis adparitionibus Patres Filii DEI divinitatem gravissimè elicuerint, eorumque exemplo contra infaustam hodiè Socini sobolem Evangelici

vid. D. Walth. Spong. Mosaic. pag. 495. seqq. D. Kloz. de Angelolatr. pag. 187. seq.

Doctores eam solidissimè vindicent, quidquid iterum iis videatur, quibus ex solâ innovandi prurigine antiquorum methodus displicet, tot hactenus victoriis ex Cœli favore in Veritatis orthodoxæ gratiam nobilitata, quam nec dum obliterari omninò patientur ii, quorum ex officii & muneris ratione inter est & esse debet, ne quid res non privata, sed Ecclesiæ communis & publica, per aliquam vel conniventiam vel inadvertentiam patiatur damni & detrimenti, cujus gratiâ rigorosum aliquando sustinebunt examen ab Eo, qui revelatam à se Veritatem omni modo cupit contra quosvis Ejus hostes defensam. Sed & illud *denique* non venit negligendum, ipsum Patrem augustissimum, fatentibus id non invitis Doctoribus Papæis, videri hic aliquid humani

passum,

passum, dum receptam ab Antecessoribus in hâc Quæstione Sententiam, nullâ urgente causâ satis prægnante deseruit, & singularem sibi atque novam visus est excogitasse; nulla urgente causa, inquam, cùm satius fuisset negare consequentiam Arianæ argumentationis, nimirum, ex ejusmodi argumentationibus visibilitatem aut inferioritatem aliquam adparentis Filii DEI posse concludi, sicut revera exindè deduci non potest, quàm argumentum illud invertere vel omninò evertere, quo alii anteà non infeliciter ad probandam adparentis Filii DEI divinitatem, cùm Patre æqualitatem, & in Naturâ vel Essentiâ suâ invisibilitatem contra ejus adversarios & hostes juratos usi fuerant, præsertim cùm non defuissent instantiæ & distinctiones, quibus tota res egregiè potuisset juvari, videlicet ne Angelis quidem in sua Natura visibilibus, qui tamen non semel ex singulari dispositione quâdam hominibus se visibiles exhibuerunt, inque personarum Sacrosanctæ Trinitatis libertate positum esse credi debeat, adparere, Deoque Patri nequaquam omninò denegari possit, Eum in Veteri Testamento Sanctis adparuisse, quamvis aliud sit, adparere simpliciter, oculo hominis per singularem gratiam ad tempus elevato & illuminato, aliud autem, adparere per modum hominis vel etiam Angeli peregrinantis & corpore adsumto hinc indè semetipsum moventis, quæ omnia si probè observentur, satis evincunt, Augustinum singularitate hâc suâ, quam *Iansenius* ita extollit & de qua triumphabundus gloriatur, id non impetrasse aut effecisse contra Arianos, quod obtinere poterat, si antiquam retinuisset Sententiam.

De cætero, ut ad Bellarminum post brevem hanc Digressiunculam fortè non impertinentem adeò redeam, dum Angelis, nimirum creatis, hunc adorationis cultum ab Abrahamo existimat fuisse exhibitum, atque in proximâ Quæstione de Igne Purgatorio ad Judaicæ etiam gentis consensum provocavit, potuisset & hîc eorum adducere Sententiam, qui per Cabbalam Gematricam (vel Geometricam) tres Archangelos, Michaelem, Gabrielem & Raphaelem Abrahamo adparuisse statuunt, singulos certæ alicui functioni addictos. Verùm missis hisce, id adhuc insuper addendum venit, esse inter Sermones Augustini de Tempore septuagesimum numero, qui aliâ de hac adparitione Abrahamo factâ ab Augustini fuisse videtur mente, si ea attendantur, quæ ad aliorum Patrum Sententiam ibi extant, dum inter alia hæc leguntur: *Tribus occurrit Abraham, & unum adorat. In eo autem, quod tres vidit, Trinitatis mysterium intellexit. Quod autem quasi unum adoravit, in tribus personis unum esse Deum cognovit.* Et post aliqua: *Ecce, Beatus Abraham, dum homines ferventer exciperet, ipsum suscipere Deum hospitalitatis contemplatione promeruit.* Et iterum post quædam: *De istâ Visione Dominus in Evangelio locutus est ad Iudæos, dicens*, Abraham exultavit, ut diem meum videret; vidit, & gavisus est. *Diem, inquit, meum vidit, quia Mysterium Trinitatis agnovit.* Non examini subjicio hanc Sententiam, id quod ab aliis paulò ante laudatis Scriptoribus est factum; sed hoc tantum addo, si ea hic loci obtineat, argumentum ex hâc adparitione pro cultu Angelorum demonstrando desumtum omninò cadere, neque ullam vim habere concludendi. Quin & insuper, etiamsi singularis & à paucis recepta Augustini Sententia præ aliis occupet locum, Angelos nimirum creatos adparuisse Abrahamo, âque Eo singulari cultu exceptos fuisse, id tamen adhuc demonstrandum restat, num Augustinus statuerit, eos ab initio statim, quod Angeli essent, Abrahamo cognitos fuisse, quod dum Bellarminus ipse in dubium vocavit, atque non magnam adeò vim huic argumento inesse vidit, hic etiam non amplius urgetur, transitu ad *tertium* Bellarmini pro Sanctorum cultu argumentum facto, de quo tamen tribus, quod ajunt, verbis egisse sufficiet.

vid. Hackspan. de Cabb. §. 103. pag. 389.

Joh. 8.

Exhibet illud primo iterùm loco adparitionem Samuelis fictitii ab impio Saule adorati, cultu non civili, quem Bellarminus hic removet, tanquam animabus defunctorum minus competentem; neque etiam cultu probibito, quia ad ejusdem Bellarmini opinionem aliàs vel ipse Samuel, vel Scriptura alicubi illud indicasset, & quasi rem illicitam debitæ subjecisset censuræ. Atqui præter ea, quæ superius ad hanc adparitionem fictitiam ex Augustino satis prolixè fuerunt observata, hic ad tædium non repetenda, nunc tantum nostra facimus verba, quæ sub Augustini nomine in libro Quæstionum ex Veteri Testamento ad hanc ipsam adparitionem inter alia leguntur: *Saul, quia non benè intellexit, alium contra Scripturam adoravit, quàm Deum, & putans esse Samuelem, adoravit Diabolum, ut fructum fallaciæ suæ haberet Sathanas. Hoc enim nititur, ut adoretur quasi Deus. Si enim verè Samuel illi adparuisset, non utiq; Vir justus permisisset se*

1. Sam. 28

Quæst. 27.

adorari, qui prædicaverat, Deum solum esse adorandum. Non quidem nescius sum, quæ Bellarmini rigidior de hoc Authore sit censura, non tantum in hoc ipso Controversiarum, sed & in de Scriptoribus Ecclesiasticis opere non semel expressa, per quam non immeritò quis posset vel deberet absterreri, ne Ejus authoritate unquam vel ullibi uteretur. Sed quia ipse Bellarminus suprà, ubi Pontificis Romani primatum adstruere omnibus laboravit viribus, inter eos viginti & quatuor Patres & Ecclesiæ Doctores, quos totidem Senioribus Apocalypticis, (non dissimili multùm modo, quo, forsitàn ad imitationem Bellarminini, non ita pridem Theologorum hodiè Moralium Epitomator compendiosissimus, vel si verum scribere licet, dispendiosissimus, *Escobar*, suæ Societatis Authores ejusdem numeri, ex quorum Scriptis suam singulari studio compilavit Summam, iisdem) comparavit, hunc quoque Quæstionum Veteris Testamenti Scriptorem tanquam Testem hujus Primatûs vel Suprematûs laudavit, ut de aliis Authoribus Papæis non dicam, qui non semel ejusdem testimoniis usi leguntur, ægriùs ferre nemo poterit, si ejusdem Privilegii participes se faciant Evangelici, ad hominem aliquando contra adversarios agendo, ut eorum perversa methodus eò manifestior evadat.

vid. R. Coci Cens. pag. 345. & seqq.

Nunc cùm ad cætera tertii hujus argumenti dicta ipse Bellarminus, sicut etiam ad antecedentium, ex Augustino nihil omninò adferre potuerit subsidii, rectà ad *quartum* ferimur argumentum, quod Patrum Ecclesiæ testimonia pro Sanctorum cultu exhibet, ea breviter examinaturi, quæ Augustinum agnoscunt authorem. Quatuor autem sunt, quibus contra adversarios militat Bellarminus, de quibus in specie paucis, cùm prolixo non sit opus responso. Primum hæc habet verba: *Beatissimum piscatorem Petrum genibus provolutis adorat Gentium multitudo.* Sed præter id, quod ipse Bellarminus in proximè laudato de Scriptoribus Ecclesiasticis opere Sermonibus de Sanctis non omnimodam adscribere ausus fuit certitudinem, quasi omnes Augustinum agnoscere cogerentur Patrem, videtur hæc locutio esse metaphorica simul & metonymica, indicans, Gentium multitudinem genibus provolutis adorare Petrum, id est, humili devotione suscipere doctrinam à Petro prædicatam & verâ fide amplecti Christum DEI Filium Ejusque meritum in Evangelio revelatum. Secundum est: *Ostendatur mihi Roma in tanto honore Templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis?* Verùm hæc verba, quæ hic Bellarminus quasi ex Augustino desumta videtur pro cultu Sanctorum laudare, in citatâ Augustini Epistolâ non leguntur; alia autem circa ejus finem extant, quæ contra cultum Sanctorum à Bellarmino tantoperè commendatum militant, augustissimo Doctore graviter hunc in modum scribente: *Scias, à Christianis Catholicis nullum coli mortuorum, nihil denique ut Numen adorari, quod sit factum & conditum à Deo; sed unum ipsum Deum, qui fecit & condidit omnia.* Tertium sequitur, quo Bellarminus objicienti Fausto, quod Christiani Idola verterent in Martyres, Augustinum respondisse monet, *coli Martyres à Christianis, sed non latriâ.* Atqui in præcedentibus ad hoc Sancti Patris testimonium, exque alio ejusdem Parallelo fuit ostensum, agi in eo expresè *de cultu dilectionis & societatis*, quo Sancti etiam in hâc adhuc vitâ homines coluntur; Item *de cultu honorificæ vel recordationis vel præsentiæ*, quem neque Evangelicos verè Sanctis denegare, manifestum est, & in quibus honoris & cultûs terminis si Romanenses Ecclesiæ sectatores manerent, nullius Hagiolatriæ accusari possent de jure. *Quartum* adhuc superest, quo Ethnicis objicientibus, quod Angelos Christiani colerent, Augustinum nomine Christianorum respondisse scribit Bellarminus: *Vtinam & vos colere vellatis illos; facilè enim ab ipsis disceretis, non illos colere, id est, non colere ut Deos, sed ut Sanctos.* Triplex falsi crimen in hujus testimonii adductione committit Bellarminus. *Primum* est, quod alienam Gentilibus adfingit objectionem, quasi nimirum Christianis cultum Angelorum objecissent, cùm tamen objectionem Christianorum, quasi Dæmones colerent, à se amoliri laborantes, responderint, non Dæmonia, sed, quos Christiani dicunt Angelos, tanquam virtutes & ministeria DEI magni se colere. *Secundum est*, quod Augustinum existimet gentilibus persvadere voluisse cultum Angelorum per se, cùm tamen solo respectu cultûs DEO debiti, aliquem Angelis voluerit exhiberi cultum, discendi nimirum gratiâ, DEUM, non Angelos esse colendum, quod illustri exemplo Angeli cultum à Johanne sibi oblatum renuentis illustravit, in præcedentibus idem ex Apostolorum Actis memorans, de Paulo & Barnabâ,

Serm. 25. de Sanctis

Epist. 44. ad Maxim.

lib. 20. contra Faust. cap. 21.

in Psal. 96.

nabâ, honorem à Lycaoniæ civibus exhiberi cœptum omni modo tanquam sibi incompetentem respuentibus. Sed *tertium* duo hæc antecedentia in eo superat, dum Bellarminus sua verba verbis Augustini ita connectit, ut Lector non inspiciens locum, ex quo citantur, vix aliter sibi posset persuadere, quàm omnia ab Augustino profecta esse. Augustini hæc sunt: *Vtinam & vos, nimirum Gentiles, colere velletis illos, nimirum Angelos,* & cultu quidem illo, quo à nobis coluntur Christianis; *facilè enim ab illis disceretis non illos colere,* eo videlicet cultu, quo hactenus coluistis. Jam quæ sequuntur apud Bellarminum iisdem planè literis, quibus antecedentia erant scripta, *id est, non colere, ut Deos, sed ut Sanctos,* non Augustini sunt, sed Bellarmini verba, utut pro Augustini verbis Lectori per fraudem non adeò piam venditaverit, id quod præter alios à *Chamiero* etiam non sine causâ graviter fuit animadversum. Panstr. Tom. II. lib. 19. cap. 4. in fine.

Nunc id adhuc restat, ut, quia Bellarminus statim sub hujus de cultu Sanctorum tractationis initium aliqua contra hunc Cultum tam è Sacris Scripturis, quàm è Patribus Ecclesiæ, adeòque ex Augustino etiam proposuit argumenta, quid ad illa respondere conatus fuerit Bellarminus, insuper videamus. Eminet inter alia illud, contra distinctionem inter *latriam & duliam*, tanto opere à Papæis Doctoribus laudatam, & quâ stante, stare, cadente autem cadere hic cultus non immeritò videtur, quod Augustinus egregiè monuit, *tàm latriam, quàm duliam Deo tribui; illam ut Deo, hanc ut Domino.* Bellarminus quidem, quâ utplurimum ducitur audaciâ, hunc locum quam-maximè sibi existimat inservire, dictamque distinctionem inter latriam soli DEO debitam, & duliam Deo & Sanctis communem confirmare, scribens: *Ex eo, quod Augustinus ait, Latriam Deo dari, ut Deus est, duliam verò, ut Dominus est, colligitur, Latriam non posse communicari Creaturæ, quia unus tantum est Deus, at duliam posse communicari, quia multi sunt verè & propriè Domini*; hâc tamen additâ limitatione, *duliam, quâ colitur DEVS, esse duliam per excellentiam, & specie distingui ab eâ, quâ coluntur Sancti.* Quæst. 94 in Exod. At eandem esse rationem utriusque nominis, ab Apostolo discere potuisset Bellarminus, qui sicut unum esse DEum, ita etiam unum esse Dominum dixit, verè nimirum & propriè, inque significatione ei oppositâ, quâ impropriè alii etiam Dii & Domini dicuntur, quod Bellarminus tam insignis Controversiarum Scriptor omninò ignorare, vel ad minimum dissimulare non debuit, rem utpotè è sacris Literis manifestissimam. Ephes. 4. 1. Cor. 8. *Alterum* augustissimi Doctoris testimonium contra cultum & adorationem Sanctorum ex libro de *Verâ Religione* jam supra fuit laudatum, quo testatus est Sanctus Pater, *honorandos quidem esse demortuos, si vixerint piè, propter imitationem, sed non adorandos propter Religionem.* Hoc Augustini monitum, quod Evangelici in cultu Sanctorum omninò observandum putant, cui similia *Athanasii, Epiphanii, Ambrosii* dissimulare tanquam ubivis obvia non potuit Bellarminus, ideò tamen Evangelicis eripi posse existimavit, quia Erroribus Gentilium, sceleratis hominibus Divinos honores adscribentium, eisque Sacrificia obferentium, hæc talia fuerint opposita. *Quod enim alioquin Sanctos homines & Angelos debito cultu statuerint prosequendos, eosdem Patres & inter eos Augustinum sexcentis adfirmare locis.* Verùm neque Evangelici Sanctos homines & Angelos debito cultu defraudare unquam fuêre conati, de eo tantum solliciti, ne alicujus Angelo-latriæ vel Hagio-duliæ indebitæ rei, id est, honorem & cultum soli DEO debitum creaturis adscripsisse videantur. Et hactenus de cultu Angelorum & hominum Sanctorum in genere.

Nunc in specie ad cultum Invocationis progreditur Bellarminus, de quo prima hæc est Ejus propositio: *Non licet à Sanctis petere, ut tanquam authores Beneficiorum Divinorum nobis gloriam vel gratiam, aliaque ad Beatitudinem media concedant; sed,* quod ex sequentibus constat, *ut impetratores.* Hujus Propositionis partem primam esse dicit contra eorum errorem, quos ab Epiphanio refelli monet, statuentium, *Mariam, quæ præcipua Sanctorum est, invocari posse ac debere non secus, ac DEus invocatur.* Sicut autem simul eam esse vult contra calumniam Calvinistarum omniumque eorum, qui Romanenses ob indebitum Sanctorum cultum Hagiolatriæ reos accusant; ita alteram partem, ut ex sequenti explicatione manifestum est, modo non uno demonstrare laboravit, Augustino etiam pro teste laudato. Semel quidem, ubi Eum Scripturæ Interpretem commendavit; Iterùm, ubi Eum cum *Theodoreto* adduxit Doctorem vel docentem, *Sanctos quidem non esse invocandos ut Deos, sed ut qui à Deo impetrare possint, quod volunt,* illi nimirum & homines. Prius ut ostendat, sequentia

Psal. 120. vel 121. Psaltis regii verba stitit: *Levavi oculos meos in Montes, undè veniet auxilium mihi; auxilium meum à Domino, qui fecit Cœlum & terram.* Ad hoc testimonium observat Bellarminus, *Augustino montes esse homines Sanctos.* Addit autem, non ex Augustino, sed de suo: *Iubemur ergò oculos levare ad Montes*, id est, *ad Sanctos, & ab Eis auxilium expectare; sed ut intelligamus, ab Eis expectandum esse auxilium, non ut ab Authoribus, sed ut ab impetratoribus, ideò statim subditur: auxilium meum à Domino &c.* Et quia Bellarminus tria citat loca, quibus hanc Sententiam Augustinus exhibere putatur, ex quâ ad propositionis suæ veritatem se argumentari posse existimat, ideò singula ordine videamus. *Primus* ad ipsam hujus Psalmi enarrationem nos ducit, ubi prætermissis pluribus sequentia ad Institutum præsens inservientia leguntur: *Montes possunt intelligi homines magni, homines clari.* Et postquam in horum montium numero Johannem inprimis Baptistam recensuit, notanter subjunxit: *In illos montes nisi levaveris oculos, per Scripturam non admoneberis, ut ab Illo, nimirum Christo, illumineris.* Ita Augustini Sententiam exhibet Editio Parisiensis ante hoc Seculum curata. Doctores autem *Lovanienses* nuper demum ex Manuscriptis Exemplaribus Enarrationes in Psalmos separatim edentes posteriora hæc Augustini verba sequentem in modum expresserunt: *De cujus plenitudine acceperunt Montes, ab Illo est tibi auxilium, non à montibus, in quos tamen nisi levaveris oculos per Scripturas, non admoneberis, ut ab Illo illumineris.* Notant insuper in margine, *Editionem Parisiensem plura hic complecti*, quorum non planè nulla in laudatis Exemplaribus Manuscriptis desint. *Secundus* id magis manifestè explicat locus, ad quem Bellarminus lectorem mittit, ubi quidem Sanctus Pater hoc Davidis testimonium non ex professo tractat, ita tamen de eo agit, ut nihil omninò, nisi per summam absurditatem, exindè possit ad Hagioduliam deduci. Et sicut in antecedenti testimonio inter montes retulit Johannem Baptistam, ita hic refert Johannem

Tract. 1. in Joh. Evangelistam, sequentibus verbis: *Fratres mei, si vultis intelligere, levate oculos vestros in montem istum*, id est, *erigite vos ad Evangelistam, erigite vos ad Ejus sensum.* Post de Montibus his ita suam dicere Sententiam pergit: *Quia Montes isti Pacem suscipiunt, non potest autem esse in Pace, qui spem ponit in hominem; nolite sic oculos erigere in Montem, ut putetis, in homine spem vestram esse collocandam. Ergò levemus oculos in montes, undè veniet auxilium nobis; & tamen non ipsi montes sunt, in quibus spes nostra est ponenda, accipiunt enim montes, quod nobis ministrent. Ergò unde & montes accipiunt, ibi spes nostra est ponenda.* Explicat hanc suam in proximè sequentibus: *Oculos nostros cùm levamus ad Scripturas, quia per homines ministratæ sunt Scripturæ; levamus oculos nostros ad montes, undè veniat auxilium nobis. Sed tamen, quia ipsi homines, qui scripserunt Scripturas, non de se lucebant, sed Ille erat verum Lumen, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, mons erat & ille Iohannes &c.* Omnium clarissimè autem hæc explicat tertius augustissimi Doctoris locus, quem Bellarminus porrò contra semetipsum nobis suppeditavit, hoc verborum tenore:

L. de Pastor. c. 8. *Noli putare, injuriam te Sanctis facere montibus, quando dixeris, auxilium meum non à montibus, sed à Domino, qui fecit Cœlum & terram.* Iterùm: *Ergò posteaquam levaveris oculos tuos in montes, undè veniet auxilium tibi*, id est, *in Authores Scripturarum Divinarum, attende omnibus suis medullis, omnibus ossibus clamantem: Domine, quis similis tibi? ut securus sine ullâ montium injuriâ dicas, auxilium meum à Domino &c. Non solùm tibi tunc non succensebunt Montes, sed amabunt & magis favebunt; Si verò in ipsis spem tuam posueris, contristabuntur.* Illustrat id exemplo Angeli Apocalyptici supra commendati: *Angelus multa Divina & mira ostendens homini ab homine adorabatur, tanquam levante oculos in Montem; at Ille à se revocans ad Dominum inquit: Noli facere, Illum adora &c.* Expendat nunc Lector æquus, judicandi ex Logicâ etiam naturali qualitercunque peritus, an ex eo, quod Augustinus per Montes in regii Psaltis oraculo intellexit homines Sanctos, inprimis eos, per quos Spiritus Sanctus in Sacris Scripturis nobiscum loquitur, verumque DEI cultum nos docet; utque in montes Scripturarum oculos levemus, Deumque Trinunum colendi modum discamus, prævio Davide suos auditores instanter hortatus est, sequatur, perque legitimum aliquod argumentum possit deduci, quod Bellarminus Lectori minus attento voluit persuasum, *Iuberi nos ad Montes elevare oculos*, id est, *ad Sanctos, & ab eis expectare auxilium, quamvis non ut ab Authoribus, sed tamen ut ab impetra-*

tratoribus, cùm ex his neutrum vel Davidi, vel Augustino venerit in mentem, quidquid etiam Bellarmino hic videatur, utut post non fuerit ita visum, ubi ætate maturiori & Cardinalis factus integrum Psalterii librum explicavit, Augustini Expositionem dicens *mysticam*, ex suo autem sensu per Montes intelligens *cœlestem Hierosolymam*, cujus Hierosolyma terrestris fuerit typus, civitas in montibus sita; ut adeò, etiamsi Augustinus per Montes intellexisset homines sanctos, tanquam impetratores Bonorum à nobis invocandos, quod tamen non factum esse, ex testimoniis Ejus manifestum est, ipse tamen Bellarminus agnovisset, Sensum hunc non-nisi pro *mystico* habendum esse. Et si plerosque Interpretes Papæos hoc consulamus loco, pauciſſimi erunt, si modò aliqui, qui hanc adscriptam Augustino explicationem sequantur, cæteris omnibus ad longè alia intentis. *Cajetanus* certè nihil de hâc Sententiâ habet, quin potius mentem suam in partem contrariam explicat: *Introducitur siquidem populus, manifestans animum suum recurrendi ad Principes mundi pro auxilio contra hostes, & ad similitudinem hominis existentis in campo, & expectantis suppetias hominum transmontanorum. Talis enim homo levat oculos suos versus montes, ut videat, si adparent homines transmeantes montes ad auxilium suum. Et intendit*, nimirum Psaltes, *per hanc Metaphoram populi recursum ad humanos potentatus, qui ob suam celsitudinem sunt sicut montes respectu aliorum. E regione autem occurrit populo volenti recurrere ad Potentatus humanos Propheta, profitens, auxilium meum à cum Domino, faciente Cœlos & terram. Vbi nota, quod non dicit, auxilium meum à Domino, sed, auxilium meum à cum Domino, hoc est, ab esse cum Domino; Ita, quod ex hoc solo, quod est, esse cum Domino, suum profitetur auxilium, & intendit, quod non est opus aliâ conditione, nisi hâc unâ, scilicet esse cum Domino.*

Agellius, ex Congregatione Clericorum regularium, Psalterii Interpres inter suos non indoctus, hunc Psalmum de Judæis ex Captivitate Babelicâ Hierosolymam versus iter facientibus intelligens, in eundem ferè sensum ad hæc verba scribit: *Possunt etiam montes figuratè dici vel Idola gentium, vel Principes & Reges. Cùm enim ad iter faciendum multa essent necessaria, & ope Regum ac Principum indigeret populus, dicit, se expectasse & speravisse à montibus ac terrenis Principibus, sicundè ab illis aliquid auxilii adferretur. Cùm igitur nulla spes auxilii à montibus adfulgeret, à terrenis hisce auxiliis, ad opem cœlestem desiderandam & orandam conversus sum, sciens, nullum terrenum adjumentum firmum esse, & in nullâ re satis esse præsidii, præterquam in Domino.* Missis brevioribus *Iohannis Marianæ*, & *Immanuelis Saa* ad hunc locum Scholiis & Notationibus, qui per Montes intellexerunt Cœlos, placet inprimis *Jansenii Gandavensis* Adnotatio, sequentia exhibens: *Dupliciter hic versus intelligi potest. Simpliciter enim accipi potest, ut præpositio* in *accipiatur pro* ad, *& per montes intelligantur Cœli, aut saltem per sublationem oculorum ad montes intelligatur sublatio eorum ad alta atque ad cœlestia loca, juxta quem sensum dictio, unde, refertur ad montes, ut significetur, à montibus, hoc est, è Cœlo sibi auxilium polliceri regium Prophetam. Verùm Ebræi aliter exponunt præpositionem hic positam, accipientes pro super, ut intelligatur, Ipsum dicere voluisse, se in montibus constitutum conjecisse in omnem circumquaque regionem oculos, atque speculatum, undè sibi venirent auxilia. Id autem per Metaphoram dicit, similitudine scilicet mutuatâ ab illis, qui expectantes auxilia ex locis editioribus speculantur, unde illa demum adveniant. Voluit itaque exprimere, quam anxiè opem expectârit, atque & hunc sensum nostra habebit litera, si* in *pro* super *accipiatur.* Et juxta hanc posteriorem explicandi modum ipsa etiam Paraphrasis horum Davidis verborum à Jansenio facta est: *In tribulatione constitutus anxiè opem alicundè mihi adventuram expectavi, simpliciterque habitus fui, atque is, qui super montes, & aliqua editiora loca consistens circumfert suos in omnem circumquaque Regionem oculos, despiciens, sicundè auxilia sibi veniant. Verùm dum undique mihi auxilium disquiro, deprehendi, meum auxilium non ab alio sperandum esse, quam à* Domino, *qui solus inter omnes, qui dicuntur Dii, creavit Cœlum & Terram, ac proindè omnium summus est, potens facere, quæcunque vult,*

omniaque sibi subjecta habens. Consentit cum posteriore hâc Sententiâ post alios omnes ferè laudatus non semel *Muisius*, ita in Commentario ad hunc locum scribens: *Levavi*, vel *levo oculos meos in montes*, *undique circumspiciens, an fortè auxilium alicundè adfulgeat*; *vel*, in montibus, *scilicet constitutus. Nam qui è longinquo auxilium expectat, in montes solet adscendere, & huc atque illuc oculos circumferre, num aliquid sese obferat auxilii. Posteriori modo accipit Kimchi, & el pro al, id est, super vel in esse vult, ut alias.* Auxilium meum à Domino &c. *Corrigit se veluti, quasi dicat Psaltes: Quid mihi prodest, huc & illuc anxium expectare, cum à solo Deo petendum sit auxilium, qui fecit Cœlum & terram, atque adeò, quidquid vult, potest efficere?* Satis hæc superque evincunt, etiamsi Augustino Sententia de montibus quasi hominibus Sanctis, Bonorum à Deo impetratoribus, & hinc invocandis placuisset, desertum tamen Eum fuisse à citatis Interpretibus Papæis, qui in hujus loci explicatione in alia iverunt omnia, adeòque & Evangelicis eodem jure prohibitum non fore, à singulari Ejus Sententiâ discedere, quo aliis licitum fuit, & ipsi quoque Bellarmino, aliter sentire. Quia verò neque Augustinus id voluit, quod Bellarminus ex Ejus Sententiâ deduxit, manifestum est, minus sincerè Bellarminum & hic ad Ejus authoritatem provocasse.

Sed neque in posteriori demonstratione majorem Bellarminus adhibuit fidem, ubi Augustinum cum *Theodoreto* inducit disertè docentem, *Sanctos non esse invocandos, ut Deos, sed, ut qui à Deo impetrare possunt, quod volunt.* Ne & hîc ægrè Bellarmino videamur facere, ipsa iterùm videbimus loca, ad quæ Bellarminus lectorem ducit. Et priori quidem, juxta præscriptum lemma, quicunque etiam author ejus sit, agitur de *modo honoris, quem Christiani Martyribus impendunt.* In ipsâ autem tractatione nihil ejusmodi invenitur, per quod Bellarmini Sententia, quam Augustino adscribit, posset confirmari; non planè nulla è contrario, quæ ad infirmandam possent inservire. Videamus aliqua, quibus Pater Sanctus Martyrum cultum apud Christianos usitatum contra Gentilium calumnias insigniter defendit: *Nos Martyribus non Templa, Sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed DEus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum tanquam Sanctorum Dei hominum, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certârunt, ut falsis fictisque religionibus convictis vera innotesceret religio.* Et post aliqua: *Apud Eorum memorias obfertur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & Sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit, ut eâ celebritate & DEO vero de victoriis illorum gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem in auxilium invocato, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur.* In posteriori agit quidem Doctor augustus de quibusdam miraculis, quæ per Martyrum memorias tum facta commemorat, sed non eum in finem, ut ideò à nobis invocentur, ut qui à Deo impetrare possint, quod velint, de quo nulla ibi syllaba, nullus omninò apex legitur. Verba Augustini hæc sunt: *Nobis Martyres non sunt Dii, quia unum eundemque Deum & nostrum scimus & Martyrum. Faciunt autem miracula Martyres, vel potius Deus, vel orantibus aut cooperantibus eis, ut Fides illa proficiat, quâ eos non Deos esse nostros, sed unum Deum habere nobiscum credamus.* Et iterùm: *Nos Martyribus nostris non Templa, sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum spiritus apud Deum vivunt, fabricamus; nec ibi erigimus Altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & Martyrum & nostro Sacrificium immolamus.* Judicet nunc iterùm Lector veritatis studiosus, an ex his Augustini verbis sequatur, quod Bellarminus indè studuit probare. Imò legantur cætera, quæ utrobique Sanctus Pater de hoc argumento scripsit, & si pro Bellarmini Sententiâ, quam Augustino tribuit, aliquod inveniretur testimonium, Augustinus non noster, sed Romano-Catholicus esto.

lib. 8. de Civ. Dei, cap. ult.

lib. 22. cap. 10.

Nunc ea inter pro Sanctorum Invocatione succedat Bellarmini Propositio secunda: *Sancti non sunt immediati* (ergò mediati) *intercessores nostri apud Deum, sed quidquid à Deo nobis impetrant, per Christum impetrant.* Quid indè sequitur? Ergò invocandi quidem sunt Sancti ut intercessores nostri, & juxta primam quoque Propositionem, ut impetratores Bonorum, verùm non ut immediati, sed ut mediati, videlicet per Christum. Ut hanc Propositionem suam demonstret Bellarminus, præter *Ambrosii & Bernhardi*, ad sequens etiam Augustini testimonium provocat, scribentis: *Oratio, quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed ipsa etiam fit peccatum.* Verùm præter necessitatem orationis per Christum, id est, respectu meriti per Christum nobis impetrati, nulla planè invocationis Sanctorum, utut mediatæ saltem, in his Augustini verbis, sed & neque in antecedentibus, neq; in consequentibus mentio extat,

in Psal. 108.

quæ

quæ omninò requireretur, si hanc mediatam Sanctorum tanquam intercessorum & impetratorum invocationem exindè voluisset demonstrare. Tertia jam sequitur Propositio: *Sancti pro nobis orant, saltem in genere, secundum Scripturas.* Propositionem hanc facilè possemus prætermittere, utpotè Evangelicis non oppositam, præprimis cùm in testimoniorum ex Sacris Scripturis adductione nullum Augustini authoritas locum habeat. Juvat nihilo tamen minus ultimum ex numero eorum ad Augustini Sententiam ponderare, ut constet, an ritè illud à Bellarmino fuerit commendatum. Agit autem illud *de animabus Sanctorum Martyrum in Apocalypsi Iohannèâ vindictam magno clamore de suis interfectoribus petentium*, unde hanc Bellarminus nectit consequentiam, *Ergò misericordiam multò magis petentium fratribus suis.* Et quia simul Brentii responsum, illas Orationes *figuratè* intelligentis rejicit, placet Augustini Sententiam audire, qui non uno in loco de hoc animarum clamore agit. Et primùm quidem in hæc verba: *Oritur quæstio, cur Sancti jam cum Domino manentes vindictam de inimicis expetant, cùm Dominus in Evangelio dicat,* Diligite inimicos vestros & orate pro persequentibus & calumniantibus vos? *Sed sciendum, quia illi Sancti jam in conspectu Creatoris sui consistentes vident Illius voluntatem, & ideò ab Ipso accipiunt, quod facere Eum velle noverunt, & de Ipso bibunt, quod de Ipso sitiunt. Petunt autem de inimicis vindictam duobus modis, & hoc causâ charitatis, ut scilicet, qui ad Vitam æternam sunt prædestinati, à malo ad bonum convertantur; qui verò præsciente Deo damnandi sunt, moriantur & peccare desistant, ut per hoc minorem pœnam in Inferno habeant, ubi unusquisque secundum qualitatem operum sustinebit magnitudinem pœnarum. Petunt autem porrò de reprobis vindictam, quia optant venire diem extremi Iudicii, & resurrectionem suorum corporum præstolantur.* Deindè autem figuratum exprimens sensum, hunc in modum: *Sic animæ occisorum clamant, vindicari se postulantes, sicut sanguis Abel clamavit de terrâ. Causæ ergò sunt, quæ clamare dicuntur, cùm loqui non possint. Sanguis enim effusus quid aliud, quàm judicari se postulat, clamans non voce, sed ratione? Nam & opus opificem laudare dicitur per hoc ipsum, quod videntem se oblectat. Non enim tam impatientes sunt sancti, ut urgeant jam fieri, quod sciunt tempore præfinito futurum, quod nec anticipari potest, nec differri. Sed hoc dicto ostendere voluit, Deum vindicaturum sanguinem Sanctorum suorum, ne, quia tam patiens nunc videtur, inultum putaretur impium Bellum, quod contra sanctos geritur, ut & terrorem incutiat servos DEI persequentibus, & exhortaretur pro se patientes.* Non adduxissem hoc testimonium, ex eo desumtum libro, quod suprà non indubitanter Augustini esse monui, nisi & Interpretes Papæi ad ejus tenorem de hoc loco scripsissent, nominatim Franciscus Ribera: *Quæritur, quomodo nunc sancti vindictam de interfectoribus suis petant, quos amare ut proximos debebant, & quos amârunt, ac pro illis sæpè in ipsis etiam cruciatibus oraverunt? Absit enim, ut facti sint vitâ feliciore crudeles. Quæstio facilè solveretur, si in animabus Martyrum clamantibus ipsos Martyres intelligamus, clamare enim dicerentur Martyres occisi, quia ipsorum corpora cruore conspersa & gravissimis cruciatibus adfecta ultionem à DEO petunt de impiis interfectoribus, sicut dictum est à Deo ad Cainum, Vox sanguinis Fratris clamat ad me de terrâ.* Blasius Viegas, postquam utriusque *Gregorii*, & Romani sive Magni, ut vulgò audit, & *Nysseni*, *Ambrosii* item, quin & *Chrysostomi* verba de hoc clamore adduxit, hoc etiam Augustini testimonium laudavit. *Quis audeat adfirmare, cùm illi Sancti candidati se vindicari petierunt, contra ipsos homines, non contra regnum peccati petiisse? Nam ipsa est sincera & plena Iustitiæ Martyrum vindicta, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta sunt perpessi; ad cujus eversionem Apostolus etiam nititur dicens, Non regnet peccatum in mortali corpore vestro* &c. Quamvis ingenuè fateri cogar, hæc Augustini verba eo in Sermone, quem *Viegas* citavit, non legi, ut adeò quoad numerum vel descriptor vel typographus errorem videatur commisisse, quod hic moneri oportuit. *Ludovicus ab Alcasar*, curiosissimus arcani Sensûs in Apocalypsi vestigator, utut hic quoque, sicut aliis plurimis locis, aliam ab Antecessoribus viam susceperit sectandam, in explicando tamen clamore animarum sub Altari cum laudatis Interpretibus consentit, scribens: *Quia sanguis Christianorum in Persecutione morientium vindictam adversus persecutores clamitabat, ut de Abelis cruore dicitur, ideò fingitur aptissimè, animas Martyrum, qui in Persecutione fuerant interfecti, sub Altari clamare, hoc est, ex ipsismet Sacrificiis, quibus persecutores DEO pergratum fieri putabant, tacitum quidem, sed efficacissimum prodire clamorem, ibique Martyrum animas videri postulare vindictam.*

Apoc. 6.

Homil. 11. de Sanctis.

in Quæst. ex utroq; Testam. num. 68.

Serm. 39. de Temp.

Hoc

Hoc autem non est agere elicito orationis actu, neque extremi Iudicii diem velle precibus antevertere, sed solùm judicare ultionem, quam sanguis Martyrum contra persecutores petebat, atque idem est, dici, animas petere vindictam, ac dici, earum sanguinem deposcere illam. Et huc respexisse censendus est *Fromondus* Professor Lovaniensis, suam super hoc clamore Sententiam post alios omnes ferè sequentibus exprimens verbis: *Clamabant voce magnâ, quæ magnum earum significat desiderium; dicentes, usque quò Domine &c. Non, quod moræ sint impatientes, aut tempus Resurrectionis à DEO constitutum velint breviari. Cùm enim sua ex DEI voluptate suspendant desideria, credere nefas est, eas quidquam contra DEI nutum cupere. Solùm igitur illo loquendi modo significatur magnitudo desiderii earum rerum, quas Deum velle sciunt.* Hæc Illi, ad mentem, ut videtur, Augustini; quæ si valent, authoritate videlicet quatuor testium nixa, quibus alii etiam possent adjici, non video, quâ ratione & modo Bellarminus ex hoc animarum clamore possit demonstrationem sumere ad probandum, Sanctos pro nobis orare, saltem in genere, cùm neque id positum sit extra omnem controversiam, undè hanc deduxit consequentiam, animas videlicet Martyrum hoc clamore suo propriè vindictam à DEO contra suos persecutores petere, Augustino & sequentibus Eum Interpretibus ingenuè fatentibus, figuratam esse hanc locutionem, nec quoad literam, prout jacet, intelligendam, sed ex aliis similibus & parallelis explicandam.

Quia verò Bellarminus ad tertiam hanc Propositionem amplius illustrandam addit, *Scripturam apertè docere communionem Ecclesiæ triumphantis cum militante, & eam exigere necessariò, ut membra pro se invicem sollicita sint & invicem se juvent, cùm hæc natura sit membrorum sub uno capite viventium*, laudato eam in rem Augustino, operæ erit pretium, breviter indicare, quid de eâ orthodoxè sit statuendum. Et quidem Evangelicis hæc communio Ecclesiæ triumphantis cum militante non est contraria, eam ultrò agnoscentibus, neque etiam denegantibus aliquam Sanctis in Ecclesiâ triumphante jam viventibus, pro fratribus in Ecclesiâ militante adhuc sub variarum Persecutionum jugo constitutis sollicitudinem & pium ex eâ desiderium arctioris, quam sperant, conjunctionis; an verò ex hâc Sanctorum sollicitudine & desiderio sequatur, eos tanquam intercessores apud Deum & impetratores bonorum à nobis esse invocandos, non paucæ nec exiguæ sunt dubitandi causæ, neque Augustinus ullam hic agnovisse legitur pro Sanctorum invocatione consequentiam, ipsam aliàs utriusque Ecclesiæ membrorum communionem nobiscum non negans, dum scribit:

lib. 20. de Civ. Dei. cap. 9. *Neque piorum animæ mortuorum ab Ecclesiâ separantur, quæ etiam nunc est regnum Christi.* Et post aliqua: *Regnat cum Christo Ecclesia nunc primùm in vivis & mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus, mortuus est Christus, ut & vivorum & mortuorum dominetur.* Sed quid hæc communio Ecclesiæ militantis cum triumphante ad invocationem Sanctorum? Nihil omninò. Videamus jam, quæ quarta sit Bellarmini ad hujus Controversiæ evolutionem Propositio: *Sancti, qui cum Christo regnant, orant pro nobis, non solùm in genere, sed etiam in particulari.* Etsi hanc quoque Propositionem Evangelici concedere possent, sine ullo orthodoxiæ detrimento, utpotè nihil planè pro sanctorum invocatione consequenter inferentem; non tamen omninò præter rem erit videre, quid Bellarminus ad ejus demonstrationem adtulerit, præprimis cùm Augustini iterùm intercedat authoritas. Probatio hæc est: *Angeli orant pro nobis, & curam nostri gerunt, etiam in speciali. Ergò magis multo id spiritus hominum beatorum faciunt. Nam inprimis nihil eis deest eorum, quæ Angeli habent, quantum ad hoc munus pertinet, cùm sint præditi intelligentiâ & voluntate, & adsint semper Deo, & nos vehementer diligant, ac demum sint Angelis æquales.* Deindè *aliquid habent præ Angelis, quod sunt membra corporis Ecclesiæ magis conjuncta nobis, quam sint Angeli, & experti sunt miserias & pericula nostra, quæ Angeli non sunt experti.* Et quia huic demonstrationi suæ scivit objici, argumentum hoc concludere, si posset ostendi, quod, sicut Angeli hominibus præsunt, eosque custodiunt, atque rebus eorum intersunt, sanctorum quoque hominum spiritus ita faciant; ideò ostendi posse existimavit Bellarminus, *non solùm ab Angelis, sed etiam à spiritibus beatorum hominum regi & gubernari fideles viventes*, & hinc loco secundi pro quartæ Propositionis veritate argumenti ad sequentem Christi

cap. 11. in Apocalypsi Johannæâ promissionem audacter provocavit: *Qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in Virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & Ego accepi à Patre meo.*

meo. Ut oraculum hoc suæ adplicet Propositioni, ita de ejus sensu scribit: *Hic loquitur Iohannes de spiritibus mortuorum, & loquitur de tempore ante resurrectionem. Nam regere in virgâ ferrea non significat punire, quod etiam post resurrectionem fiet, sed significat regere virgâ pastorali, quod solum fit ante resurrectionem. Quod autem sequitur, & tanquam vas figuli confringet eos, non significat homines perdendos, sed peccatores, Christo peccata conterente & delente, ut Augustinus exponit.* Fucum & hic Lectori facere studuit Bellarminus, eique incauto persvadere, quasi Augustinus huic suæ Expositioni faveat, cùm tamen Augustinus in Psalmi secundi Enarratione, ubi similis occurrit phrasis, nullam planè hujus oraculi Apocalyptici fecerit mentionem, ut de sensu alieno, quem Bellarminus eidem adfinxit, nihil dicam, quem laudatos paulò ante Interpretes Apocalypticos non adprobare, ex sequentibus Eorum verbis erit manifestum. *Ribera* certè Bellarmini Sententiam hic omninò deserit, scribens: *Quod hic promittitur, post mortem est dandum; quare omninò loquitur de potestate, quam Sancti exercebunt in die Iudicii in omnes gentes, quæ Christo non paruerunt, eas cum Christo judicantes, & æternæ Mortis supplicio tradentes. Et quoniam ultima hæc Sententia & damnatio omni supplicio & omni corporum læsione gravior est, ut ejus acerbitas aliquo modo à nobis intelligatur, solet exprimi verbis acerbissimas corporis læsiones significantibus.* Et post aliqua Scripturæ dicta, quibus hoc confirmavit: *Hanc igitur potestatem, quam Christus ut homo accepit à Patre, promittit se dare vincentibus, ut eos judicent, à quibus tentati sunt, ut corrumperentur, & ipsi DEO obedire maluerunt, quàm voluptatibus cedere.* Addit pro uberiori hujus suæ Explicationis Illustratione: *Sciamus, quod ferreum est, in Scripturâ in malam accipi partem solere, id est, pœnam & adflictionem duram significare. Quare licet virga per se in bonum accipi possit, cùm Pastoris est, virga tamen ferrea semper in malum accipitur, id est, pro gravissimo supplicio, quoniam omnia conterit & confringit, & gravissimum habet ictum. Præterea sciendum est, ubi nos habemus, & reget illas &c. in Græco esse, ποιμανεῖ, pascet. Quare de virgâ Pastoris sermo est. Pascere autem sive regere poni solet, pro eo, quod est dominari, quia, qui pascit & regit, dominatur. Sumitur igitur à Pastore similitudo, qui virgâ ferreâ oves suas iratus percutit & perdit, significaturque dominatus Sanctorum in malos, & mortis æternæ sententia, quâ eos sunt percussuri. Idcircò additur, & tanquam vas figuli confringentur. Nam ut vas fictile semel contritum reparari non potest, ita impii in æternam mortem & in perpetuum carcerem mittentur, undè nulla sit unquam spes exeundi.* Non examino singula, sufficit esse testimonium de domo contra Bellarmini sententiam. *Viegas* utut aliter de hoc statuat oraculo, à Bellarmini tamen Explicatione itidem discedit, scribens: *Existimamus, duos esse sensus loci hujus literales, unum, ut universæ promittatur Ecclesiæ in rebus etiam temporalibus felicitas, quod nimirum gentes multas sibi subjiciat, imperium in subditos securè exerceat, tantâque sit potentiâ, ut rebelles possit facilè coercere & hæreticorum impetus comprimere; alterum, quem etiam plerique adferunt, ut iis, qui vicerint, id est, Iezabeli Ejusque sectatoribus, videlicet, tum pravis hominibus, tum hæreticis semet strenuè & animosè opposuerint, promittatur, fore, ut ob eorum probitatem, adversusque Iezabelem animi magnitudinem in alto Dignitatis gradu collocentur, prælatique aliorum efficiantur, itaque ad eum evehantur locum, ex quo alios virgâ ferreâ, id est, inflexibili & æquissimâ regant, Legumque sanctitate devinciant, rebelles autem ac petulantes imperio compescant, & Disciplinæ severitate in officio contineant, aut si nolint, pro ratione muneris in eos animadvertant.* Qui Anno hujus Seculi post decimum quarto in tria Apocalypseos capita priora edidit Romæ Commentarios *Antiochus Sardus*, Calaritanus, Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemtionis captivorum, similem huic Explicationi paraphrasin in hæc verba exhibet: *Pastoralis potestatis fastigium justis vincentibus hic promittitur. Bonis namque & justis in hoc Seculo imperium & gubernatio de jure debetur, eò quod lex DEI sit in corde justorum, & os illorum crebrò meditetur sapientiam, & tandem eorum lingua judicium semper loquatur, quæ omnia ad optimam gubernationem adprimè requiruntur.* Pro confirmatione hujus suæ paraphraseos addit *Augustinum*, Trionium, Bedam, Ansbertum, & *alios Expositores plerosq; putare, Ecclesiam in Christo habuisse hanc potestatem*, idque Primasium quoque, *Augustini* discipulum, Præceptorem sequendo adseruisse. Ut verò hanc Adsertionem cum Paraphrasi suâ componat, subjungit: *Dicere Ecclesiam consequutam fuisse istam promissionem per Christum, idem omninò est, ac si dicamus, fastigium Pastoralis officii, potestatis, dignitatis ac Prælaturæ justis, bonis & sanctis viris hoc in loco promitti.* NB.

Quam-

Quamvis enim Ecclesia potestatem præsidendi super gentes habeat per Christum, hæc tamen promissio regendi & gubernandi vincentibus; puta, bonis, justis ac piis viris duntaxat facta est. Ab hujus etiam Sententiæ examine abstineo, sufficit, cum eâ Bellarmini Expositionem stare non posse, quam etsi ultimæ Quæstionis loco proposuit, *an nimirum Sancti in Patriâ aliquam super gentes habeant curam, ita ut eas virgâ regant ferreâ?* Ita tamen ad eam respondit, ut parum è re possit videri & esse Bellarmini. Responsum hoc est: *Non adparet procul dubio, quo-modo electi post mortem in Patriâ gentes regere dicantur, præcipuè cùm in illâ vitâ beatâ nullus sit, qui regatur in Virga ferreâ, ubi nihil distortum nihilque pravum invenitur; nisi fortè dicamus cum Dionysio Carthusiensi, quod Sancti in Patriâ potestatem sortiti sint subveniendi viatoribus, & gratiam boni regiminis eis procurandi impiosque torquendi. Hanc eandem Quæstionem attingere videtur Thomas, dum negat, Sanctos post mortem præsidere mortalibus regendis.* Quia verò major est & antiquior Thomæ, quàm Dionysiii Garthusiensis authoritas, hinc Ejus Sententia hic etiam prævalere contra Bellarminum videtur. In hunc ferè modum *Alcasar*, utut in plerisque aliàs novi aliquid inveniisse velit videri: *Valdè est optabile, ut præmium hoc referatur ad Beneficium, quo DEus in hâc vita eos adficit, qui se in Evangelii prædicationem totos impendunt, atque ad hoc præstandum cætera relinquunt omnia, ut se Christi fidei promulgandæ consecrent, quemadmodum fecerunt Apostoli, & post illos Apostolici omnibus Seculis viri. Nam licet Christo præmium Virgæ ferreæ in diem suæ Resurrectionis sit adservatum, cæterùm quando Mundus nunc fruitur effectibus Virgæ Christi ferreæ, id est, ingenti ipsius efficacitate & potentiâ ad gentes sibi subjiciendas & suæ ditioni per earum sanctificationem subjugandas, ii, qui ut illius Ministri, atque adeò ipsius Instrumenta, portionem aliquam ejus gloriæ participant, in hac Vita exercent illam Christi potentiam tanquam Ejus ministri, gentes in Ipsius obsequium virgæ potentiâ subjiciendo, quæ idcircò illis in hâc vitâ tribuitur. Res ergò ipsa postulat, ut Virgam hanc ferream Viris Evangelicis in hâc vitâ dari credamus. Itaque ratio cogit, ut illa verba,* qui custodierit usque in finem opera mea, *Ita explicentur, ut non solùm sit Sermo de cœlestis Beatitudinis præmio, sed de illo etiam, quod in hâc vita consequuntur strenui Evangelicæ prædicationis ministri; illud enim,* usque in finem, *potest accipi non solùm de Vitæ fine, sed de fine etiam & perfectione operum singulorum.* Addantur antecedentia ibidem & sequentia, utpotè per quæ hæc Explicatio amplissimè illustratur, utut hinc indè occurrant non pauca, quæ censuram mereri videntur. *Fromondi* verba ad hoc Oraculum non adduco, quia non-nisi *Riberæ* Sententiam exprimunt. Satis autem hæc ostendunt, quàm impertinenter Bellarminus ad Augustini authoritatem in ejus ad præsens Institutum adplicatione provocaverit, & quâ ratione ab aliis, sui etiam ordinis, Interpretibus fuerit desertus, in quem finem testimonia eorum prolixius fuerunt adducta, ut videatur, quibus ii argumentis contra Bellarmini Sententiam militaverint.

Nunc prætermisso Augustini testimonio, quo Bellarminus ad ulteriorem *quartæ* Propositionis demonstrationem utitur, ut Sanctorum in Cœlis curam pro nobis in particulari etiam probet, exemplo Cypriani, de quo benè & speravit & optavit, *ut Ejus adjuvetur orationibus*, cùm nemo non videat, illud Evangelicis non contrarium esse; ad id potius est respiciendum, quod ultimæ demonstrationis loco Bellarminus adduxit de adparitionibus Sanctorum, apertè testantium, *se pro nobis in particulari etiam orare*, Augustino hoc Exemplum memorante: *Non solum Beneficiorum effectibus, verùm etiam ipsis hominum adspectibus Confessorem adparuisse* Felicem, *cùm à Barbaris Nola oppugnaretur, audivimus non incertis rumoribus, sed testibus certis.* Sed si Bellarminus sequentia Augustini verba vel legisset, vel accuratius ponderasset, ab hujus testimonii adductione forsitan abstinuisset. Ita autem pergit ibi Doctor augustissimus: „*Verùm ista Divinitùs exhibentur*, longè aliter, quàm sese habet usitatus ordo, singulis „creaturarum generibus attributus. Non enim, quia in Vinum aqua, cùm voluit „Dominus, repentè est conversa, ideò non debemus, quid aqua valeat in proprio „Elementorum ordine ab istius Divini operis raritate vel singularitate potius discer„nere. Nec quoniam Lazarus resurrexit, ideò mortuus omnis, quando vult, surgit, aut eo modo exanimis à vivente, quomodo dormiens à vigilante excitatur. Alii „itaque sunt humanarum rerum limites, alia Divinarum Virtutem signa. Alia sunt, „quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt; quamvis & naturæ DEus adsit, ut sit, & „miraculis natura non desit. Non igitur ideò putandum est, vivorum rebus quosli„bet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adjuvandis Martyres adsunt

lib. 7. de Bapt. c. Donat. cap. 1. de curâ pro mort. c. 16.

„ adsunt, sed ideò potius intelligendum est, quod per Potentiam Divinam Martyres „ vivorum rebus interfunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus „ interesse non possunt. *Et insigniter laudanda est sancti Patris modestia, quam circa hujus „ Quæstionis enucleationem adhibuit*: Quanquam ista Quæstio meæ intelligentiæ vires „ vincat, quemadmodum videlicet opitulentur Martyres piis, quos per eos certum „ est adjuvari, utrum ipsi per seipsos adsint uno tempore tam diversis in locis & tantâ „ inter se longinquitate discretis, sive ubi sunt eorum Memoriæ, sive præter suas memo- „ rias ubicunque sentiantur adesse; an ipsis in loco Meritis suis congruo ab omni morta- „ lium conversatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentiâ supplican- „ tum, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præsentamur, nec ubi sint, vel „ quid agant, scimus, DEus omnipotens, qui est ubique præsens, nec concretus nobis, „ nec remotus à nobis, exaudiens Martyrum preces, per Angelica Ministeria usque- „ quaque diffusa præbeat hominibus ista Solatia, quibus in Vitæ hujus miseriâ judicat „ esse præbenda, & suorum Martyrum merita, ubi vult, quando vult, quomodo vult, „ maximeque per eorum Memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad ædifican- „ dam Christo fidem, pro cujus illi confessione sunt passi, mirabili atque ineffabili „ potestate ac bonitate commendet? Res hæc altior est, quàm ut à me possit attingi, „ & abstrusior, quàm ut à me valeat perscrutari, & ideò, quid horum duorum sit, an ve- „ rò fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam Martyrum præsentiam, „ aliquando per Angelos personam Martyrum suscipientes, definire non audeo, mal- „ lem à scientibus ista perquirere. Non subjungo, quæ in his Augustini verbis præci- puam merentur observationem, ne nimis judicio Lectoris videar diffidere, qui facili operâ ex eis poterit eruere, quæ contra Bellarminum hic inservire videbuntur.

Restat jam *quinta* Propositio excutienda, quæ ipsum Quæstionis controversiæ caput attingit: *Sancti sive Angeli sive homines piè ac utiliter à viventibus invocantur.* Confirmare eam laborat Bellarminus prolixissimè, adductis in medium testimoniis Scripturæ, Conciliorum, Patrum Græcorum & Latinorum, Miraculis etiam variis non unius generis & speciei. Nobis iterùm Augustinus tantum est respiciendus, & videndum, an Sanctus Pater Doctorque augustus in hoc etiam puncto noster sit? Et quidem ad hujus suæ Propositionis demonstrationem in acie locat sequentia ex libro Jobi verba: *Voca, si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Addit, *Augustinum nomine Sanctorum intelligere Angelos*, ad Ejus Annotationes in hunc librum provocans, de quibus in antecessum, quid ipse Doctor augustus in suis Retractationibus scripserit, non planè nullius operæ erit pretium observare. Ita autem de iis Sanctus Pater: *Liber, cujus est titulus, Annotationes in Iobum, utrum meus sit habendus, an potius eorum, qui eas sicut potuerunt, vel voluerunt, redigere in unum corpus descriptas de frontibus Codicis, non facilè dixerim; suaves enim paucissimis intelligentibus sunt, qui tamen necesse est offendantur, multa non intelligentes, quia nec ipsa verba, quæ exponuntur, ita descripta sunt multis in locis, ut adpareat, quid exponatur.* Deindè *brevitatem sententiarum tanta secuta est obscuritas, ut eam Lector vix ferre possit, quem necesse est plurima non intellecta transire.* Postremò *tam mendosam comperi opus ipsum in Codicibus nostris, ut emendare non possem, nec editum à me dici vellem, nisi quia scio Fratres id habere, quorum studio non potuit denegari.* In ipso Annotationum libro, ut hodie extat, sequentia ad laudatum pro Sanctorum invocatione testimonium ibi leguntur: *Invoca, si quis tibi respondeat; Illis enim respondetur, qui mundi sunt coram Deo. Etenim stultum perimit ira*, id est, *indignatio, quâ quisque angitur, tanquam iniquè sibi aliquid acciderit, dum non cogitat, usque adeò se immundum esse coram DEO, ut invocanti non Angeli respondere, aut se demonstrare dignati sint. Qui enim hoc non cogitat, stultus est, & irâ irrationabili interimitur; aut idcircò Angelos non audire, non videre potest stultus, quia interemtus est irâ & à zelo occisus.* Possent hæc videri non planè nihil ad Angeloduliam conferre, si esse possemus indubii, Augustinum ea agnovisse pro suis, aut si agnoverit, ad suam, & non potius Eliphazi mentem scripsisse, volentem scilicet explicare Sententiam verborum ejus, quibus Jobo impatientis animi indignitatem objecit, undè tamen, an invocatio Sanctorum vel hominum vel Angelorum per justam consequentiæ vim possit deduci, ex aliis & recentioribus quidem inter ipsos Romanenses Interpretibus adeò perspicuum non est. *Esthius* certè, qui hæreticos quosdam istis verbis ad impugnandam sanctorum invocationem, *quasi ignorent preces nostras*, imperitè nimis, uti

cap. V. lib. II. cap. 13.

uti scribit, hanc tamen eorum ex Ebræo exhibet paraphrasin: *Convertere ad Sanctos, an aliquem reperias, qui tibi sit similis*, id est, *circumspice, an aliquis Sanctus & Justus ita à DEO flagelletur, sicut Tu; & cùm neminem inveneris, intellige ex his plagis, Te non esse justum. Certè manifestissimum est ex præcedentibus & sequentibus, Eliphazum disputando obtinere nihil aliud voluisse, quàm Iobum propeccatis suis à Deo flagellari, ac si dicat: Cùm homo comparatione Dei non possit justificari, & in Angelis suis repererit pravitatem, i nunc & disputa cum Deo, quando nec ad aliquem Angelorum meritò audeas pro hâc tuâ Sententia vultum attollere, cùm & ipsimet inventi sint instabiles quoad naturam suam.* **Sanctius** agnoscit, in varias Explicationes patere hunc locum, & adeò explicari variè, ut nemo ferè sit ex recentioribus, qui cum alio sentiat; post aliquot earum recensionem addens, *constitutum se non habere, quam magis probet Sententiam*, in eo tamen Esthio contrarius, quod non scribat, hæreticos contra Romano-Catholicos, sed hos contra illos Invocationem Sanctorum negantes testimonium hoc advocare, laudatis Bellarmini verbis, *magnum ex hoc loco firmamentum sumere eorum Sententiam, non quidem ab authore Eliphazo, qui Scriptor Canonicus non sit, sed quia hæc verba indicent consuetudinem Sanctorum patrocinia invocandi*; contra quæ tamen, quid excipi aut instantiæ loco possit reponi, dum sine dubio ipse Sanctius non nescivit, ideò hanc Sententiam noluit esse suam, malens in dubio hærere, quam apertè suo contribuli contra-dicere aut scribere. *Boulducus* nullâ planè Bellarminianæ Explicationis factâ mentione, ita de his Eliphazi verbis scribit: *Infert vel per modum conclusionis, quam per particulam* ERGÒ *exprimit Interpres, vel per modum exhortationis, ut vult Textus, Iobum esse velut unum ex insipientibus, præsertim ob suum lamentandi modum, quem tanquam novum, nec prius auditum, nec usurpatum ab ullo Sanctorum reprehendit*, q.d. *Quamvis diligenti perscrutatione tam vivorum, quàm mortuorum fidelium monumenta revolvas, prorsus nullum invenies, nec unum mihi nominare poteris, qui unquam, sicut tu, lamentatus sit, aut hujuscemodi verbis impatientiâ plenis usus.* Et post aliqua: *Nullum ex omnibus Sanctis ac Deum timentibus mihi nominare poteris, qui tibi in hoc adsimiletur.* Et iterùm post quædam: *Investiga diligenter, si ullus unquam Sanctorum tibi in hoc adsimiletur. Talis lamentandi modus infidelium potius est & eorum, qui ignorant Deum, quàm eorum, qui Eum agnoscunt & colunt; & quæ cum tantâ excandescentiâ protulisti verba, sanctum & pium Virum omninò dedecent.* Adhuc semel: *Contemplare, & mente omnium Sanctorum actus sermonesque revolve, & videbis, nullum eorum tibi respondere aut adsimilari.* Addit tandem, *hunc esse sensum hujus loci, ostendunt sequentia immediatè verba.* Quid autem hæc, quæso, ad Invocationem Sanctorum, quam tamen Bellarminus modis omnibus exinde laboravit exsculpere? Sed & neque sequens testimonium magis ad rem facit, quod Exodus Mosaica præbet, ubi sequentia Mosis ad DEUM verba leguntur: *Recordare Abrahami, Isaaci & Iacobi, servorum tuorum.* cap. 32. Ad quod dum contra Invocationem Sanctorum excipi non nescivit Bellarminus, *ejusmodi verbis non peti auxilium à meritis Sanctorum, sed solùm commemorari pactum, quod Deus cum Patriarchis fecerat de protegendis & adjuvandis eorum posteris*; ideò respondit, *Solutionem hanc non facere satis, cùm alibi & pactum Dei & Justitia Sanctorum simul commemorentur.* In quem finem cùm aliqua Scripturæ dicta laudasset, hic ob vitandam prolixitatem, & quia ad Institutum directè non pertinent, nulli obnoxia Examini, sequentia Augustini verba loco Explicationis commendavit: *Admonemur, cùm merita nostra nos gravant, ne diligamur à Deo, relevari nos apud Eum meritis illorum posse, quos DEus diligit.* Quæst. 149. in Exod. De ipsâ hâc Augustini Sententiâ jam non dico sententiam, cùm hujus loci id non sit; quæro tamen, an per legitimam exindè deduci possit consequentiam, Sanctos, quos à DEO diligi credimus, à nobis invocandos esse. Si id ex his verbis, etiam juxta Augustini sensum, poterit elici, de alio solliciti erimus responso.

Sequuntur jam alia Sancti Patris testimonia numero tria, quibus Invocationem Sanctorum stabilire conatus est Bellarminus, de quibus quam brevissimè & tribus tantùm verbis, quid statuendum sit, indicabimus. Primum hoc est: *Non sic Martyres ad Mensam Domini commemoramus, quem ad modum alios, qui in Pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis, ut orent ipsi pro nobis, ut eorum adhæreamus vestigiis.* Tract. 84. in Joh. Quid de oratione pro defunctis fidelibus ex Augustini & Veteris Ecclesiæ Sententiâ

haberi

haberi debeat, suo suprà loco est indicatum. Nunc illud tantùm meretur observari, augustissimum Doctorem in his verbis nihil omninò de Invocatione Sanctorum Martyrum passiva habere, sed de activâ tantum egisse, eâ nimirum, quâ piè cum pluribus aliis credidit, Sanctos Martyres in Statu Ecclesiæ triumphantis pro viventibus adhuc in Ecclesia militante fidelibus DEUM omnium bonorum largitorem clementissimum invocare, quâ in re Evangelicos Augustino non admodum contrarios esse, anteà non semel est ostensum. Secundi eadem est ratio testimonii, quod ita habet: *Habet Ecclesiastica Disciplina, quod fideles noverunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad Altare DEI, ubi non pro ipsis, pro cæteris autem defunctis oretur; Injuria est enim orare pro Martyre, cujus nos debemus commendari Orationibus.* Serm. 17. de Verb. Apost. De tertio aliter planè est sentiendum, quod pleno contextu ita legitur: *Etiam provisus sepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, bonæ adfectionis humanæ est erga funera suorum; quoniam si non nulla religio est, ut sepeliantur, non potest nulla esse, quando, ubi sepeliantur, attenditur. Sed cùm talia vivorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus adpareat, non video, quæ sint adjumenta mortuorum, nisi ad hoc, ut, dum recolunt, ubi sint posita eorum, quos diligunt corpora, eisdem Sanctis illos tanquam Patronis susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent, quod quidem facere possent, etiamsi talibus locis eos humare non possent.* de curâ pro mort. cap. 4. Plura ibidem in hunc sensum extant, quæ tamen, utpotè à Bellarmino etiam omissa, hic prætermittuntur. Ad quæ, præter id, quod consummatissimus Tridentinæ Synodi Examinator *Chemnitius* ex ipsâ Seculi illius quo Augustinus vixit & docuit, historiâ notanter observavit, illud inprimis dignum est, quod advertatur, Sanctum Patrem hic non tam in sua, quam eorum personâ, non tam ad suam, quam eorum mentem scripsisse, quitum temporis jam nimium Sanctis Martyribus cultum præter S. Scripturæ ductum adtribuere cœperunt, quem quia non omninò tollere potuit, ad minimum, & quantum in viribus fuit, omni modo studuit mitigare & emollire, rigorosissimus aliàs & alibi cultûs soli DEO debiti, ad quem honor Invocationis præsertim pertinet, contra quamvis indebitam Hagio- & Martyroduliam Vindex & Defensor, cujus aliquot documenta hactenus fuerunt producta, & plura proximè sequentur à corruptelis Bellarmini ex debito liberanda: Nunc, ne responsum ad ultimum ex augusto Doctore testimonium videatur carere fundamento, ipsius verbis id firmabimus: *Multa de cultu Divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimiâ, sive adulatione pestiferâ; ita tamen, ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi, si autem eis multùm additur, & adorandi.* conf. Dallæj de obj. cultus. lib. III. c. 24. p. 490. lib. 10. de Civ. Dei, cap. 4. Addit in Commentariis pro ultimi hujus vocabuli temperamento *Ludovicus Vives*, Papista-Hispanus: *Nam homines etiam in S. Literis adorantur, genere quodam Reverentiæ & cultûs.* Restat nunc, ut porrò etiam videamus, quomodo Bellarminus quintam Propositionem suam de Invocatione Sanctorum tandem quoque conetur demonstrare *per Miracula, quibus sancti sæpissimè demonstrârint, se viventium preces audire, & posse eos ac velle etiam juvare, à quibus invocentur.* Id ut probet, dum ad Augustini quoque provocat authoritatem, quousque ea hic attendi debeat, breviter indicandum est. Verba autem, ad quæ Bellarminus lectorem ducit, hæc sunt: *Etiam nunc fiunt miracula in Christi nomine, sive per Sacramenta Ejus, sive per orationes vel memorias Sanctorum Ejus.* lib. 22. cap. 8. Atqui suprà jam, ubi de Miraculorum gloriâ contra Bellarminum ex hoc ipso Augustini loco prolixissimè fuit actum, laudati modò *Ludovici Vivis* Notatio est commendata, scribentis, *Non esse dubium, quin in hoc capite multa sint addita, velut declarandi gratiâ, ab iis, qui omnia magnorum Authorum scripta spurcis manibus suis contaminabant.* Deindè illud etiam iteratò observari debet, Augustinum ita de his loqui Miraculis, ut ea in longè minori æstimio habenda censuerit, quàm Miracula in S. Literis descripta, id quod verbis sequentibus clarè satis indicavit: *Non eâdem claritate illustrantur, ut tantâ, quantâ illa, gloriâ diffamentur. Canon quippe Sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa ubique facit recitari, & memoriæ cunctorum inhærere; hæc autem, ubicunque fiunt, ibi sciuntur, vix à totâ civitate ipsâ vel quocunque commanentium loco. Nam plerumque ibi etiam pauciissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maximè si magna sit civitas; & quando alibi aliisque narrantur, non tanta authoritas ea commendat, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur.* Inprimis autem observandum est, fallere Bellarminum & semetipsum & Lectores, si per Orationes Sanctorum intelligit passivas, quâ ipsos Martyres Sanctos ab hominibus adhuc vivis, tanquam

adjutores & bonorum impetratores vult invocari, probaturus per hoc Augustini testimonium, *ipsos Martyres Sanctos sæpissimè per Miracula demonstrasse, se viventium preces audire, & posse etiam ac velle eos juvare, à quibus invocentur*; cùm tamen ex proximè sequenti capite luce meridianâ clarius sit, Eum hic quoque, sicut alibi sæpius, de Orationibus Sanctorum activis, quâ illi pro hominibus adhuc vivis DEum, omnium verè Bonorum datorem clementissimum, invocant, egisse. Id ut Lectori sit manifestum, juvat ipsa iterùm, quamvis paulò prolixiora, Augustini verba huc ponere, quibus egregiè suam de fine & scopo miraculorum expressit Sententiam: *Cui, nisi huic Fidei ista attestantur Miracula, in quâ prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in Cœlum adscendisse cum carne? Nam & ipsi Martyres hujus Fidei Martyres, id est, hujus Fidei testes fuerunt, huic Fidei testimonium perhibentes Mundum inimicissimum & crudelissimum pertulerunt, eumque non repugnando, sed moriendo vicerunt. Pro istâ Fide mortui sunt, qui hæc à Domino impetrare possunt, propter cujus nomen occisi sunt. Pro hâc Fide præcessit mira eorum patientia, ut in istis Miraculis tanta eorum potentia sequeretur. Nam si carnis in æternum resurrectio vel non prævenit in Christo, vel non ventura est, sicut prænuntiatur à Christo, vel sicut prænuntiata est à Prophetis, à quibus prænuntiatus est Christus, quare Martyres tanta possunt, qui pro eâ Fide, quâ hæc resurrectio prædicatur, occisi sunt. Sive enim Deus ipse per seipsum miro modo, quo res temporales operatur æternus, sive per suos ista faciat ministros, & eadem ipsa, quæ per ministros facit; sive quædam faciat etiam per Martyrum spiritus, sicut per homines adhuc in corpore constitutos, sive omnia ista per Angelos, quibus invisibiliter, immutabiliter, incomparabiliter* (aliàs incorporaliter) *imperat, operetur, ut quæ per Martyres fieri dicuntur,* NB. *eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, sive alia fiant istis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt, ei profectò attestantur hæc Fidei, in quâ carnis in æternum resurrectio prædicatur.* Possent ex sequenti etiam capite in hunc finem aliqua adjici, nisi ex his jam sufficienter pateret, Augustinum eo in loco, ad quem Bellarminus provocat, agere de Miraculis, quæ fieri credidit per Martyres non ab aliis adorandos vel invocandos, sed Deum pro aliis adorantes & invocantes, quod hic iterùm observasse satis esse potest. Videt hinc etiam Lector, perperam fieri à Bellarmino, dum inter eos Ecclesiæ Doctores Augustinum hic quoque nominavit, de quibus audacter pronuntiat, *quod vel Sanctos doceant invocandos, vel à quibus Sancti sint invocati memorent*, neutro horum ex laudato augustissimi Patris testimonio hactenus firmato; sicut & illud ab Eo præter ullam Veritatis speciem legitur scriptum, Sanctum hunc Doctorem disertè locis paulò ante laudatis docere, *quod in ipso Sacrificio fiat memoria Martyrum & invocentur, ut pro nobis orent*, cùm postremum hoc in nullo eorum, quæ Bellarminus ideò adduxit, expressè legatur, nec etiam per justam consequentiæ vim inde deduci possit.

Et quia hactenus per confirmationem suarum Propositionum ex Augustino Invocationem Sanctorum, videlicet passivam, probare ex debito non potuit Bellarminus, superest tandem nunc est, ut id etiam portò videamus, an prosperiori successu pro eâ militaverit per infirmationem eorum ex Augustino testimoniorum, quæ contra hanc invocationem Sanctorum communiter solent in medium adduci, quamvis pro confirmatione ejus statim sub initium ex Augustino aliquid occurrat, quod prætermittendũ omninò non est. Dum enim ad primum ex sacris testimonium contra Invocationem Sanctorum respondere laborat Bellarminus, nimirum ad notum illud Apostoli Oraculum: *Quomodò invocabunt, in quem non crediderunt?* Rom. 10. Gen. 48. dicens: *nomen invocationis vel Fidei non soli Deo in Scripturis tribui*, dixisse enim Jacobum, *Invocetur nomen meum super Pueros hos, & nomina Patrum meorum*, addit, ex hoc loco Augustinum docere *Invocationem non solum DEI, sed hominum esse*. Possem hic etiam repetere ac meum facere Bellarmini responsum, quo Eum supra, ubi de Petrâ Ecclesiæ fuit actum, contra Augustini explicationem vidimus usum, scribendo, *Augustinum ex solâ Linguæ Ebrææ ignorantiâ esse deceptum.* Verùm ne Sancto huic Patri ac Doctori augustissimo aliquam ignorantiæ labem fine aliis & quidem domesticis testibus videar adfricare, ac in non planè nullum authoritatis detrimentum adspergere, non præter rem erit, si unius & alterius è Papæis Interpretibus super his Jacobi verbis Sententiam audiamus, inter quos *Esthius* non immeritò primum hic occupat locum, utpotè in terminis hanc Bellarmini ex Augustino explicationem rejiciens: *Quidam, ut Oleaster*, & ex Scriptoribus Polemicis *Eccius* & Bellarminus, *hinc statuunt Invocationem Sanctorum. Sed non est necessum huc recurrere. Nam ubicunque per totam Scripturam invocatur DEVS Abrahami, Isaaci & Iacobi, aut proco-*

rum

rum respectu pii homines exaudiri à DEO petunt, ibi & ipsi suo (quodam) modo invocantur, de quo tamen supra ex Augustino jam fuit dictum. *At verò quod hic dicitur,* Invocetur super eos nomen meum &c. *Secundum phrasin Ebraicam sensus est, ut Ephraim & Manasses tanquam ex Iacobo geniti nomine Ejus gaudeant, æquè ac alii Ejus filii.* Et in hunc sensum præter *Marianam Bonfrerius* quoque hæc Jacobi verba intelligit, nullâ Bellarminianæ Explicationis factâ mentione. Quin & qui ante hoc Seculum ex antiquis Græcorum Theologis Catenam sive Explicationem locorum in Pentatevcho subobscuriorum *Coloniæ* cum Facultate & licentiâ Inquisitoris ordinarii publicavit *Franciscus Zephyrius*, Florentinus, hanc verborum Jacobi exhibuit paraphrasin: *De me dicantur exorti, & nomine meo & majorum cognomento gaudeant, perindè ac Ruben & Iudas, aliique.* Inde Augustinus ipse alibi antecedentia Jacobi verba quædam de hisce Nepotibus suis explicaturus, ita Jacobum ad filium Josephum de iis loquentem sistit: *Tui duo filii, qui facti sunt tibi in terrâ Ægypti prius, quàm ad te venirem in Ægyptum, mei sunt; Ephraim & Manasses, tanquam Ruben & Simeon erunt mihi, in nomine fratrum suorum adpellabuntur in Sortibus eorum*, hoc est, *simul hæreditatem capient cum fratribus suis, ut simul vocentur filii Israel.* Clarè hic augustus Pater Jacobi mentem expressit, utut ipsam ex Ebræo Textu locutionem juxta sensum propriè literalem ob Ejus linguæ ignorantiam non intellexit, quod laudati Interpretes ingenuè agnoverunt. Qnæst. in in Genes. lib. I. n. 164.

Nunc ad ea respiciamus loca, quæ contra Sanctorum Invocationem ex Augustini authoritate adferri solita Bellarminum infirmare conatum monui, inter quæ illud Apostoli eminet oraculum, quo *unus Mediator DEI & hominum dicitur IEsus Christus*, undè illud sequi indubium est: *Si solus est mediator Christus, injuriam Ei facit, quicunque per alium accedit ad Deum*, Augustino id agnoscente, dum notanter scripsit: *Si Iohannes diceret, Hæc scripsi vobis, ut non peccetis, & si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem, Ego exoro pro peccatis vestris, sicut Parmenianus loco quodam posuit Episcopum mediatorem inter populum & Deum; quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum, quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur?* Et infrà: *Si esset mediator Paulus, essent utique & cæteri Ejus co Apostoli; at si multi essent mediatores, nec ipsius Pauli constaret ratio, quâ dixerat; unus DEus & unus mediator DEI & hominum.* Bellarminus multa colligit, ut hoc Apostoli oraculum contra Invocationem Sanctorum ex Augustini authoritate infirmet, quamvis exiguo cum successu. Tribus nimirum de causis Christum dici unum & solum Mediatorem scribit, tres etiam addens modos, *quibus mediator unus duos reconciliare possit dissidentes*, ex quorum consideratione ad laudatum Augustini testimonium responderi posse existimat. *Nam quia*, inquit, *Donatistæ putabant, à sacerdote Sacramenti gratiam pendere, ita ut sacerdos bonus baptizans sanctificaret, sacerdos malus baptizans pollueret, & proindè faciebant sacerdotem quodammodo mediatorem redemtionis; ideò Augustinus docet plebem esse securam, sive à bono, sive à malo baptizetur, quia unus est mediator DEI & hominum Christus. Quod autem non neget Augustinus, sacerdotem posse dici mediatorem orando, patet, quia ibidem dicit, Christianos rectè facere, cùm se invicem orationibus commendant.* Et ubi tertiam proposuit causam, cur solus Christus sit mediator inter Deum & homines, ideò nimirum, quia ipse solus nullo mediatore alio indigeat, cùm cæteri inter Sanctos, etsi meditores sint inter Deum & nos, quia Deum precibus suis propitium nobis reddunt, tamen & ipsi indiguerint Deo per Christum Mediatorem reconciliari, & nunc etiam, quidquid nobis impetrent, impetrent à Deo per Christum; addit, *Augustinum quoque secutum esse hanc rationem*, ibidem loci scribentem: *Homines Christiani omnes invicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque est Mediator.* Subjungit porrò Bellarminus: *Patet hinc alia solutio ad argumentum ex Verbis Augustini. Non enim negat, quin sacerdos possit esse Mediator orando pro populo, nisi in eo sensu, quo mediator Dei & hominum dicitur, qui pro omnibus interpellat, & ipse nullo eget, qui pro se interpellet, aut per quem interpellet.* Quia insuper non ignoravit Bellarminus, quid ex ultimis Augustini verbis à semetipso laudatis possit consequenter, quin & Ipse per id ad non planè nullum deduci absurdum, videlicet, eo sensu, quo Christus, etiam Sanctos dici posse Mediatores, utpotè pro aliis orantes, pro quibus tamen nemo intercedit, utpotè jam in æternæ Beatitudinis statu viventibus, adeòq; nullâ amplius oratione & intercessione indigentibus; hinc ulterius respondendo absurda absurdis, incertaq; incertis cumulare hunc inmodum pergit: 1. Tim. 2. lib. II. contra Parm. cap. 8.

Augustinum, cum ait, Christum pro nobis interpellare, velle dicere, Christum esse, quem omnes interpellant ut omnium Mediatorem, sive illi pro se, sive pro aliis orent. Addit, *hoc modo interpellat Christus nunc pro Beato Petro, non quod oret pro Ejus salute, sed quia interpellat pro Salute meâ, quam Petrus etiam postulat; alioquin etiam Angeli mediatores essent eo modo, quo Christus, nam Angeli orant pro omnibus, & nemo pro illis. Sed ideò non sunt mediatores eo modo, quo Christus, quia ipsi egent Christo, per quem impetrant nobis à DEO Beneficia.* Ita sibi Bellarminus fingit hypotheses æquè dubias ac incertas, ac id, quod ex iis demonstrare satagit, infirmare simul ausus, quod Augustinus tanquam extra omnem controversiam positum adfirmavit & confirmavit, videlicet *Christum & solum & verum esse Mediatorem*, utpotè quo ipso Romanensium errorem antequàm natus esset, prædamnavit, plures hoc Elogio mactantium, & Mediatorum numerum, qui tantum singularis esse debebat, per multiplicationem in Arithmeticâ Christologicâ inauditam indebitè augentium. Neque quidquam juvat rem hanc, dum Bellarminus putat, quia Augustinus ipse tanquam rectè factum laudat, *si Christiani se invicem orationibus commendant*, neque Eum negasse, *Sacerdotem posse dici mediatorem orando*; cùm alia longè ratio sit orationis & intercessionis mutuæ, quâ vel Christiani alter alterum, vel Sacerdos auditores suos DEO in precibus commendat, quorum utrumque & in Sacris Literis mandatum & Exemplis non unis commendatum, neutrum verò de Sanctis jam demortuis legitur, ut nimirum eos tanquam mediatores inter nos & Deum invocemus, quos potius hoc Apostoli oraculo, juxta sensum Augustini quoque, ab hoc Elogio excludos scimus, quidquid etiam sit de fictitiâ distinctione inter Mediatorem *redemtionis & intercessionis*, inter Mediatorem quoque *mediatum & immediatum*, item inter mediatorem *ratione officii & naturæ*, cùm si adplicatio earum ad Sanctos jam demortuos facienda sit, id non nisi præter, imò contra Scripturam fiat, eâque rejiciatur facilitate, quâ primùm adsciritur. Quæ præterea Bellarminus pro infirmatione testimonii ex Augustino ad laudandam Mediatoris unitatem commendati excipit de Donatistarum Sententiâ, contra quam ibi Augustinum ad unum Apostolo duce Mediatorem Christum provocasse certum est, scopum non feriunt, neque ratio argumentationis Augustinianæ admittit, imò apertè repugnat, dum expressissimè significetur, Augustinum contra eam Donatistarum Sententiam ibi egisse, *quâ Episcopum dixêre mediatorem inter Deum & populum*, contra quam ex Apostolo unum Mediatorem propriè ita dictum commendans, simul eam quoque mediationis significationem voluit abolitam, quam Sanctis jam demortuis Papæi hodie adscribunt, augustissimo Doctore alibi etiam Angelis, quos hoc in negotio cum Sanctis jam demortuis in eodem ordine collocant, hunc honorem denegante, & pro laudatâ Mediatoris unitate hanc Confessionem edente: *Ad illud non solùm beatum, sed beatificum etiam Bonum non oportere quæri alios Mediatores, per quos arbitremur nobis perventionis gradus esse moliendos.* Accedit, eundem Sanctum Patrem alio in loco hoc notabile inter Sacerdotem Veteris Testamenti typicum, & Sacerdotem Novi antitypum quoad hoc Intercessionis oratoriæ officium observasse discrimen:

lib. 9. de Civ. Dei. cap. 15.

in Psalm. 36. vel 37.

Scriptum est, si peccaverit populus, orabit pro eo Sacerdos; si autem Sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo? Sed illud de illo Sacerdote est scriptum, ut admoneretur populus, in Prophetiâ talem se agnoscere Sacerdotem debere, pro quo nullus posset orare. Quis autem est, pro quo nullus orat, nisi ille, qui pro omnibus interpellat? Quia ergò tunc Sacerdotium erat Leviticum, ubi Sacerdos intrabat in sancta, & offerebat hostias pro populo, habebat autem imaginem, non veritatem futuri cujusdam Sacerdotis; tunc enim & ipsi Sacerdotes erant peccatores, sicut cæteri homines; volens DEus per Prophetam admonere populum, jam talem desiderandum esse Sacerdotem, qui interpellaret pro omnibus, & pro Eo nullus oraret, designans talem admonuit & dixit, si peccaverit populus &c. *Itaque, O populе, talem elige Sacerdotem, pro quo non cogaris orare, sed de cujus oratione pro te securus esse possis. Ipse est Dominus noster IEsus Christus, unus Sacerdos,* unus Mediator DEI & hominum &c. Et quia in primo Ejus testimonio ad laudatum Pauli oraculum paralleli ex Johanne loci de Advocato & Intercessore Christo facta est mentio, non incongruum erit adjicere Ejus observationem, ibi exhibitam, ubi ex professo de eo egit: *Videte ipsum Johannem, servantem humilitatem. Certè Vir justus erat & magnus, qui de pectore Domini Mysteriorum secreta bibebat; Ille qui bibendo de pectore Domini divinitatem ructavit,* In principio erat Verbum &c. *Ille talis vir non dixit, Advocatum habetis apud Patrem, sed, si quis peccaverit, Advocatum habemus, inquit, non dixit, habetis; nec dixit, me habetis, nec dixit, ipsum habetis Christum, sed & Christum posuit, non se, & habemus dixit, non habetis.*

Malui t

Maluit se ponere in numero peccatorum, ut Christum haberet Advocatum, quàm ponere se pro Christo advocatum, & inveniri inter damnandos superbos. Fratres, *IEsum Christum, justum ipsum habemus Advocatum ad Patrem, Ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresin non fecit; hoc qui tenuit, schisma non fecit. Undè enim facta sunt schismata & hæreses? Cùm dicunt homines, nos justi sumus; cùm dicunt homines, nos justificamus immundos, nos justificamus impios, nos petimus, nos impetramus. Iohannes autem quid dixit?* Et si quis peccaverit, Advocatum habemus &c. Quot hic verba & Johannis & Augustini, tot sunt argumenta contra Invocationem Sanctorum tanquam Mediatorum & Intercessorum, cùm uterque, & Apostolus verè Theologus, & augustissimus Hipponensis Ecclesiæ Præsul, nullum hujus Elogii præter singularem numerum agnoscant, idque remotis omnibus Sanctis, sive mortuis, sive vivis, soli Christo in solidum adscribant. Si enim Sancti adhuc vivi illud sibi arrogare sine suspicione arrogantiæ ac humilitatis detrimento non audent, qui tamen ad mutuas pro aliis preces se non ignorant obligatos, id quod Sanctus Pater ibidem Scripturæ testimoniis confirmat; multò minus illud cogitandum est de Sanctis ab omni labe peccati jam liberis, nisi magis tunc superbos dicere velimus, quàm Angelicos Spiritus, in quorum vivunt consortio, de quibus tamen certi sumus, quod honorem hunc neque ambiant, neque admittant, ubi in ipsorum est potestate, hunc sibi indebitum repellere cultum. Patet hinc etiam, illa Augustini ex testimonio priori verba, quibus notanter dixit, *eum esse unum verumque Mediatorem, pro quo nullus, ipse verò pro omnibus interpellat*, non esse limitativa, neque ita deberi intelligi, quasi Christus eâ duntaxat ratione sit & dicatur unus Mediator, quia Ipse pro omnibus interpellat, & nullus pro eo; sed potius *ratiocinativa*, hoc nimirum modo, Christum indè ac ideò solum esse & unicum Mediatorem tum Redemtionis, tum Intercessionis, quia Ipse solus interpellat pro omnibus. Quamvis enim Christiani ex necessitate præcepti sese invicem suis orationibus DEO commendent, & alter pro altero intercedat; non tamen sunt vel dici possunt propriè dicti Mediatores, etiam Intercessionis solùm, cùm hic honor vi plenariæ redemtionis & Meriti undiquaque sufficientis soli & in solidum Christo debeatur, id quod occasione Oraculorum Pauli & Johannis, omni exceptione majorum, Augustinus in locis jam laudatis & alibi non semel tam egregiè confirmavit, ut non nisi plurimarum absurditatum labyrintho se necessum habuerit induere Bellarminus, dum veritati tam manifestæ tenebras offundere tentavit, singularem unici & veri Mediatoris Christi numerum in pluralem præter & contra Scripturæ augustissimique Patris authoritatem in Solis mensâ positam mutare ausus. Addantur ea Sancti Doctoris loca, quibus illud classicum ex ore Christi oraculum explicatur, quo se *Viam Veritatem & vitam* plurimâ cum observatione dixit, & nihil planè ad integritatem rei amplius desiderabitur, ne Augustinus in hoc etiam puncto totus non noster sit.

vid. D. Gerhard. Tom. 8. LC. num. 430. pag. m. 803.

Joh. 14.

Pergamus autem in vindiciis argumentorum contra Invocationem Sanctorum proferri solitorum, quæ Bellarminus infirmare omnibus conatur viribus. Sequitur ergò illud, quod sumitur à denegatâ Sanctis Omniscientiâ speciali & singulari, adeòq; eorum etiam, quæ ab illis petuntur & quorum causa invocantur; ad cujus confirmationem præter clara satis Scripturæ dicta sequens Augustini testimonium præprimis inservire potest, hunc in modum scribentis: *Si rebus viventium interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos, quando eas videmus, adloquerentur in Somnis, ut de aliis taceam, me ipsum pia Mater nullâ nocte desereret, quæ terrâ marique secuta est, ut mecum viveret. Absit enim, ut facta sit vitâ feliciore crudelis, usque adeò, ut quando aliquid angit cor meum, nec tristem filium consoletur, quem dilexit unicè, quem nunquam voluit mœstam videre. Sed profectò, quod sacer Psalmus personat, verum est;* Quoniam Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem adsumsit me. *Si ergò dereliquerunt nos Patres nostri, quomodo nostris rebus & curis intersunt? Si autem parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverunt quid agamus, quidve patiamur? Esaias Propheta dicit*, Tu es Pater noster, quia Abraham nos nescivit, & Israel non cognovit nos. *Si Patriarchæ tanti, quid ergo populum ex his procreatum ageretur, ignoraverunt, quibus Deo credentibus populus ipse de illorum stirpe promissus est; quomodo mortui vivorum rebus atque actibus cognoscendis adjuvandisque miscentur?* Libuit hoc Augustini testimonium aliquantò prolixius, quàm à Bellarmino exhibetur, referre, quia video, recentem quendam & celebrem aliàs Scriptorem, in suis ad Isaiæ oraculum *Notis Philologico-*

de curâ pro mort. c. 13.

Psal. 26. vel 27.

cap. 63.

gico-Theologicis, Augustinum accensere Pontificiis, ut id eludant, objicientibus, *Abrahamum & Israelem illos non novisse Iudæos, qui tempore Esaiæ vixerint, cum iidem tum in Limbo essent constituti; aliam autem esse rationem Sanctorum cum Christo jam in cœlesti Gloriâ existentium.* Opus est, ut credamus, Virum aliàs doctum & in antiquorum Scriptis non planè nihil versatum, hoc Augustini testimonium non eo in loco inspexisse, ubi quam-maximè oportuit, seque à Scriptore partis adversæ seduci passum fuisse. Sed videamus, quid Bellarminus opponat, ne Doctor augustus Evangelicis contra Invocationem Sanctorum tanquam res nostras ignorantium favere videatur. *In genere* quidem quatuor proponit ex diversis Authoribus modos, per quos putat, Sanctos mortalium in hâc vitâ res & actiones cognoscere, primum & ultimum Augustino adtribuens, & quidem ex eodem Libro, unde Eum modò testem contra Sanctorum Omniscientiam & cognitionem satis luculentum vidimus. Primum esse dicit, *quo sancti res mortalium cognoscant ex relatione Angelorum, qui nunc ad Cœlos adscendunt, nunc indè ad nos descendunt.* Ultimùm verò, *Sanctos non videre quidem in Verbo nostras Orationes à principio suæ Beatitudinis, sed tunc solum revelari eis à DEO, quando eas fundimus; sic enim Prophetas DEO revelante futura cognovisse, & multos Sanctorum hic etiam in terrâ illud à DEO habuisse donum, quo cogitationes hominum cognoscerent & facta etiam occultissima, tantoque magis esse credendum, Sanctos in Cœlo pollere hoc dono, & hanc esse apertam Augustini Sententiam.* Potuisset Bellarminus unum adhuc addere modum, quo Sanctos in Cœlo mortalium in terrâ res aliquatenus cognoscere tradidit ibidem Augustinus, *per eos nimirum, qui hinc ad eos moriendo pergunt*, hâc tamen cum limitatione: *Non omnia, sed quæ sinuntur indicari, qui sinuntur etiam ista meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire.* Verùm etsi ambabus, quod ajunt, vel etiam quatuor, si essent, manibus hanc Augustini Sententiam de triplici modo, quo Sancti in Cœlo mortalium in terrâ res cognoscere creduntur, amplecteremur, id quod sine læsâ Fidei analogiâ fieri posset, utut expressâ Scripturæ literâ destituamur; nondum videre tamen licet, quid inde ad probandam Sanctorum Invocationem sequatur. Posito enim, cognoscere Sanctos ex parte res mortalium per eos, qui ex hâc Vita per mortem beatam in Abrahami sinum congregantur, per Angelos item Dei ministros ad homines, sæpiusque hinc inde adscendentes & descendentes, quin & per singularem à DEO revelationem, quo nimirum modo Deus aliquando extra ordinem sanctis hominibus in hâc etiam Vitâ quædam occultissima gratiosè revelavit; quid hæc ad ordinariam cognitionem, & quæ omniscientia verè dici posset & deberet, quâ Sanctos in Cœlo præditos esse oportet, si eos cunctorum mortalium preces & momentaneas orationes audire, nostrasque in specie ex iis necessitates cognoscere credimus. Certè relationes mortuorum pertinent ad jam præterita, auditio autem & exauditio precum requirit cognitionem præsentium. Et si ex Angelorum narratione aliquid cognoscunt Sancti, iis tamen limitibus circumscriptam credere oportet, quibus humanam circumscripsit Augustinus, ad Divinam dispositionem & licentiam referens. Divina Revelatio, quam omninò negare, nescio, an consultum sit, extra tamen ordinaria est, adque communem non trahenda regulam, quæ necessaria esset, si de scientiâ & cognitione Sanctorum à nobis juxta adversæ partis hypotheses religiosè invocandorum certi omninò esse vellemus. *In specie* ad ipsum Augustini testimonium contra Sanctorum in Cœlis cognitionem tria Bellarminus excipit, quibus infirmare illud conatur, ne id dicat & confirmet, cujus rei causâ communiter solet laudari. *Primum* respicit ipsum Isaiæ oraculum, ex quo Pater augustus contra dictam Sanctorum cognitionem argumentatur. Quia enim illud de cognitione propriâ exponit, inquit Bellarminus, ideò responderi potest, *Abrahamum & Israelem & alios Patres Veteris Testamenti non cognovisse posteros suos viventes, quia nondum beati erant, & naturaliter mortui non sciunt, quid viventes agant.* Secundum agit de ipsâ cognitione, quam Augustinus ob hoc ipsum Isaiæ oraculum sanctis in Cœlo denegavit, de quâ Bellarminus itidem censet, *loqui sanctum Doctorem ibi de cognitione & conversatione naturali, hoque solum contendere, mortuos non versari nobiscum, nec esse sollicitos de rebus nostris, nec eas cognoscere, sicut faciebant, cum hic viverent; nam quod supernaturaliter Divinâ revelatione sciant, quæ hic agantur, apertè Ipsum docere*, verbis proximè citatis & ab inconsequentiâ vindicatis, *& quod virtute Divinâ possint etiam huc venire, & nobis opem ferre, Eum docere* ibidem, verbis, quæ paulò ante in gratiam Lectoris prolixissimè fuerunt

de curâ pro mort. cap. 15.

runt exscripta, unde satis patuit superque, quam modestè simul & dubitanter in hoc negotio ex sacris Literis non demonstrabili versatus fuerit Augustinus, nihil audacter definiens vel pronuntians, quod hodie insolenter à Papæis Doctoribus fieri manifestum est. *Tertium* Bellarmini effugium, ad ipsam Augustini Matrem pertinet, de quâ dum Sanctus Pater scribit, quod etsi, quoad viveret, tenerrimè ab Eâ fuerit dilectus, post mortem beatam tamen ab Eâ sit omninò derelictus, Regii Psaltis verba huc spectantia sibi adplicans, indeque confirmans, Sanctos in Cœlis non interesse rebus nostris neque eas cognoscere; Responsi loco excipit, *Sanctos quidem cognoscere preces nostras, & posse, quando volunt, ad nos venire, tamen propterea eos non omnia scire nostra, nec adsiduè nostris interesse rebus more humano, & id exemplo Matris suæ Augustinum probare.* Ad singula paucis aliquid dicendum, & quidem *ad primum*, non sufficere, quod Bellarminus putat, responderi posse, sicut ipsi juxta hypotheses receptas, & quas defendere suscepit, visum est; sed ita responderi debere, sicut mens Prophetæ requirit, & quia de Augustini agitur authoritate, attendendum esse, quem in finem ipse Doctor augustus hoc usus fuerit oraculo videlicet non ut confirmaret Limbum illum fictitium, cui Veteris Testamenti Patres cunctosque illo tempore fideles in verâ & salvifica Fide atque sic beatè mortuos absque sacratum Literarum manuductione includunt Doctores Papæi; sed & ut in genere demonstraret, mortuos vivorum rebus atque actionibus cognoscendis adjuvandisque non misceri, quæ consequentia non valeret, si denegata Abrahamo & Israeli cognitio & notitia de suis in hâc Vitâ nepotibus & posteris ad Veteris solùm Testamenti tempora referri deberet. *Ad secundum* verò, ipsam distinctionem inter cognitionem naturalem & supernaturalem, id est, ordinariam & extraordinariam, quâ Bellarminus apertissimam Augustini Sententiam infirmare conatur, multò magis eam confirmare. Hactenus enim non semel dictum est, id quod extra ordinem fit, ad ordinarium referri non posse vel debere cursum, qui tamen hic quam maximè requiritur, si Invocatio Sanctorum defendenda sit, inutilis planè, nisi indubium sit, sanctos cognoscere res mortalium atque audire preces eorum, à quibus religiosè, vel potius, si verum dicere licet & scribere, irreligiosè invocantur & tanquam intercessores, impetratores & adjutores adorantur. *Ad tertium* denique, si Sancti non perpetuò rebus interfunt nostris, neque omnia cognoscunt, dubium esse ad minimum atque incertum, quod tamen Bellarminus loco hypotheseos nullâ probatione indigentis proponit, Sanctos cognoscere preces nostras, & posse ad nos venire, quando velint; cùm id, ultimum inprimis, non ab Eorum voluntate liberâ, sed à dispositione & dispensatione Divinâ eâque extraordinariâ pendere, Augustinus supra agnoverit & confessus fuerit, nullis tamen aliis è Sacra Scriptura Exemplis id confirmare potens, quàm Mosis & Samuelis, de quibus itidem supra, quid statui debeat, ex occasione fuit indicatum. Verùm sicut Augustinus in vindicato hactenus contra Bellarmini exceptiones testimonio, satis clarè omniscientiam & omnimodam vel ordinariam rerum humanarum cognitionem sanctis, quos Papæi Doctores invocari & adorari volunt tanquam Mediatores & Intercessores, ut & tanquam impetratores bonorum & auxiliatores, denegavit, quod nulli non attento Lectori manifestum est; ita alibi etiam hâc de re suam ita proposuit Sententiam, ut nihil exinde certi liceat pro omniscientiâ Sanctorum concludere, quod argumento esse potest, eam in mente Doctoris sancti non fuisse usque adeò indubiam. Verba Patris augustissimi hæc sunt: *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si piè vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores; sed Illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur, meriti sui nos esse consortes.* Et post aliqua: *Hoc ipsos optimos Angelos & excellentissima DEI ministeria velle credamus, ut unum cum illis colamus DEum, cujus contemplatione beati sunt; neque enim & nos videndo Angelos beati sumus, sed videndo Veritatem, quâ etiam ipsos diligimus Angelos, & his congratulamur. Nec invidemus, quod eò paratiores vel nullis molestiis interpedientibus perfruuntur; sed magis eos diligimus, quoniam & nos tale aliquid sperare à communi Domino jussi sumus. Quare honoramus eos charitate, non servitute; nec eis Templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cùm boni sumus, Templa summi DEI esse noverunt.* Et iterùm post aliqua: *Quisquis Angelorum* (Bellarminus addit, vel hominum) *diligit hunc Deum, certus sum, quod etiam me diligit. Quisquis in Illo manet, & potest humanas preces sentire, in Illo me exaudit. Quisquis ipsum habet Bonum suum, in Ipso me adjuvat, nec mihi ejus participationem potest invidere.* In ultimis hisce verbis etsi Augustinus videri possit Sanctis (vel hominibus, juxta Bellarminum, vel) Angelis aliquam de V. R. lig. c. ult.

aliquam precum humanarum notitiam, quin & adjuvandi potestatem adscripsisse, nemo tamen non etiam videt, dubitanter Eum nihilo-minus loqui, nihilque omninò certi adserere. Bellarmini hæc est observatio, *rectissimè Augustinum scribere.* Addit, *quia multi manent in Deo, qui non possunt humanas audire preces, videlicet illi omnes, qui sunt in charitate, & tamen nondum sunt beati. Nam omnis, qui manet in charitate, in DEO manet; & tamen non omnis, qui manet in charitate, jam est in Cœlo beatus.* Atqui Sanctus Pater ibi loquitur in specie de illis, qui jam sunt in statu æternæ Beatitudinis, quorum aliquibus etiamsi videatur, ut dixi, aliquam precum humanarum notitiam & adjuvandi potestatem adtribuere, id tamen aliâ ratione intelligendum non est, quam quâ alibi extra ordinem per Divinam dispositionem & dispensationem tale quid fieri scripsit. Et notandum est præprimis, id quod Augustinus ante & Presbyteratum & Episcopatum scripsit de Sanctorum notitiâ & potestate adhuc dubitanter, Episcopum post factum, & ætate ac judicio maturiori præditum, ductuque Sacrarum Literarum omninò negasse, ut ex testimonio prolixè vindicato patet.

Ad ultimum nunc ut tandem deveniamus argumentum contra irreligiosam & superstitiosam Invocationem Sanctorum proferri solitum, illud ex Evangelicorum mente ita proponit Bellarminus: *Si invocatio Sanctorum superstitione & Ethnicâ careret imitatione, certè non peteretur ab uno Sancto unum, ab alio aliud; cùm DEus unus sit author omnium Donorum, & iis aquè possit per intercessionem unius, ac per intercessionem alterius quidlibet concedere.* Omisit egregium ex Augustino locum, quo imitatio Ethnica in hoc Puncto manifestè ostenditur, ubi ex Varrone sequentia leguntur: *Vtilem esse Deorum cognitionem, si sciatur, quam quisque DEus vim & facultatem aut potestatem cujusque rei habeat, ex eo enim posse sciri, quem cujusque rei causa Deum advocare atque invocare oporteat, ne faciamus, ut Mimi solent, & optemus à Libero aquam, à Limphis vinum.* Addit Doctor augustus: *Magna sanè utilitas! Quis non huic gratias ageret, si vera monstraret, & si unum Verum Deum, à quo omnia essent Bona, hominibus colendum doceret?* Bellarminus præter id, quod antiquam hanc esse dicit querimoniam, in specie Manichæorum, ad aliquem ex Augustini contra Faustum Manichæum libris provocans locum, ubi tamen nihil de hâc occurrit Quæstione, ad rem ipsam dicit, *Deum posse, si voluerit, per quemlibet Sanctorum omnia concedere, & sine Sanctis etiam multa vel omnia dare; Interdum velle tamen unius intercessione miraculum aliquod operari, aliud verò alterius intercessione.* Et ne hoc ex suo fingere ingenio videatur, addit pro confirmatione hujus sui responsi: *Quis novit consilium Dei, aut quis Ei dicere potest, cur ita facis? Sicut etiam per unum multa Deus operatur miracula, & per alterum fortasse majorem nulla, cujus rei causam solus Ipse novit,* ut Augustinus docet, scribens: *Vbique quidem Deus est, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia. Verùntamen quis potest Ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc fiant Miracula, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi B. Felicis Nolani corpus est conditum, quò volui ut pergerent,* (duo Clerici) *quia nobis inde facilius fideliusq; scribi potest, quidquid in eorum aliquo Divinitus fuerit propalatum. Numquid non & Africa Sanctorum Martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim dicit Apostolus, non omnes sancti dona habent curationum; Ita nec in omnibus Sanctorum Memoriis ista fieri voluit Ille, qui dividit propria unicuique, sicut vult.* Atqui ut de potestate & voluntate DEI, quam utramque Bellarminus hic urget, prolixè non agamus, cùm limitare illam, hanc verò extra revelationis terminos definire humanam transcendat imbecillitatem, ipso juxta Apostoli & Augustini monitum agnoscente Bellarmino, neminem mortalium nosse Domini consilium, vel audere facti rationes ab Eo petere; ea quæ augustus Doctor hic & alibi de miraculis ad memorias Sanctorum in genere, in specie autem ad *Felicis Nolani* sepulchrum factis memorat, non probant Invocationem Sanctorum, sed comprobant & confirmant illius Doctrinæ veritatem, quam hi Martyres sancti constanter fuerunt professi, sanguine etiam & tandem morte eam obsignantes.

lib. 4. de Civ. Dei. cap. 22.

Epist. 137 ad Cler. & Popul. Hippon.

Etsi hæc Tractatio de *cultu Sanctorum* justo prolixior possit videri, nihilque eorum deesse, quæcunque vel ad discussionem, vel ad Vindicias locorum ex Augustino utrinque adductorum pertinere ex Instituto videbantur, prætermittere tamen non possum, quò minus aliqua subjiciam ex *Epitomatore Anatomico* operum Augustini, *Matthia Hauzerio*, Ordinis Franciſci, qui post Bellarminum ad locum inprimis ex libro de *Verâ religione*, classicum, quo Evangelici contra Sanctorum cultum solent uti, ea sibi visus fuit observâsse, contra quæ nemini posthàc liceat mutire, aut quidquam amplius

exci-

excipere. Verba è posteriori Anatomiæ Tomo sunt sequentia : *Si Christus, qui est ipsa Via, Veritas & Vita*, positus est in ruinam & resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicitur, quidni & hic Augustini contextus ? Sed sicut Christus ex se fuit tantùm in Resurrectionem, non autem in ullius ruinam, nisi ex ejus perversitate & malitia; ita neque hæc, nec ulla alia Augustini doctrina. Non enim ullus hinc vel aliundè hausit & concepit spiritum hæreticum, sed eo jam præoccupatus & adflatus, hinc & undecunque sibi comparavit suffragia, & pravitate hæreticâ in suum contorsit favorem. Quamvis enim hic contextus truncatim videatur sonare contra cultum & invocationem Sanctorum & Angelorum, integer tamen & vivus spirat potius & respirat verum cultum & invocationem Sanctorum. *Et postquàm partem verborum Augustini adduxit, quæ contra Bellarminum vindicavimus, hæc porrò subjunxit* : Ubi satis expressâ ad Christianos monitione meritò non sunt colendi homines mortui, vel quia non sunt amplius veri homines, vel quia non sunt colendi *quatenùs mortui*, sed quatenùs apud DEum vivunt vitâ Gratiæ & Gloriæ æternæ, secundùm illud Christi, *DEus non est Deus mortuorum*, sed vivorum, id est, non dicitur specialiter *DEVS Abraham, Isaac & Iacob*, tanquam DEI amicorum, quatenus sunt mortui, sed *quatenùs apud Deum vivunt* in æternum; vel quia non sunt colendi *secundùm corpora mortua*, subjectione quâdam animi ad illa, cùm homines vivi eorumque animi sint illis præstantiores; vel denique quia loquitur tantum hic de religione, cultu, adoratione & servitute *antonomasticè*, pro suo principali significatu. Nec obstat quod *negativa præposita* religioni, cultui, adorationi, servituti videatur non tantùm negare principale, sed totum & omne significatum. Non enim potest negare cultum, adorationem & servitutem naturalem, humanam, civilem, qualis debetur Parentibus, Majoribus &c. Ergò non omnem, sed ad summum, *quatenus pertinent ad religionem*; Ita ut tota difficultas sit, utrum religio *tantùm* significet Virtutem, quâ DEus solus colitur immediatè, an verò etiam *secundariò* illam, quâ coluntur aut honorantur Sancti propter excellentiam supernaturalem in gratia & gloria DEI ? *Vbi etiam ex opere Augustini contra Faustum, & de Civitate Dei loca citavit parallela, per quæ putavit hunc quoque locum posse explicari, addidit porrò:* Ne hic contextus videatur ullis indigere suppetiis, patet, non negari hic omne significatum religionis, sed *principale* tantùm & finale, *primò*, ex titulo & hâc relatione finali totius operis & tandem hujus integri textûs ad principale significatum religionis, *religet ergò nos Religio uni Deo omnipotenti, quia inter mentem nostram & Deum nulla est interposita creatura.* Talis utique & tanta religio non sit nobis cultus Sanctorum, sive hominum, sive Angelorum, quia solus DEus est objectum illud & finis, cui omnes animæ & Angeli immediatè uniri, adhærere & religari debent, non autem sibi invicem, sed eidem coadhærere & colligari. *Deindè*, ex hâc ipsâ Sententia, quæ non negat, *quin possit esse aliquid religionis*, sed non esse cardinem, caput, finem religionis, ac si quis diceret : *Non sit nobis cura de hâc vita, victu & vestitu*, id est, non principalis, non finalis. Quod autem Sancti *non quærant tales honores* &c. vel intelligitur de tali & tanto, vel quod ne quidem quærant sibi ullos honores proprios, sed solius DEI cultum & gloriam, & nostrum in DEI cultu & amore consortium. Unde subdit, *Honorandi sunt ergò propter imitationem, non adorandi propter Religionem*; quæ honoratio non restringitur ad solum honorem imitationis, sed dirigitur & refertur ad finem imitationis & consortii Sanctorum in cultu & amore ejusdem Dei, ut patet *primò* ex illativâ, *Ergò*, & relativâ ad illum finem immediatè præcedentem; *Secundò*, ex particulâ *Propter*, quæ non significat speciem seu modum honoris, sed finem honorationis; *tertiò*, ex honore charitatis, quem expressissimè eis tribuit infrà; *quartò*, ex honore invocationis, intercessionis, exauditionis & adjutorii, quem ipsis etiam tandem defert infrà, quas propè omnes honoris species & fines brevius exprimit ac distinguit in opere *contra* Faustum, sed non opus est hoc supplemento, scribit *Epitomator Anatomicus*, addens porrò : Negari autem ibi Sanctis adorationem *tantùm*, sicut & cultum ac religionem, pro suo *principali* significatu Latriæ seu honoris Divini interioris & exterioris, patet etiam *primò*, ex illâ oppositione cum honore Sanctis utique proportionato, qui sicut & quævis profunda reverentia communi adorationis nomine passim in Sacris etiam Literis & ab Augustino significatur. *Secundò*, ex sequenti vel restrictione, vel fine, vel ratione adorationis negatæ, q. d. *Non adorandi* &c. non quâlibet adoratione, sed principali, vel ex principali virtute religionis, aut propter propriam ejus rationem & finem principalem. *Tertiò*, ex resumtione & explicatione hujus,

hujus adorationis & illius honorationis infrà hisce verbis, *Quare honoramus eos charitate &c.* ubi hoc, *Quare*, refertur immediatè ad idem, ad quod illud, *Ergò*, supra, videlicet, ut unum cum ipsis Angelis bonis Deum colamus. Quem autem suprà dixit honorem Imitationis, vel propter Imitationem, hunc dicit hic Charitatis, vel ex charitate, utique erga sanctos & bonos Angelos reciprocâ, ut sicut illi non quærunt honorem proprium, sed nostrum in colendo ac amando DEO consortium, ita & nos ad eorum imitationem & consortium eundem unicum cum ipsis colamus & amemus Deum, quod est veræ charitatis DEI, simusq; reciprocè proximi, ut infra sæpè apud Augustinum. Quod verò subdit, *non servitute*, idem est ac suprà, *non adorare propter religionem*. Nam adoratio pro principali significato est servitus etiam pro significato *principali*, id est, Latriæ. Dari enim quandam servitutem Duliæ sacram erga proximos toto genere inferiorem Latriæ erga
Gal. 5. DEUM, verbatim exprimit etiam Apostolus, scribens, *servite invicem in charitate*, Gr. δουλεύετε, id est, servite invicem dulia; ubi etiam servire in Charitate convenit hic cum honore ex Charitate. Sed Augustinus vocat potius honorem ex Charitate, quàm servitutem Duliæ etiam, quia vult, animas non debere servitutem Angelis ex naturæ quâdam servili conditione, prout hic infrà & alibi sæpè. *Hæc omnia & adhuc longè plura ibidem Epitomator Anatomicus*, ut vindicatum contra Bellarminum Augustini locum, & quæ ad illius pertinent contextum, Evangelicis eriperet ac significaret, nihil in eo reperiri contrarium cultui Sanctorum, quem in Ecclesia Romanensi non privatum, sed publicũ licet intueri, & in cujus gratiam tot Volumina prostant eorum, qui in hoc etiam capite errores manibus palpandos satagunt defendere. Non exscripsissem autem prolixum hunc Discursum, forsitan non sine aliquo Lectoris fastidio, nisi Veritatis quosdam radios exhiberet, ex mediis errorum tenebris non obscurè micantes, quos observâsse & immixtos errores simul breviter perstrinxisse, non erit planè nullius operæ pretium, nec ab Instituto præsenti abludens. Et quidem *generale* quod attinet responsum, quasi nemo nisi hæretico adflatus spiritu hæc Augustini verba intelligat contra cultum Sanctorum, qualis videlicet Romanensibus plerisque in usu est atque exercitio, condonari debere jus rigor Authori inter errores Idololatricos enutrito; qui sicut ab initio operis in Præfatione ad Lectores significavit, *se proponere sibi Doctrinam & Canones Sacro sancti* (quin etiam omninò sacerrimi) *Concilii Tridentini, in regulam & finem exponendi totam Augustini doctrinam, ad quam toto hoc opere tanquam ad Pharum navigare & collimare* studeat, ita ad finem Vindiciarum hujus ex Augustino testimonii ad mentem suam testatus est, hæreticos, uti vocat, *sistendos & convincendos de licito & salutari cultu honoris ac invocationis Sanctorum & Angelorum beatorum secundùm definitionem Concilii Tridentini & praxin publicam ac in Ecclesia Catholicâ adprobatam*, nullâ Scripturæ vel Augustini factâ mentione, utriusq; videlicet verbis ad Normam tantùm Tridentinam intelligendis & explicandis, vel potius vi etiam adhibitâ extendendis ac detorquendis. In responso *specialim* iræ inveniuntur rationes, ob quas putat cultum hominum mortuorum ab Augustino prohiberi & reprobari. *Primam* hanc esse dicit, *quia non sunt amplius veri homines*. Ut Quæstionem Philosophicam ab Annis non ita multis rigorosè tractatam hic prætermittam, utpotè ab instituto alienam, *an homo mortuus sit verus homo dicendus*; valdè dubito, in mentem hoc venisse Augustino, ubi contra cultum hominum mortuorum scripsit, & num hæc ratio ipsum potuisset movere, quò minus justum putaret, hominibus mortuis aliquem deferre cultum. Certè, si homines mortui non sunt homines veri, sequitur, esse falsos, ad minimam æquivocè sic dictos; quod, ut de homine mortuo absq; lumine Divinæ revelationis considerato nunc non dicam, an de fidelibus & sanctis secundùm potiorem Animæ portionem in æternæ Beatitudinis, etsi nondum omninò consummatæ statu apud Deum viventibus possit verè dici, Anatomici sodalibus & quibusvis aliis considerandum relinquo. *Secundam* rationem quasi ex Augustini mente ponit hanc, mortuos non esse colendos, *quatenùs sunt mortui*, ob verba Christi, quibus Deum dixit *non esse Deum mortuorum, sed vivorum*. Verùm sicuti Christus hoc argumento legitur usus contra Sadducæos, ita non video, quâ ratione id possit adplicari ad præsentem Controversiam, nisi forsitàn hoc argumento: Quorum DEUS est DEUS, illi vivunt, ac per consequens non quatenùs mortui, sed tanquam vivi à vivis sunt colendi & adorandi. An verò hæc consequentia ad hypotheses Augustini in hoc testimonio ritè fluat, & concluso legitima pro cultu Sanctorum indè possit deduci, nescio, an ita sit manifestum. *Tertiam* in dubio est, num quivis Sanctorum cultores sint admissuri, qui dum non integra solùm corpora eorum, quos ob Canonisationem Romanam colunt tanquam Sanctos, sed &

parti-

particulas quasdam minores, imò lacinias non ratò de Vestimentis ipsorum singulari honore, ex. gr. genibus flexis, manibus in Cœlum sublatis, osculo etiam præbito, & quæ plura Superstitionis Idololatricæ documenta notantur, adficiunt, vix negabunt, *animi etiam subjectione se ad illa ferri*, ac eomet ipso agnoscent hæc seipsis præstantiora. *Quartam* denique Anatomicus Epitomator ipse vidit indigere uberiori demonstratione, ideò eam prolixiorem dare laboravit, quamvis parùm proficiens, & rem ipsam magis involvens, quàm evolvens, quandoque etiam contra seipsum dicens testimonium. Ut brevibus hoc expediatur, ad statum Controversiæ non pertinet, quæ de cultu & honore Parentibus & aliis Majoribus debito habet, quem neque Augustinus vocavit in dubium, nec Evangelici, quod constat & manifestum est. Agnoscimus nimirùm & urgemus quàm maximè, Augustinum hic disputare contra cultum Sanctorum, *quatenus pertinet ad religionem*, quam ubi videmus distingui inter primariam & *secundariam*, non possumus aliter, quin dicamus, esse illud non solùm contra Scripturam, sed & contra Augustini mentem, iis etiam verbis expressam, quæ iteratò hic legi digna sunt: *Religet nos Religioni Deo omnipotenti, quia inter mentem nostram & Deum nulla est interposita creatura.* Hæc dum ex Augustini Sententia sunt & manent certa atque indubia, nullus superest locus huic limitationi, per quam *videtur aliquid esse Religionis*, quod præter DEUM hominibus etiam atque Angelis possit adtribui. Impertinens iterùm est allegatio verborum Christi *contra Vitæ, victûs & vestitus curam*, nisi quatenus Evangelici ea sibi ita possunt adplicare ac dicere, quod, quemadmodum Scriptura utriusque Testamenti sufficienter alibi expressit, quousque nominis cura in temporalibus se extendat, ita Augustinus in hoc eodem testimonio satis clarè significarit, quo honore adficiendi sint Sancti, excluso tamen omni *cultu religioso*. Cætera, quæ subsequuntur, sine ullâ difficultate possunt debitis expediri responsis, modò mens Augustini ritè attendatur partim ex modò dictis, partim ex iis, quæ contra Bellarminum ad hoc idem testimonium sunt observata, ne semper eâdem cogamur oberrare chordâ, ac nimiâ Lectoris patientia in prolixiori frivolarum objectionum Examine contra decorum & cum fastidio abuti.

LIBRI SECVNDI
DE
ECCLESIA TRIUMPHANTE,
CAPVT PRIMUM & seqq.
DE
Reliquiis Sanctorum.

UT quæ Evangelicorum circa hanc Quæstionem sit Sententia, ab initio fiat perspectum, eòque sit opera facilior vel vindicandi, vel explicandi, âque impertinentibus Bellarmini citationibus liberandi loca Augustini instituto huic aliquatenus inservientia, placet in antecessum audire ipsius augustissimi Doctoris de hoc argumento confessionem, verbis sequentibus expressam: *Non contemnenda sunt & abjicienda defunctorum corpora, maximèque justorum ac fidelium, quibus tanquam Organis & Vasis ad omnia Bona opera Sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna Vestis & Annulus, ac si quid hujusmodi, tanto charius est posteris, quantò erga parentes major extitit adfectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multò familiarius atque conjunctius, quàm quælibet indumenta gestamus, hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam hominis naturam pertinent. Vndè & antiquorum Iustorum funera officiosâ pietate curata sunt, Exequiæ celebratæ, & sepultura provisa; ipsique, dum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis corporibus suis mandaverunt filiis.* Id ubi aliquibus ex Sacrâ Scripturâ exemplis probatum fecit, hæc porrò subjunxit: *Istæ authoritates non hoc admonent, quod ullus insit cadaveribus sensus, sed ad DEI providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter Fidem resurrectionis adstruendam. Vbi & illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro Eleemosynis, quas viventibus & sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiæque persolvitur.* Evangelicorum mentem de hâc Quæstione Sanctus Pater expressit, cujus verba pleraque hic laudata *Gratia-*

lib. I. de Civ. Dei, cap. 13.

nus etiam Juri Canonico inseruit. Hanc si attendamus, erit manifestum, non parvam inferri Evangelicis injuriam, si Sanctorum & reliquiarum ab eis vel corporum contemtoribus accenseantur, qui inter hos ex unâ, & alterâ parte nimios earum vel eorum cultores mediâ quasi & regiâ incedentes viâ, abusum hactenus, id est, si vero nomine rem velimus describere, ipsam Lipsano- & Sceleto-latriam & duliam, ad debitum soli DEO honorem defendendum, Scripturâ & ipsâ Antiquitate orthodoxâ, exque eâ Augustino etiam duce, ex debito reprehendêrunt, sequemet ab hujus culpandæ Superstitionis crimine præservârunt, ne videlicet inveniantur in eorum numero, quos suo jam tempore Augustinus dixit *Sepulchrorum adoratores*, vel etiam turpiter seduci se patiantur, per glorioſos reliquiarum jactatores, cujus generis Institores suo itidem tempore non adeò raros fuisse, idem Sanctus Doctor conquestus est graviter, contra *hypocritas sub Monachorum habitu usquequaque dispersos, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes* agens, de iis testatus, *quod mentem Martyrum, si tamen Martyrum, venditent*; cautiores etiam magis magisque facti, per ea quæ eruditissimus hoc tempore Sorbonista *Launojus* post alios ingenuè, ut solet, orbi Catholico suppeditavit in accuratissimo Tractatu *de curâ Ecclesiæ pro Sanctorum reliquiis*, plurima ibi exhibens notatu dignissima, quibus non observatis facilè simplicioribus per suppositionem reliquiarum spuriam imponi posse, quin Experientiâ constet, nemini ex prudentioribus non indubium est. Quid ad utrumque hoc Augustini testimonium de Sepulchrorum adoratoribus & reliquiarum, quamvis suspectarum, venditoribus respondeat Bellarminus, suo videbimus loco. Nunc ea inter ante, quàm Ejus pro cultu reliquiarum argumenta subjiciantur examini, Centuriatores *Magdeburgici* à gravi accusatione vindicandi sunt. Inter ea enim mendacia, quæ circa hujus Quæstionis tractationem Bellarminus eis impingit, hoc numero & ordine tertium recenset, quod sequentia Augustino adscripserint: *Superstitiosum & magnum multitudinis concursum ad reliquias Stephani in Africam usque factum; dementatis populis quibusdam illusionibus, quæ pro Miraculis sint habitæ*, de quibus ipse monet, *quod si totum illud à Centuriatoribus citatum caput legamus, non inveniri usquam Superstitionis vel illusionis nomen, sed tantam ergà sacras reliquias Pietatem, ut hic Augustini locus videatur esse satis ad omnes nebulas hæreticorum dissipandas.* Addit, *neque solùm hoc esse Magdeburgensium impudens mendacium, sed peccatum etiam in Spiritum Sanctum, quod testatissima Dei miracula vocent illusiones; & præterea manifestam esse insaniam, cùm Augustinum, Virum Sapientissimum, quasi pueriliter ludentem faciant. Nam cùm toto capite Fidem catholicam veris non carere Miraculis probare contendat, nonne prorsus insaniret, secumque ipso & cum fide pugnaret, si Miracula, quibus Fidem probari dicit, ipsemet illusiones adpellaret, & populum, qui illis credit, superstitiosum & dementatum diceret.* Verùm salva res est, Bellarmine! *Magdeburgici* Centuriatores non ita in luto mendacii hærent, ut tibi quidem videtur, prolixaque eos inde extrahendi opera sit necessaria. Nimirum in eâ extra dubium fuerunt opinione, in quâ *Ludovicum Vivem*, Papistam fuisse indicatum fuit supra, in Commentariis ad hoc Augustini opus scribentem, *Non esse dubium, quin multa in hoc capite sint addita velut declarandi gratiâ ab iis, qui omnia magnorum Authorum Scripta spurcis manibus suis contaminabant.* Mentitus igitur sit & *Ludovicus Vives*, illustri Elogio ornatus à *Sixto Senensi*, ejus Ordinis Scriptore, qui ob causas non ignotas odio fatali contra eum ardet; mentitus, inquam, sit, commiserit & ille peccatum in Spiritum Sanctum, manifestè & is insanierit, dum ea in dubium vocat miracula, âque spurcis manibus Augustini opus scribit contaminatum, de quibus tamen Bellarminus existimat, quod testatissima fuerint miracula, quibus Fidem Catholicam non carere Augustinus probare contenderit. Centuriatoribus autem *Magdeburgicis*, dum non improbabilis stetit Sententia, multum Superstitionis pariter & illusionis hic intercessisse, nescio, an jure meritòque imputari possit tam grande mendacium, tam grave piaculum, tanta insuper insania, quâ eos manifestè Bellarminus scribit insanire, existimantes nimirum, neque Augustinum aliter sensurum, si de his ad illustre opus suum adsumentis judicium ferre debuisset, longè illustrius de Miraculis per Scripturam Sacram commendatis, quàm de iis, quæ humanâ solùm authoritate nituntur, censens, id quod supra sufficienter ex hoc ipso demonstratum fuit loco. Non autem hic prætermittendum, quod à Bellarmino est prætermissum, eosdem Centuriatores *Magdeburgicos* ibidem, de hâc Superstitione circa reliquias Sanctorum agentes, in proximè sequentibus ex eodem Augustini opere scripsisse, *celeberrimâ veneratione frequentata fuisse tunc Martyria fœminarum quarundam, quæ Persecutionis*

de morib. Eccles. cap. 34.

de opere Monach. cap. 28.

lib. 22. de Civ. Dei, cap. 8.

Bibl. S. lib. 4 p. m. 334 vid. Casal. in candore Lilii, num. 137.

lib. 1. cap. 26.

tionis tempore semetipsas in flumen quoddam præcipitaverint, sectatores suæ pudicitiæ effugiendo, de quibus ipse Sanctus Doctor dubitaverit, an rectè hoc factum sit, an secus? Non planè nullius operæ fuisset pretium, si Bellarminus suum interposuisset judicium, indicans, quid de eorum reliquiis à superstitioso & simplici populo cultis statuendum sit, de quorum Martyrio manifestissimæ sunt dubitandi causæ, an verè & propriè Martyres Christi sint & dici debeant? Sed cortex fuit dentibus Bellarmini durior, malens nucleum relinquere, quàm illis aliquod inferre damnum; Evangelicis indè etiam confirmatis, plurima in reliquiarum cultu occurrere, quæ rem hanc non parùm facere queunt suspectam. Verùm, ut adhuc semel de *Magdeburgicis* Centuriatoribus mentionem in gratiam Veritatis porrò inquirendæ facimus, sit ita, alienam mentem adscripserint Augustino contendêti juxta Bellarminum probare, Fidem Catholicam veris non carere Miraculis, & miracula ad memoriam Stephani Martyris facta ad eorum numerum referenti, de quibus tamen *Ludovicus Vives* nos dubios fecit; an probabitur indè, Sanctos ideò invocandos, ac corpora Eorum singulari cultu veneranda esse, quem eis hodie à Papæis attribui videmus? Id certè Augustinus non dixit, neque salvis hypothesibus suis dicere aut scribere potuit, quidquid etiam Bellarmino videatur. De cætero sicut Augustinus corpora sanctè & in verâ Fide ex hoc Seculo decedentium debito honore privari noluit, ita nec Evangelici tam omnis Christianæ honestatis hostes sunt, ut injuriâ vel ignominiâ adficiendas censeant reliquias eorum, quos in Vitâ non solùm DEO constanter serviisse, sed post mortem quoque DEO gratos, ac ejusdem Gratiæ propioris participes esse non dubitant. Atque hinc, quidquid Bellarminus præter Scripturæ dicta, Conciliorum decreta, aliorum quoque Patrum & Ecclesiæ Doctorum testimonia, ex Augustino etiam ad probandam Lipsano- & Sceleto-latriam & duliam adducit, nobis nullo planè modo adversatur. Nullâ nimirum rigidiori censurâ dignum putamus, quod Augustinus quondam ad CoEpiscopum quendam suum de honestis duabus Matronis, Matre viduâ & Filiâ virgine scripsit: *Portant secum reliquias Beatissimi & glorioſissimi Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quàm convenienter honorare debeatis.* Epist. 103. ad Quint. Ostendantur nobis hodienùm hujus Sancti Martyris, vel alterius Sancti cujusdam reliquiæ, sed indubitatæ & minus suspectæ, quin convenienti honore juxta Augustini monitum simus excepturi, nemo dubitet. Cur enim id non faceremus reliquiis & corporibus Sanctorum, tot Gratiis à DEO totque Miraculis è Cœlo illustratorum; cùm eorum etiam corporibus debitum non denegemus, qui utut multùm impares Sanctitate, nobis tamen vel Sanguinis vel Amicitiæ, vel ejusdem Fidei Confessionis vinculo propius & ante alios conjuncti fuerunt; *ejusdem*, inquam, *Fidei.* Quid enim de Sepulturâ & honore eorum, qui extra Ecclesiæ gremium moriuntur, inprimis juxta rigorem zelotarum inter Romanenses sit statuendum, præter alios *Spondanus*, Appamiarum Galliæ Narbonensis Episcopus, prolixo de *Cæmeteriis Sacris* opere ostendit.

Et ut in Augustini testimoniorum evolutione pro reliquiarum cultu pergamus, prætermisso, quod de miraculis ad reliquias Stephani factis ex opere de Civitate DEI modò observavimus, admittamus & quâ sumus facilitate præditi, verum esse credamus, quod de S. *Vincentio* in secundô Sermone de Eo sub Augustini nomine legi commendat Bellarminus, *corpus nimirum Ejus expositum feris à corvo mirabiliter defensum, & projectum in aquas mergi non potuisse*; neque vocemus in dubium, quod alibi idem Sanctus Doctor de corporibus Gervasii & Protasii memorat, *quod videlicet incorrupta per Annos plures à Deo fuerint conservata, ut suo tempore propalarentur*, & quæ alia huc pertinere videntur. lib. 9. Confess. cap. 7. Quin & insuper nec omnimodè improbemus antiquorum ab Augustino alicubi insinuatum & à Bellarmino ob id ipsum tanto opere commendatum morem, *Reliquias Martyrum sub Altaribus recondendi* & sepeliendi, quem tamen multum adjumenti tulisse ad insecutum posteà indebitum earum cultum & honorem credere fas est; Serm. II. de Sanct. addo, id quod Bellarmino non observatum, laudatus modò *Cæmeteriorum Sacrorum* descriptor cum pluribus aliis ex Augustino advertit, & in gratiam Lectoris descripsit: lib. I. Part. II. cap. 7. pag. 195. *non-nullos mortuorum vel in somnis, vel alio quocunque modo adparuisse viventibus, atque, ubi eorum corpora jacerent inhumata, nescientibus, locisque monstratis admonuisse, ut sibi Sepultura, quæ defuerat, præberetur*, Augustino hanc ex mente suâ censuram adscribente: *Hæc si falsa esse responderimus, contra quorundam Scripta fidelium, & contra eorum sensus, qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur*; & insuper addente, *fieri hæc, non quod ista mortui sentiant, sed Angelicis operationibus, sive permittatur desuper,* de curâ pro mort. c. 10.

sive jubeatur, idque vel ad solatium vivorum, quibus adparent mortuorum imagines, vel ut his admonitionibus generi humano sepulturæ commendetur humanitas. Sint, inquam, hæc vera àque Augustino agnita & commendata, quanquam fortè non desint, quæ circa hæc & talia, præprimis circa morem reliquias Martyrum sub Altaribus recondendi & sepeliendi, possint animadverti, si hoc jam primariò ageretur; at nullas exindè licet observare pro cultu & invocatione Sanctorum vel reliquiarum ab eis consequentiarum rationes, quas dum exsculpere laboravit Bellarminus, aliâ usum se, quàm quæ hactenus communiter obtinuit, Dialecticâ & disputandi methodo ostendit, eâ nimirum, quâ aliquid non quidem secundum Dialecticorum, sed tamen secundum prudentiæ regulas sequi, de Igne Purgatorio agens supra scripsit, absurdissimus & simul imprudentissimus disputandi artifex, ea à se invicem separans, quæ quam-maximè esse deberent conjuncta, imò conjunctissima.

vid. Dallæj. de objecto cultûs, lib. 4. cap. 10. pag. 652. seqq.

Missis igitur hisce, quæ nihil ad rem facere videntur, ea nunc videamus, quibus objecta ex Augustino *contra Sepulchrorum adoratores & reliquiarum venditores* loca diluere conatur Bellarminus, ad priorem ita scribens: *Dico, Eum vocare Sepulchrorum adoratores quosdam, qui, ut Ipse putabat, Sacrificium Panis & Vini aliarumque epularum Manibus defunctorum obferebant, & deindè iisdem cibis & Vino se ingurgitabant & inebriabant.* Post aliqua Augustini verba addit: *Sed hæc scripsit initio Conversionis suæ. Postmodum verò reprehendit quidem illam consuetudinem, sed non tanquam Idololatriam. Nam alibi dicit, Matrem suam consuevisse ex pietate id facere, sed Mediolani ab Ambrosii Clericis fuisse prohibitam; Ambrosius enim prohibuerat istam consuetudinem, ne daretur occasio ebrietati, & quia videbatur adfinis superstitioni gentilium, licet integro id à Christianis fieret animo. Idem etiam dicit Augustinus, meliores Christianos id non facere; eos autem, qui id faciant, non sacrificare defunctis Martyribus, sed ponere super tumulos Sanctorum epulas, ut à DEO per Martyrum merita sanctificentur.* Pergit: *Quod autem Augustinus non putaverit malum, venerari sepulchra Sanctorum, indè patet, quod alibi scripsit:* Videtis Imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum Petri piscatoris Diademate submisso supplicare. *Et nota, Augustinum hæc scribere idololatris, ut ostenderet, Idolorum cultum à Christianis destructum: Prætereà Augustinus, cùm reprehendit adoratores Sepulchrorum, certè non reprehendit Chrysostomum & Hieronymum, sed turbas imperitorum. Atqui Chrysostomus dicit,* Tumulos Martyrum adoremus: *Et Hieronymus ad Marcellam, ut migret Bethlehemum, scribit, Sepulchra & cineres Johannis Baptistæ, Elisæi & Abdiæ meritò adorari à fidelibus in Palæstinâ.* Ad posteriorem Augustini locum de reliquiarum venditoribus dicit Bellarminus, *non mirum, si Augustinus dubitaverit de reliquiis, quas privati quidam homines circumtulerint; hic autem de iis agi reliquiis, quæ in Templis publicè conserventur.* Ad singula breviter erit respondendum. Et quidem quod attinet priorem Augustini locum, is ita pleno textu habet: *Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsâ religione verâ sunt superstitiosi, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint, quid promiserint Deo. Novi, multos esse Sepulchrorum & picturarum adoratores; novi, multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes seipsos super sepultos sepeliant, & voracitates suas ebrietatesque deputent religioni.* Patet exindè, Bellarminum non sine insigni fraudulentiæ documento ad pervertendam Augustini mentem non ita adeòque obscuram, ea in Ejus verbis in unum compingere, deque unâ re dicta velle intelligi, quæ ipse Doctor augustissimus expresè per particulam disjunctivam *vel* voluit separata, alios perstringens tanquam *superstitiosos sepulchrorum adoratores*, alios verò tanquam luxuriosos & inde etiam libidinosos epularum ad Sepulchra Martyrum sectatores, utrosque tanquam Christianismi scandala omninò fugiendos. Hoc si observetur, per se cadunt ea, quæ Bellarminus partim ex libris Confessionum, partim ex scripto de Civitate Dei citavit, utpotè ad præsens Institutum impertinentia; quin & ita insuper comparata, ut potius contra Bellarminum, quam pro Eo possint inservire. Addo, etiamsi id, quod idem Bellarminus excipit, ad priorem quoque hujus Testimonii partem contra Sepulchrorum adoratores posset trahi, *scripsisse Eum hæc initio Conversionis suæ*; nihil tamen id oberit, nisi demonstretur, Eum id postmodum alibi retractasse suamque superêâte mutasse Sententiam. Illud autem de *supplicationibus Imperatorum* non amplius gentilium, sed Christianorum *ad sepulchrum Petri*, cui simile quid ex Epistolâ sequente Bellarminum, sed fide subtestâ laudasse paulò ante notavimus, nihil aliud significat, quàm Imperatores Christianos Divino cultui vacasse ad sepulchrum Petri, non verò

lib. 6 Confess. c. 2.

lib. 8. de Civ. Dei, cap. 27.

Epist. 42. ad Madaur.

Serm. in SS. Invent. & Max.

Petrum

Petrum, sed ipsum invocasse Deum. Et quamvis Instituti ratio non patiatur, *Chrysostomi & Hieronymi* dicta vel scripta vindicare, nobis de Augustini hic authoritate solùm sollicitis; quia tamen Bellarminus utrumque Augustino juxta Evangelicorum Sententiam opponere videtur, consensus Eorum breviter vindicari debet. Et quidem quoad *Chrysostomi* verba à Bellarmino laudata, ostendit è Textu Græco *Chamierus*, ea nullum planè locum ibi habere, sed alium longè sensum exhibere. Hinc & Interpres Latinus loco verbi *adoremus*, habet verbum *adornemus*, quamvis ne sic quidem aurei Doctoris mentem accuratè expresserit. Ad *Hieronymi* monitum, quod nomine *Paulæ & Eustochii* ad Marcellam, Nobilem Romanam scripsit, ad Bethlehemiticum vocans & invitans consortium, illud observasse sufficiat, quod de adorationis ritu ex alio Hieronymi loco adnotavit *Ludovicus de la Cerda*, ex Cassiodoro etiam, illustri suo tempore inter Romanos Scriptore, explicans, quid sit *adorare purpuram Imperatoris*; cùm inde manifestum sit, ritum adorationis non semper ipsum invocationis cultum post se traxisse, sed pro externo quodam honoris documento habitum fuisse, cultum soli Deo debitum nihil quidquam imminuente vel immutante. De cætero, ut ad Augustinum in hâc Quæstione adhuc semel redeam, qui metus ipsum ob reliquias Martyrum non omninò indubias tenuit ancipitem, hodienùm quosvis de veritate rei sollicitos facere potest & debet cautiores, ne quasvis Sanctorum reliquias, etiam *quæ in Templis adservantur*, pro indubitatis agnoscant, cùm non unius modi ratione utplurimum videantur suspectæ, fraude piâ, vel potius impiâ hic & ibi obviâ, de quâ alii alibi amplissimè. Et si, quod insuper addendum, de singulis & omnibus Sanctorum reliquiis, quæ hodie ubivis, ubi simplex Superstitio & superstitiosa simplicitas ex unâ, ex altera autem parte simpliciores seducendi libido cum impiis hisce fraudibus obtinet regnum, non ita parcè, sed magno satis numero ostentantur, liquidò constaret, esse eas verè eorum reliquias, quorum nomina communiter præ se ferunt; nunquam tamen Evangelicis persvadebitur, ut illo eas venerentur cultu, quem eis à Romanensibus vident exhiberi, nullo videlicet mandato ex Sacra Scripturâ instructis, nullo etiam exemplo ad imitationem ductis, quin & nullâ à Deo promissione ad id invitatis, & quod pro Instituti ratione in specie venit notandum, Augustino nullibi suâ authoritate vel testimonio hunc cultum adprobante, sed omni modo potius reprobante & damnante. Placet nunc loco coronidis subjungere, quod ante hæc duo secula *Peraldus*, Ordinis Dominicani Scriptor & Episcopus Lugdunensis, in Virtutum & Vitiorum summâ graviter monuit: *Si vestes, quæ tetigerunt Salvatorem, pro reliquiis habentur; quare Verba, quæ processerunt de ore Ejus, pro reliquiis non habentur? Nullum verborum istorum negligendum esset.* Quibus non multùm dissimilia sub hujus Seculi initium *Lorinus* in suis ad priorem Petri Epistolam Prolegomenis scripsit: *Major habenda ratio sacrorum Petri Scriptorum, quàm quorum tanta est habita*, scilicet, *vinculorum, gladii, quo abscidit Malcho auriculam, ossium, sepulchri.*

Panstr. Tom. II. lib. 19. c. 4. n. 11.

Advers. S. cap. 177. num. 7. & cap. 168. n. 12. conf de Roa. Sing. S. Tom. I. lib. 4. c. 3. p. m. 368.

Tom. I. Part. 5. mox à princ.

Quæ ad locum Augustini de *Sepulchrorum & Picturarum adoratoribus* ex opere de *Moribus Ecclesiæ* observavimus respondere Bellarminum, ea non placere Epitomatori operum Augustini *Matthiæ Hauzerio*, Ordinis Franciscì, patet ex altero *Anatomiæ* Tomo, ubi ad hoc Augustini testimonium observavit sequentia: *Cardinalis Bellarminus videtur fateri*, illum abusum vel fuisse, vel ab Augustino suæ Conversionis initio fuisse tributum Idololatriæ. *Sed nec fuisse* patet, quia hujus nulla apud ullum extat memoria, nec est credibile, Christianos recens conversos ab Idololatria gentilium adhuc vigente tam citò potuisse ad similem declinare; *nec ab Augustino fuisse tributum Idololatriæ*, sed tantùm minori alicui Superstitioni, patet ex frequenti revelatione & commendatione publicæ alicujus venerationis sacrarum reliquiarum & Imaginum, sub titulo etiam adorationis. *Verùm non est opus ab hoc textu refugere ad alios.* Nam fuisset magnæ temeritatis in Augustino, ex adoratione externâ & publicâ condemnare multos Christianos idololatriæ internæ. *Deindè*, si quid talis temeritatis tunc subrepsisset Augustino, retractâsset sine dubio. *Denique* hunc & plures abusus ibidem tribuit tanùm superstitioni cuidam in ipsâ religione verâ. *Itaque respondeo*, inquit, hinc non tantùm non reprobari cultum ac venerationem sacrarum reliquiarum ac Imaginum, sed etiam adprobari plurimùm. Hoc enim ipso, quo improbat abusum illum publicum circa Sepulchra sacra & Imagines, satis adprobat, ex tunc fuisse eorum aliquem usum publicum & religiosum alicujus sal-

tem venerationis, neque hunc usum abolendum vel abolitum fuisse propter abusum illum. *Deindè*, hoc ipso, quo non obstante hoc abusu Augustinus sese ad Catholicam convertit Ecclesiam, eamque ab illo & aliis excusat abusibus, quos & ipsa condemnat, scribit, & corrigere studet; convincit hæreseos omnes, qui sub prætextu similium abusuum sese à Catholica præscindunt Ecclesia, quæ explicatis & adprobatis variis usibus piis sacrarum Reliquiarum ac Imaginum omnes earum abusus tam severè condemnavit & corrigendos decrevit, Sessione post vigesimam quintâ Synodi Tridentinæ. *Porrò* licet esse possint varii sacrorum Sepulchrorum ac Imaginum abusus Idololatria minores, videtur tamen hic per Sepulchrorum & picturarum adoratores significari abusus quidam adorationis seu venerationis ex quâdam potius admiratione & animi intentione ad materiam pretiosam & formas elegantes, quàm ad res sacras contentas aut significatas. *Ita Epitomator Anatomicus*, plura in his Augustini verbis observans, quam Bellarminus, accuratius nimirùm interiora eorum penetrare sibi visus Anatomicorum more, quæ nulli antehàc conspicere fuit concessum, gratulatione hinc debitâ excipiendus meritò, nisi ea etiam se vidisse existimavisset, è somno forsitàn & Insomnio excitatus, quorum nulla planè vestigia ipsemet agnoscceret Augustinus, si redivivo mentem suam explicare concederetur. Ea certè sunt argumenta, quibus partim explodit Bellarmini responsum, partim verò suum, quod ex Ingenii singularis thesauro prodit, nititur confirmare, quæ aliquod Judicii deliquium non obscurè præ se ferunt, brevi Elencho perstringendâ. Nam quæ est consequentia, quæso, abusum negare ideò, quia nullus præter Augustinum Scriptor ejus facit mentionem; quasi verò Augustinus non sufficeret solus? Et quàm brevis fuit memoriæ *Anatomicus*, aut quàm negligens lector responsi à Bellarmino dati, qui contra hunc abusum, & quæ eidem erant adjuncta, ad *Ambrosii* eum reprobantis authoritatem provocavit, ut vidimus. Nec adeò mirum debet videri, Christianos recens conversos ab idololatria gentilium adhuc vigente tam citò potuisse ad similem declinare, cùm quæ vis sit Superstitionis in hominum animis, & indè tanquam ex fonte provenientis Idololatriæ, si nullum aliud exemplum prostaret, sufficere posset Israelitarum ab Ægyptiorum Idololatria liberatorum quidem, sed non ita diu post lapsorum in similem, & certo respectu graviorem. Quæ præterea *de minori* habet *Superstitione*, sibimet ipsi fingit contra mentem Augustini; operæque pretium fecisset, si ex frequenti relatione & commendatione venerationis reliquiarum, *sub titulo præsertim adorationis*, quam adscribit Augustino, unicum modò documentum Lectori Veritatis studioso post Bellarminum exhibuisset, quod dum intermisit, in vanum se id jactâsse ostendit. Dum verò *temeritatis* accusat Augustinum, si ex adoratione externâ condemnasset Christianos *Idololatriæ internæ*, opus erit, ut ejus quoque reum faciat ipsummet Christum, quod impium cogitatu saltem, qui ab externâ Nominis sui negatione ad internam argumentatus est. Quia autem nullius hic temeritatis reus est Augustinus, nulla fuit *retractatio* necessaria. Insuper impertinentissimè ex iisdem Augustini verbis cultum reliquiarum adprobari putat, quasi improbando abusum confirmarit usum, cùm sine ullâ limitatione ipsos *Sepulchrorum & Picturarum adoratores* tanquam idololatras castigaverit Augustinus. De cætero magnum est manetque discrimen inter Ecclesiam verè Catholicam tempore Augustini, & Ecclesiam Papalem tempore reformationis, quæ etsi postmodùm per Patres in Synodo Tridentinâ conscriptos videri voluit corrigere velle abusus idololatricos, *Roma* tamen mansit hodieque *irreformabilis*, de quo vel nupera testantur *Monita* sub Beatæ Virginis *Mariæ* nomine *ad indiscretos cultores Ejus* scripta, Indici Romano proximè inlata. Ultimum *videtur* operâ facili per *non videtur* suo remittitur Authori, Augustino adhuc teste Veritatis Anti-Idololatrico.

CAPVT QVINTUM & seqq.

De

Imaginibus DEI & Sanctorum, eorumque cultu.

AMpliorem nunc ingredimur campum, in quo decurrendum nobis erit itinere aliquantò prolixiori, donec missionem à Bellarmino impetremus, cujus & hic vestigia præsso pede in vindicandâ Augustini authoritate pro Evangelicorum Sententiâ sequi placet, notatâ sub initium aliqua Bellarmini contradictione, qui dum suprà de cultu San-

Sanctorum in genere agens, eum hoc etiam argumento confirmatum voluit, *quod semper Ethnici, Iudæi, hæretici accusaverint Christianos idololatriæ propter cultum sanctorum, eos non accusaturi, nisi vidissent Sanctos à Christianis passim religiosè coli*, citato eam in rem aliquo ex Augustini contra Faustum Manichæum libris loco; ita hic de cultu Imaginum in specie, qui præcipuam ferè & maximam cultûs Sanctorum constituit partem, agens, in recensione Iconomachorum *Sanderi* sententiam rejicit, primum Manichæis locum in eorum ordine & numero tribuentis, alio ex eodem Augustini opere contra Faustum loco in hunc finem citato, in quo Faustus contra Augustinum gloriatur, *à suæ Sectæ hominibus DEum sine simulacris coli*, de quo tamen Bellarminus, an res ita se habeat, vehementer se dubitare scribit, hanc addens rationem: *Faustus enim Manichæus apud Augustinum non loquitur de Imaginibus sanctorum, sed solùm de Imaginibus DEI; undè nec ibi reprehendit Catholicos, quod haberent Imagines, nec Augustinus reprehendit Manichæos, quod Imaginibus carerent.* lib. 20. cap. 3. Nostrum cùm non sit Bellarmini contradictionibus nos vel implicare, vel Eum ab iis explicare, hâc Lectori ad observationem debitam commendatâ, rem ipsam accedimus, in antecessum verò notantes, nobis negotium hic non fore cum illis Quæstionibus controversis, quas Bellarminus in specie contra Judæos recentiores, Scriptores Papæos, *Catharinum* & *Cajetanum*, & Doctores Reformatos prolixè satis tractavit, nisi insertis animadversionibus brevissimis Augustini authoritatem respicientibus, quarum una ad divisionem primi in Decalogo Præcepti pertinet, contra quam sicut Bellarminus non malè ad Augustinum provocat, Præceptum de sculptilibus non faciendis pro parte vel adpendice primi, non pro singulari præcepto habentem, ita vindicare omninò debuit constantem augustissimi Doctoris hac in parte Sententiam, ad eum respondens locum, qui è quodam contra Pelagianos Scripto adduci & authoritate ejus urgeri solet, Sanctum Patrem in Scriptis posterioribus suam mutasse Sententiam, hocque de Sculptilibus præceptum pro distincto & singulari præcepto habuisse, de quo quid statuendum, nuper modò & paulò ante obitum contra *Rivetum* & *Vossium*, celeberrimos Reformatorum Doctores, ostendit *B. Dannhavverus*, Præceptor desideratissimus. Contra opinionem *Catharini*, statuentis, DEum prohibuisse Imagines simpliciter in Decalogo, sed illud præceptum fuisse positivum & temporale, urget quidem Bellarminus inter alia authoritatem Augustini, adfirmantis, *totum exceptâ lege de Sabbatho Decalogum à Christianis servandum*; sed si loca à Bellarmino citata evolvamus, hanc legis de Sabbatho exceptionem observare non licet. Colleg. Decal. pap. 21. Edit. ult. Hinc præter alios Scriptores Papæos non solùm *Menochius* in specie de hâc Lege Sabbathicâ agnovit, *eam in tantum esse moralem seu naturalem, in quantum præcipitur, ut homo subindè tempus aliquod Cultui Divino deputet*; sed & non ita pridem *Hugo de Roy*, Scriptor quidem Politicus, at, quod ex pluribus ostendi potest documentis, Papæus, in genere de Decalogo pronuntiavit, *quidquid in eo continetur & vulgò dicitur morale, necessariò esse de Iure naturali-rationali*; *quoniam nihil in eo contineatur, quod non necessarium sit rationali creaturæ ad suum finem consequendum*; *quapropter ad omnes gentes & per omnia Secula pertinere, quum non singularem horum illorumve hominum conditionem, sed naturam ipsam humanam concernat, ejusque finem tam proximum, quam remotum, nec tantum primariò Bonum internum, verùm etiam externum in necessariam consequentiam*; statuens porrò, *hanc extitisse causam, ob quam ab omnibus hominibus, Ethnicis etiam & gentilibus intelligentioribus quoad substantiam non adprobationem solùm, sed & venerationem extorserit, dum viderent eam à rectâ ratione & ratiocinatione humanâ solidè confirmari*; de Rep. Ebr. lib. III. cap. 1. lib. 1. Tit. 3. num. 8. pag. 45. quæ aliorum censuris exposita relinquo, id tantum observans, quæ hic de Lege Decalogicâ in genere notantur, Authorem sine dubio de Lege Sabbathicâ etiam in specie intellectum voluisse, ad mentem Augustini, cui tamen aliam Bellarminus adscripsit.

Nunc videndum, quid respondeat ad ea augusti Doctoris testimonia, quæ à Calvino contra Imagines laudari scribit, non ut Calvini partes suscipiam defendendas, sed ut responsionum Bellarminiarum adpareat insufficientia. Tria autem sunt loca, quibus Calvinum uti ex Augustino testatur. *Primus* est, ubi Sanctus Pater dicit, *nefas esse Deo simulacra collocare.* Secundus Varronem refert, dicentem, *eos, qui Deorum simulacra induxerunt primi, & timorem demsisse, & errorem auxisse.* de Fide & Symb. cap. 7. Tertius sistit querimoniam Senecæ, dolentis, *inviolabiles Deos in materiâ vilissimâ ac ignobili Deificari.* lib. IV. de Civit. Dei, cap. 31. Ad singula quædam habet Bellarminus, quæ excipiat. Et ad primùm quidem locum dicit, *Sanctum Patrem loqui de Imagine DEI primi generis* vel Ibid. lib. 6. cap. 10.

vel modi, de quo in antecedentibus scripsit, *quod possit aliquid pingi ad exprimendam formæ alicujus & naturæ rei ipsius similitudinem perfectam, quo res solùm corporeæ pinguntur, quæ lineamentis & coloribus sunt præditæ, quâ ratione si quis DEum pingere tentaret, verum is constitueret Idolum.* Ad secundum, *Varronem rectè dicere apud Augustinum, eos, qui simulacra Deorum induxerunt, metum demsisse & errorem auxisse.* Addit, *nam propterea crediderunt quidam, ipsa simulacra esse Deos, & videntes ea nec aliis, nec sibi prodesse vel obesse, cœperunt Deos contemnere. At si non Deos simulacra, sed imagines Deorum esse credidissent, & imagines non proprias, sed analogicas, nec metum amisissent, nec errorem invenissent; quemadmodum non minuitur metus Principum, nec error ullus oritur per imagines eorundem, quas videmus quotidiè.* Ad tertium, *Senecam apud eundem Augustinum conqueri, Simulacra Diis poni propter eundem errorem, quo putabantur ipsa simulacra esse Dii, vel certè Dii simulacris illis similes judicabantur.* Nihil, inquam, in Calvini gratiam hic notabo, sed ostendam modò, Bellarminum de Augustini mente non ritè Sententiam dixisse. Et ut de *primo* primùm aliquid dicam testimonio, ex contextu patet, agere Sanctum Patrem in Explicatione articuli de Sessione Christi ad dextram Patris, ut ille loquendi modus non sinistrè accipiatur, nec aliquis conceptus Dei Majestatem dedecens in animo hominis oriatur, contra sacrilegos gentiles, quos Apostolus ideò execratus legitur, *quia gloriam incorruptibilis Dei commutaverunt in similitudinem hominis corruptibilis*, addito hoc gravi monito: *Tale simulacrum Deo nefas est Christiano in Templo collocare, multò magis in corde nefarium est, ubi verè est Templum Dei, si à terrenâ cupiditate atque errore mundetur.* Non tam igitur augustus Doctor intellecta hæc voluit de Imagine externâ, quâ res corporeæ pinguntur, quàm & primariò quidem de falso animi conceptu, quâ Mysteria Fidei in Sacris per loquendi modum nobis cognitum descripta, humano etiam more intelliguntur, hâcque ratione & modo summa Dei verè incomparabilis Majestas læditur, per idololatriam omninò intolerabilem & inexcusabilem, De *secundo* itidem rectius sentire licebit, ubi ipsum ex Varrone Augustinum, vel potius ex Augustino Varronem audiemus, de quo hæc habet: *Dicit Author acutissimus atque doctissimus, antiquos Romanos plusquam annos centum & septuaginta Deos sine simulacro coluisse. Quod si adhuc mansisset, inquit, castius Dii observarentur. Cujus Sententiæ suæ testem adhibet etiam inter cetera gentem Iudæam, nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, qui primi simulacra Deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis & metum demsisse, & errorem addidisse, prudenter existimans, Deos facilè in simulacrorum soliditate contemni posse. Quapropter cum castius existimat sine simulacris observari Religionem, quis non videat, quantum propinquaverit Veritati? Si enim aliquid contra vetustatem tanti posset erroris, profectò sine simulacro colendum esse DEum censeret.* Ad quæ augustissimi Doctoris verba satis clara Bellarmini responsum non quadrare, ante Bellarminum vidit rigidissimus aliàs traditionum Papistarum defensor *Peresius*, Sancti Patris mentem sequentibus exprimens verbis: *Non ignorabat Augustinus, paucos aut nullos esse inter gentes, qui materias Idolorum sic sculptas Deum aut Deos esse putarent; sed ob id videtur eos damnare, quod simulacris honores Divinos tribuerint, eâ ratione, quâ DEum repræsentabant.* Et post aliqua: *Quod hæc sit intentio Augustini, ex his, quæ in Psalmum centesimum decimum tertium, illum exponens locum, simulacra gentium sunt argentum & aurum, patet, ubi tam eos, qui simulacra putabant Deos, quàm eos, qui in simulacris aliquod Numen Divinum latere putabant, & omnes etiam, qui per effigiem corporalem adorabant DEum, damnare videtur.* Alia quæ ex hujus Psalmi Enarratione Augustinianâ ibidem ad hoc Propositum inservientia adducit *Peresius*, hic non adscribo, utrobique amplius legenda, dum alia adhuc supersunt Augustini loca, quæ de Ejus mente contra Bellarmini exceptionem testari possunt. Hinc notanter alibi de differentiâ Christianorum & gentilium circa cultum Dei vel Deorum scribit: *Nobis unus diligendus & colendus DEus præcipitur, qui fecit hæc omnia, quorum illi simulacra venerantur vel tanquam Deos, vel tanquam signa & imagines Deorum.* Celebris est etiam locus, qui in eodem opere de Civitate DEI extat, contra varios Idololatriæ gentilium modos quam-maximè inserviens: *Si Templo, si Sacerdote, si Sacrificio, quod vero debetur Deo, colitur aliquod Elementum mundi vel creatus aliquis spiritus, etiamsi non immundus aut malus; non ideò est malum, quia illa sunt mala, quibus colitur, sed quia illa sunt talia, quibus solus ille sit colendus, cui talis cultus servitusq; debetur. Si autem soliditate vel monstrositate* SIMULACRORUM *unum verum DEum, id est, omnis animæ corporisq; creatorem colere se quisque contendat, non ideò peccat, quia non est colendus, quem colit, sed quia colendum, non*

de Tradit. Eccles. part. III. pag. m. 120.

lib. III. de Doctr. Christ. cap 7

lib. 7. cap. 27.

ut

ut colendus est, colit. Exindè satis manifestum est, neque Varronis, neque Augustini mentem circa simulacrorum cultum cepisse Bellarminum, ac insufficienti Glossâ eam magis pervertisse quàm explicasse, id quod de tertio etiam testimonio Augustini vel Senecæ potius verum est & dici potest, imò debet, si intentio scribentis ritè attendatur.

Sequuntur nunc alia duo loca ex Augustino, ad quæ Calvinum contra Iconothesiam in Templis provocare scribit Bellarminus, breviter vindicanda, non iterùm eâ de causâ, ac si communem hic cum Reformatis causam agerent Evangelici, sed quia non planè nihil contra ipsam Iconolatriam vel duliam possunt suppeditare. Prior autem ita habet: *Qui Christianas utriusque Testamenti literas sciunt, non hoc culpant in sacrilegis Paganorum ritibus, quod construant Templa, & instituant Sacerdotia, & faciant Sacrificia; sed quod hæc Idolis & Dæmoniis exhibeant. Et idola quidem omni sensu carere quis dubitat? Veruntamen cùm his locantur sedibus honorabili sublimitate, ut à precantibus atque immolantibus attendantur; ipsâ similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamvis insensata & exanima, infirmos adficiunt animos, ut vivere ac spirare videantur, accedente præsertim multitudinis veneratione, quâ tantus eis cultus Dei impenditur, quibus morbidis & pestilentiosis adfectibus Divina medetur scriptura, quæ rem notam quidem, sed tamen salubri admonitionis remedio inculcat, dicens,* oculos habent, & non vident &c. *Hæc enim verba quò magis aperta & populariter vera sunt, eò magis incutiunt salubrem iis pudorem, qui cùm talibus simulacris Divinum cum timore cultum exhibent, eaque viventibus similia venerantes adorantesque contuentur, eisque velut præsentibus preces adlegant, victimas immolant, vota persolvunt; sic adficiuntur omninò, ut ea sensu carentia putare non audeant.* Epist. 49. ad DEO gratias, Quæst. 3.

Posterior cum aliquibus iterùm antecedentibus melioris intellectûs gratiâ hunc in modum: *Quis puer interrogatus non hoc certum esse respondeat, quod simulacra gentium os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, & cætera, quæ Divinus Sermo contexuit? Cur ergò tantopere Spiritus Sanctus curat plurimis Scripturarum locis hæc insinuare atque inculcare velut insicientibus, quasi non omnibus apertissima sint atque notissima; nisi quia per speciem membrorum, quam naturaliter in animantibus viventem videre, atque in nobismet ipsis sentire consuevimus, (quanquam, ut illi adserunt, in signo aliquo fabrefacto, atque eminenti collocato suggestu:) cùm adorari atque honorari à multitudine cœperit, parit in unoquoque sordidissimum erroris adfectum, ut quoniam in illo figmento non invenit vitalem motum, credat Numen occultum; effigiem tamen viventi corpori similem, seductus formâ & commotus authoritate sapientium quasi Institorum, obsequentiumque turbarum, sine aliquo habitatore vivo esse non putat.* In Psal. 113. Conc. II.

Et post aliqua: *Hoc facit & quodammodo extorquet illa membrorum figura, ut animus vivens in sensibus corporis magis arbitretur sentire corpus, quod suo corpori videt simillimum, quàm Solem rotundum, undasque diffusas, & quidquid non eisdem lineamentis conspicit formatum, quibus illa sunt formata, quæ viventia videre consuevit.* Et iterùm: *Plus valent simulacra ad curvandam infelicem animam, quod os habent, oculos habent, nares habent, aures habent, manus habent, pedes habent; quàm ad corrigendam, quod non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non contrectabunt, non ambulabunt.* Cætera non addo, quæ ibi amplius in hanc rem leguntur. Videamus nunc, quid Bellarmino de his Augustini pronuntiatis videatur, ne Imaginibus Sanctorum in Templis hodiè possint opponi. Ita autem respondet, ut ad utrumque simul respondisse voluerit videri. Dicit, *Augustinum loqui de simulacris præsupposito errore gentilium, & voluisse Eum dicere, quando quis putet simulacrum esse Deum, & accedat, ut adoret & invocet ipsum simulacrum, mirabiliter eum confirmari & foveri in errore, ab ipsâ membrorum humanorum similitudine; Experientiam enim docere, Imagines, quæ non habeantur pro Diis, neminem licet rudissimum ita decipere, ut putentur videre & spirare.* Præterea, *Augustinum voluisse ostendere, simulacra gentilium continere homines in errore, non ratione materiæ, quia sint pretiosa, sed ratione figuræ, quia habeant figuram nostræ similem. Dicere igitur Augustinum, formam simulacrorum humanam multùm valere ad fovendum in iis errorem, qui simulacra pro Diis colant.* Sed quis non videt, antiquum obtinere Bellarminum, & quam sibi semel finxit hypothesin, ei firmiter inhærere, etsi non usque adeò constanti nitatur fundamento. Ad præcedentia jam Sancti Patris testimonia, ne quidquam contra Imaginum cultū valere videantur, excipientem ipsum vidimus, augustum Doctorem contra eum gentilium errorem egisse, quo ipsa simulacra esse Deos crediderint. Et tamen ex laudato traditionū defensore *Peresio*, utpotè cujus in hâc Quæstione mentionē fecit, nescire non potuit vel debuit, quod paulò ante Eū observasse conf. Picher, Opusc. pag. 231. & seqq.

vasse vidimus, *non ignorasse Augustinum paucos vel planè nullos fuisse inter gentiles, qui materias Idolorum sculptas DEum aut DEos esse putarent.* Nihilo-minus hanc recoquit non sine fastidio crambem Bellarminus, dum aliud nimirum, quod ad tam manifesta Augustini contra ipsum Idolorum cultum testimonia reponeret, in promtu non habuit, omni alio destitutus præsidio. Quod enim porrò ad confirmationem addit, *Experientiam docere, Imagines, quæ non habeantur pro Diis, neminem licet rudissimum ita decipere, ut putentur videre & spirare*; nescio, annon Experientiæ contrarium sit, præprimis si ea attendantur miracula, quibus non semel Imagines flevisse & verba fecisse, laudatis etiam superindè testibus memoratur, quamvis prudentioribus non nisi suspectissima. Accedit porrò notandum, id, quod Augustinus in priori præsertim testimonio contra ipsam in Templis Iconothesiam monuit, eum videlicet eam fieri in finem, *ut à precantibus atque immolantibus Imagines attendantur*; urgeri hodienùm posse contra omnes eos, qui Imagines non aliis de causis vel in Templis vel in domibus suis, vel aliis etiam in locis publicè quorumvis adspectui exponunt, quàm ut aliqua veneratio & cultus iis accedat, utinam non impertinens & alienus.

Sed nec ea prætermitti debent Augustini testimonia, quibus contra Calvinum ac sequaces Ejus hanc in Templis Iconothesiam probare conatur; hâc iterum præmissâ monitione & præmunitione, non ideò id fieri, ac si ipsa in Templis & Locis sacris Iconothesia Evangelicorum doctrinæ adversetur, Praxi contrarium ob oculos ponente; sed tantum, ut insufficientia demonstrationis Bellarminianæ hic quoque Lectori candido & Veritatis orthodoxæ studioso patefiat. Duo autem & hic sunt loca, de quibus breviter. De priori dicit Bellarminus, testari in eo Augustinum, *suo tempore multis in locis cerni potuisse CHRISTVM depictum inter Apostolos Petrum & Paulum.* De posteriori, Eundem idem testari *de historiâ Abrahami filium mactare volentis.* Neuter accuratè inspectus id probat, quod vi adlegationis probare debebat.

lib. 1. de Consens. Evang. c. 10. lib. 22. contra Faust. cap. 33.

Ibi quidem agit Sanctus Pater contra eos, qui CHRISTO libros quosdam ad Petrum & Paulum tanquam Epistolari titulo prænotatos adscripserunt. Causam, quæ Ei videbatur non adeò improbabilis, ob quam hisce duobus Apostolis suos dedicasse libros credebatur, sequentibus exponit verbis: *Cùm vellent tale aliquid fingere Christum ad suos scripsisse Discipulos, cogitaverunt, ad quos potissimum scribere voluisse facilè crederetur, tanquam ad illos, qui Ei familiarius adhæsissent, quibus illud quasi secretum dignè committeretur, & occurrit eis Petrus & Paulus; credo, quod pluribus locis simul eos cum Illo pictos viderunt, quia Petri & Pauli merita etiam propter eundem Passionis diem celebrius & solenniter Roma commendat.* Videri possent hæc aliquod pro Imaginibus Sanctorum suppeditare argumentum. Verùm præter id, quod augustus Doctor has Sancti Sanctorum CHRISTI & Apostolorum Petri & Pauli Imagines in multis tum locis extantes, non præcisè & expresè in Templis & locis Divino cultui consecratis locat vel collocat, aut ibi collocata esse ab aliis testatur; hoc præsertim notatu dignissimum est, quod contra horum Pseudographorum Iconothesiam in proximè sequentibus graviter monuit: *Sic omninò errare meruerunt, qui Christum & Apostolos Ejus non in Sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt; nec mirum, si à pingentibus fingentes decepti sunt.* Hæc posteriora, si Bellarminus attendisset, quod omninò debuit, dum Iconothesiam in Templis ex Augustino probare volens ad hoc testimonium tutò provocari se posse existimavit, omninò prætermittenda esse judicare debuisset, nisi forsitan credidit, incautum Lectorem ad ea vix perventurum, neque fraudem hanc impiam ita facilè animadversurum, id quod antehàc etiam Antagonistæ meo, *Christophoro Ottoni*, Lojolitæ tum in Patriâ inter suos famigeratissimo, hoc Augustini testimonio nimium quantum contra me ex Bellarmino juxta morem receptum superbienti, ad oculum demonstravi, nec quidquam hactenus responsi ab insolentissimo & verè thrasonico provocatore impetravi, nihil etiam fortasse ab Eo ad triste silentium adacto & damnato accepturus. Sed & neque posterior Augustini locus quidquam Bellarmini causam potest juvare. Testatur in eo Sanctus Pater, historiam Abrahami filium mactare volentis *multis in locis* suo tempore pictam fuisse. Quid indè? Si dixisset Augustinus, in locis Sacris, esset ad rem aliquid, quam contra Calvinum suscepit defendendam. Sit autem ita, intelligi debeant hæc verba de locis Sacris, non tamen cultus Imaginum Sacrarum, qui eis apud Papistas exhibetur, indè potent demonstrari, cujus nulla plane, nec minima ab Augustino ibi facta legitur mentio.

Part. 1. pag. 65. & sequ.

Præ-

Præmissis nunc hisce velitationibus ipsam adgredimur de Imaginum cultu Controversiam, examinaturi partim testimonia, quibus thesin suam probare intendit Bellarminus, partim quoque vindicaturi ea, quibus Iconolatria vel dulia omninò potest everti. Ad illa Bellarminus inter plura ex aliis Patribus refert, quando Augustinus loquens de sacris signis, quales, inquit, (*rectius, qualia*) sunt Imagines, Literæ & Sacramenta, scribit: *Quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt* &c. ubi, inquit Bellarminus, nominatim inter ea, quæ religiosum merentur honorem, ponit æneum serpentem. lib. III. de Trin. cap. 20.

Idem Augustinus alibi dicit, *eos servire sub signis, qui signa honorant utilia, nec sciunt, quid significent, quales erant olim Iudæi. Qui autem venerantur utilia, & sciunt, quid significent, dicit, eos non tam ipsum honorare signum, quàm rem significatam, & ideò esse liberos.* lib. III. de Doctr. Christ. cap. 9.

Quod autem Imagines Sanctorum signa sint utilia Divinitùs instituta, & proindè digna veneratione tam à servis, quam à liberis, patet aliundè, ubi dicit Augustinus, *picturas & statuas pertinere ad superflua hominum Instituta, illis exceptis, quæ ob finem bonum suo tempore & loco ab eo, qui authoritatem habet, proponuntur*; & tales esse Christi & Sanctorum Ibid. lib. II. cap. 25.

Imagines, est certissimum, scribit Bellarminus, hâc cum ulteriori additione: Idem denique Augustinus reprehendit pictores & similes Artifices, *quod necessarium usum & moderatum, & piam significationem longè aliquando transgrediantur*; ubi admittit, *picturas quasdam esse necessarias, habentes piam significationem, & proindè venerabiles.* lib. 10. conf. cap. 34.

Hæc omnia Bellarminus quasi ex Augustino & ad mentem Augustini, quæ tamen non solùm ita crudè & nudè proposita vix aliquid scopo Bellarmini inserviunt, sed & insuper accuratius inspecta nihil omninò præstare possunt auxilii, imò potius multùm cultui Imaginum Papistico incommodant, quod ipse tenor verborum suâ serie jam ostendet. *Primum* quidem testimonium verbotenus exhibuit Bellarminus, quod tamen nihil minus, quàm Imaginum defendit cultum. Tractavit ibi Augustinus quæstionem, ut Editores Parisini operum Ejus mentem in margine expresserunt, *Quot modis creatura adsumatur ad significandum?* Enumeravit varietatem signorum, quibus populo suo singularem DEUS diversis temporibus præstitit gratiam. Inter plura hæc etiam recenset nominatim: *Aliquando ad hoc fit eadem species, vel aliquantulum mansura, sicut potuit serpens ille æneus in Eremo excitatus, sicut possunt & literæ; vel peracto Ministerio transitura, sicut panis ad hoc factus in accipiendo Sacramento consumitur.* De his omnibus & singulis antecedentibus, quæ ob prolixitatem non adscribuntur, ita pronuntiat Augustinus: *Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt.* Addit pro ulteriori Sententiæ suæ intellectu: *Itaque illa, quæ per Angelos fiunt, quò difficiliora & ignotiora, eò mirabiliora sunt nobis; illis autem tanquam suæ actiones notæ atque faciles.* Facilius autem ex pumice aquam, quàm ex his Augustini verbis Imaginum expresseris cultum; & desperatissimæ omninò causæ est indicium, ad talia delabi, quæ non magis rem, ad cujus demonstrationem producuntur, comprobant, quàm si à serpentis ænei, tanquam salubris signi erectione Divinitus mandatâ ad ipsam Ophiolatriam, non planè nullis Gentilibus usitatam, velis argumentari. Accedit, longè aliam fuisse illius ænei Serpentis à Mose erecti rationem, quàm Imaginum & Statuarum, quæ hodiè numero ferè innumero hic & ibi ad singularem cultum eriguntur. Ille habuit expressum à DEO mandatum, de his nullum omninò potest ostendi. Ille non ad cultum aliquem religiosum, sicut hæ apud Papistas, sed ad salutarem adspectum, eumque simul typicum fuit à Mose erectus, Augustino ad indicem CHRISTI digitum ita suam de eo mentem alibi explicante: *Quomodo qui intuebantur* (non adorabant vel religiosè colebant) *illum serpentem, non peribant morsibus serpentum; sic qui intuentur Fide mortem CHRISTI, sanantur à morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur à morte ad vitam temporalem, hic autem ait, ut habeant vitam æternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem & rem ipsam. Figura præstabat vitam temporalem; res ipsa, cujus erat figura, vitam præstat æternam.* Tract. 12. in Joh. Et quia ab hujus ænei serpentis erectione, quam cæteris Divinæ Gratiæ Signis adnumerat Augustinus, ad cultum Imaginum argumentatur Bellarminus, ideò non operæ nullius erit pretium observare, quæ *Sanctius* ad hujus ænei serpentis destructionem ab Ezechiâ Regum optimo & zelosissimo factam non malè notavit: *Cùm filii Israel accepisse se ab æneo* II. Reg. 18

Ser-

Serpente admirabilem Medicinam & singulare Beneficium meminissent, primùm in honore habuerunt maximo, acceperunt q. servarunt q. diu; non quasi in eo aliquid existimarent esse Divini, sed tanquam Beneficii cujusdam eximii illustre monumentum. Sensim tamen, ut erat populus ille levis & ad omnem Religionem pronus ac lubricus, sicut alia Gentilium simulacra ex ære & marmore, sic etiam hoc conflatum ex ære Simulacrum tanquam aliquid Divinum amplexus est, illiq. honores impendit Divinos. Quod scandalum ut ex suâ gente penitus aboleret Ezechias, confringi jussit atq. comminui, ita ut nullum prioris formæ adpareret vestigium. Et ne quid in illius Simulacri nomine quidquam sonaret Sacrum aut antiqvum, quod superiorem memoriam ad nefarium & sacrilegum renovaret; cultum, nomen mutavit antiqvum. Hodiè ab Iconolatris non tanta conceditur Regibus & Principibus potestas, ut ea tollant scandala, quæ ab Imaginum cultu in animis simplicium oriuntur; & in censu Iconomachorum haberetur is, qui id circa abolendas Imagines ab hominibus & instinctu humano factas tentaret, quod Ezechias circa æneum serpentem ausus est, quem Divinitùs antehàc, id est, Jussu Divino erectum non nescivit, & fortè etiam typum Messiæ incarnandi fuisse credidit.

vid. D. Dannh. Colleg. Decal. pag. 146. Edit. poster.

Ad *secundum* nunc ut transeamus Augustini testimonium, quo Bellarminus pro Imaginum cultu utitur vel potius abutitur, notandum, agere illud juxta marginale Editorum Parisiensium lemma *de Signis Israelitarum & Christianorum*, & quidem, prout contextus ostendit, Sacramentalibus, eorumque apud hos & illos varietate & diversitate. Ut mens augusti Doctoris ritè percipiatur, mentemque Ejus pervertendi studium in Bellarmino hic etiam notetur, juvat verba huc pertinentia adscribere: *sub signo servit, qui operatur aut veneratur rem aliquam significantem, nesciens, quid significet. Qui verò aut operatur aut veneratur utile Signum Divinitùs institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur & transit, sed illud potius, quò talia cuncta sunt referenda. Talis autem homo spiritalis & liber est etiam tempore servitutis, quo carnalibus animis nondum oportet illa revelari* (aliàs, relevari) *signa, quorum jugo sunt edomandi. Tales autem spiritales erant Patriarchæ & Prophetæ, omnesq. in populo Israel, per quos nobis Spiritus Sanctus ipsa scripturarum & auxilia & solatia ministravit. Hoc autem tempore, posteaquàm Resurrectione Domini nostri Iesu Christi manifestissimum nostræ libertatis illuxit indicium, nec eorum quidem signorum, quæ jam intelligimus, gravi operatione sumus onerati, sed quædam pauca pro multis, eademq. factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit Disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini, quæ unusquisq. cùm percipit, quò referantur, imbutus agnoscit, ut ea non servitute carnali, sed spirituali potius libertate veneretur.* Sequentia non addo, cùm hæc absurditatem argumentationis Bellarminianæ, à Signis ceremonialibus & Sacramentalibus Divinitùs institutis, ad cultum Imaginum ab hominibus propositarum, eumque religiosum, satis manifestam exhibeant, ut nullo ulterius responso sit opus. Quid enim, quæso, Imaginibus Sanctorum, quas Iconolatræ Papæi suis in publico ad singularem cultum ob oculos ponunt Dei mandato destituti, cum signis ceremonialibus & Sacramentalibus Novi & Veteris Testamenti ab ipsomet Deo institutis est negotii, ut ab horum observatione Divinitùs mandatâ, & quæ sine gravi Institutoris læsione & contemtu intermitti non potest, ad illarum cultum nullibi mandatum, sed potius & quidem severè prohibitum aliqua fiat consequentia? Tam procul hæc à se invicem sunt dissita, tamque inter se diversa, ut nullo planè modo ab uno ad alterum ritè concludatur.

Par & eadem ferè est ratio *tertii* ex Augustino pro cultu Imaginum testimonii, si ipsa iterùm verba loco per Bellarminum citato probè attendamus. Agit ibi S. Pater secundum Lemma margini & hic adscriptum *de Institutis humanis*, de quibus sequentem in modum scribit: *Quia multis modis simile aliquid alicui esse potest, non constant signa inter homines, nisi consensus accedat. In picturis verò & statuis, cæterisq. hujusmodi simulatis operibus, peritorum maximè Artificum, nemo errat, cùm similia viderit, ut agnoscat, quibus sint rebus similia. Et hoc totum genus inter superflua hominum Instituta numerandum est, nisi cùm interest quid eorum, quà de causâ, & ubi, & quando, & cujus authoritate fiat. Multis denique fictarum falsitatum & fabularum, quarum mendaciis homines delectantur, humana sunt Instituta; & nulla magis hominum propria, quæ à seipsis habent, existimanda, quàm quæ falsa & mendacia. Commoda verò & necessaria hominum cum hominibus instituta sunt, quæcunq. in habitu & cultu corporis ad sexus vel honores discernendos differentia placuit; & innumerabilia significationum genera, sine quibus humana societas aut non omninò, aut minus commodè*

modè geritur, quæque in ponderibus & mensuris atque numerorum impressionibus vel æstimationibus suâ cuique civitati & populo sunt propria, & cætera hujusmodi, quæ nisi hominum institutа essent, non per diversos populos essent varia, nec in ipsis singulis populis pro suorum Principum arbitrio mutarentur. Sed hæc tota pars Institutorum humanorum, quæ ad usum Vitæ necessarium proficiunt, nequaquam est fugienda Christiano, imò etiam, quantum satis est, intuenda, memoriaque retinenda. Conferantur jam hæc Augustini verba cum citatione Bellarminianâ, omni ex parte subtilissimâ, & Sole meridiano clarius erit, nihil quidquam hic Augustino in mentem de cultu Imaginum venisse, de Institutis solum in genere humanis eorumque diversitatibus agenti; ut adeò Bellarminus Lectorem pessimè informârit, imò turpiter tefellerit, dum ei voluit persuasum ex Augustini authoritate, Imagines Sanctorum signa esse utilia Divinitùs instituta, & proindè digna veneratione & cultu, eo nimirum, quo communiter hodiè in Papatu à plerisque adficiuntur.

Sed & neque candidius egit Bellarminus in *quarti* ex Augustino testimonii pro cultu Imaginum commendatione, observans, *Augustinum admittere, picturas quasdam esse necessarias, habentes videlicet piam significationem, & proindè venerabiles*, cujus rei tamen ne verbulo Augustinum facere mentionem, ipsa iterum nos docebunt verba. Postquam enim Sanctus Doctor ibi juxta præscriptum in margine Lemma *de illecebris oculorum*, sicut in antecedentibus *de voluptate aurium, tentationibus gulæ*, & similibus egisset, ex Instituti ratione hæc porrò addidit: *Quàm innumerabilia variis artibus & opificiis in vestibus, calceamentis, vasis, & hujuscemodi fabricationibus, picturis etiam diversisque figmentis, atque his usum necessarium & moderatum, & piam significationem longè transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum, foràs sequentes, quod faciunt, intus relinquentes, à quo facti sunt, & exterminantes, quod facti sunt.* Satis apertè nimirùm in hisce verbis augustus Pater picturas Imaginum (non præcisè sacrarum, sit tamen & illud:) retulit inter innumerabilia hominum additamenta, de quibus scripsit, quod usum in communi videlicet vitâ necessarium & moderatum, piamque significationem longè transgrediantur, adque eas oculorum pertineant illecebras, quæ à Deo Ejusque cultu verò abducunt, bonamque homini mentem auferunt. Et tamen, quæ mentis Bellarminianæ stupor est & perversitas, ex his verbis talem Augustino mentem adfingere ausus est, quasi Is aliquam picturarum necessitatem, earumque cultum & venerationem admiserit, quam necessitatem non tam Augustinus non agnovit, ut potius eam omnibus repudiaverit modis, si modò legitimum Sententiæ intellectum, qui ex ipsis Ejus verbis, absque impertinentis Glossæ mixturâ fluit, attendamus & admittamus. Et hactenus quidem ea vidimus & examinavimus Augustini testimonia, quibus pro Imaginum cultu Bellarminus militavit.

Alia nunc restant vindicanda, quæ contra hunc cultum militant, & quibus eum Augustino non placuisse probari potest. Eminet inter ea, cujus aliquam partem ad antecedentem Controversiam vindicavimus, quo contra *picturarum adoratores* scripsit Augustinus, quem triplici responso Evangelicis studet eripere Bellarminus, ne quid cultui Imaginum nocere videatur. *Primò* dicit, fortè Augustinum loqui de Idolis gentium. *Secundò*, loqui Eum fortè de quibusdam qui Imagines Sanctorum superstitiosè colebant, ita ut accederent ad Idololatriam; testari enim *Damascenum* in fine libri de hæresibus, aliquos fuisse Christianos, qui Imagines quasi Deos adorarent. *Tertiò*, Augustinum scripsisse eum librum in primordiis suæ ad Fidem Catholicam Conversionis, & ideò, quibusdam ritibus offensum, putasse eos sapere Idololatriam, quos tamen melius posteà instructus omninò ab Idololatriâ excusaverit; dicere enim eodem in loco, *eos, qui ponebant epulas super tumulos mortuorum, solitos offerre cadaveribus epulas*, & inde eos vocare Sepulchrorum adoratores, & tamen alibi dicere, *eos, qui id faciunt, non offerre mortuis epulas, sed cibos solùm ponere super tumulos Martyrum, sperantes, eos à Deo sanctificari per Martyrum preces.* Atqui testantur hæc de dubio & anticipiti animo Bellarmini, qui dum, ubi pedem figat, non invenit, ad *fortuitam* & hic delapsus est *Theologiam*, cujus plura antehàc è Bellarmini Tomis exempla congessit diligentissimus Scriptorum Papisticorum Lector *Ehingerus*, magnam suo hocce studio Ecclesiæ conferens utilitatem. Possemus autem facili operâ Bellarminianum *fortè* per non *fortè* ex opposito eludere, nisi alia ad respondendum superessent subsidia. Et *primò* quidem non adeò feliciter Bellarminus divinat, Augustinum *fortè* de Idolis gentium loqui; cùm supra ex ipso & integro verborum Ejus contextu fuerit observatum, agere ibi Sanctum Doctorem de

de morib. Eccles. cap. 34.

lib. 8. de Civ Dei, cap. ult.

iis, qui vel in ipsâ Religione verâ sunt superstitiosi, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint, quid promiserint DEO. Deindè & in *secundo* Bellarmini responso non opus fuit divinatione & dubitatione, dum certum sit, loqui Augustinum de iis, qui Imagines Sanctorum superstitiosè colebant; neque opus etiam fuit *Damasceni* testimonio, ut aliquos fuisse Christianos demonstretur, qui Imagines quasi Deos adorarent. Illud enim ipsum Pater augustus voluit, dum contra Picturarum adoratores scripsit, quosvis veræ Religionis cultores graviter hortatus, ne turbas imperitorum sectentur, semetipsos superstitiosis Imaginum cultoribus immiscentes. De *tertio* itidem jam supra dictum, nihil id obesse, quod Augustinus in primordiis suæ ad Fidem Catholicam conversionis scripserit, nisi ad oculum demonstretur, Eum id postmodùm alibi retractasse, suamque super eâ re mutasse Sententiam. Et quia ex hoc *de moribus Ecclesiæ Catholicæ* libro Augustinus alia retractavit, nullo planè modo hæc prætermisisset, si Christianis aliquam se intulisse injuriam existimasset. Falsum est enim, quod Bellarminus audacter pronuntiat, Augustinum posteà melius instructum eos, quos pridem adoratores picturarum vocavit, ritibus eorum quasi Idololatricis offensus, omninò ab Idololatriâ excusâsse. Nam etsi de iis, qui ponebant epulas super tumulos mortuorum, & de quibus existimavit, eos cadaveribus offerre epulas, aliàs & alibi quasi per excusationem videtur scripsisse, eos, qui id faciunt, non offerre mortuis Epulas, sed cibos solùm ponere super tumulos Martyrum, sperantes, eos à Deo per Martyrum preces sanctificari; suprà tamen quoque notatum est, & hic iteratò observari debet, Augustinum per particulam disjunctivam *vel* unum ab altero distinxisse. Et quamvis ex abundanti concederemus, per Sepulchrorum adoratores intellexisse Augustinum eos, qui epulas super tumulos mortuorum ponebant, & multis cum excessibus celebrabant; fatebuntur tamen, spero, ingenui Operum Augustini lectores, alios fuisse, quos picturarum, alios autem, quos Sepulchrorum adoratores dixit, ac de utrisque aliter sentiendum. De cætero, quod aliàs in opere *de Civitate DEI* quasi per concessionem & aliquam excusationem de illis ad Martyrum Sepulchra adoratoribus scripsit Augustinus, hâc notabili cum limitatione scripsit, *idà Christianis melioribus non fieri, & in plerisque terrarum nullam talem esse consuetudinem.* E contrario notanter *Ludovicus Vives* ad hoc ipsum Augustini testimonium in suis observavit Commentariis, sua, in quibus ante hoc Seculum vixit, tempora cum tempore Augustini, Christianosque veteres cum novis in hoc Sanctorum cultu conferens: *Multi Christiani in re bonâ plerumque peccant, quod Divos Divasque non aliter venerantur, quàm DEum; nec video in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de Sanctis, & id, quod gentiles putabant de Diis suis,* id quod ad præcedentem quoque Controversiam observasse alicujus operæ non planè nullum erit pretium.

Nunc præter id adhuc aliud vindicari debet testimonium Augustini, ex ejus Psalmi contra gentilium Deastros & Simulacra Explicatione desumtum, undè suprà jam aliqua fuêre producta & vindicata. Dum enim Bellarminus ad ea Scripturæ utriusque Testamenti loca contra Imaginum cultum laudari solita, in quibus severè prohibetur, in genere respondet, *Scripturas reprehendere cultum, qui Simulacris, tanquam Diis tribuatur;* de Calvino simul monet, *conari Eum ostendere, etiam Iudæos & Gentiles non habuisse Simulacra pro Diis, sed in simulacris verum coluisse DEum, & tamen reprehendi, quia DEus non patiatur suum cultum ullo modo communicari cum Imaginibus. Et quidem quod Gentiles verum DEum coluerint in Idolis, probari inter alia ex Augustino, referente, Gentiles, cum accusati fuerint Idololatriæ, solitos respondere; se non ipsa colere Idola, sed Numen, quod per Idolum significetur.* Bellarminus id inter Calvini mendacia refert, & ut demonstret, *credidisse Gentiles, Idola esse Deos,* non solùm ad Scripturæ loca provocat; ea inprimis, quà expresè dicatur, *Ethnicos invocare solitos Idola & eis suam commendare Salutem, neminem verò invocare aut orare Simulacrum,* teste ibidem *Augustino, qui non ab illo putet se exaudiri;* sed & ad aliqua Patrum testimonia, *Augustini* nominatim, expresè scribentis: *Fateor, altius esse demersos, qui opera hominum Deos putant, quàm qui opera Dei.* Et iterum: *Illi venerantur Simulacra vel tanquam Deos, vel tanquam Signa & Imagines Deorum.* Alibi etiam & in Locis supra citatis, *Ethnicos multos putasse, ipsa vivere, spirare & audire Simulacra, & proindè esse Deos viventes, & in hoc errore foveri ex ipsâ membrorum humanorum similitudine.* Addit Bellarminus tanquam huc pertinens, *Ecclesiæ Doctores, qui contra Gentes scripserunt, Ethnicos ridere, quod ligna & lapides pro Diis coluerint.* Imò Hermetem

in Psal. 113

lib. III. de Doctr. Christ. cap 7

tem quoque Trismegistum apud Augustinum dicere, *alios DEos factos a summo DEO, alios autem ab hominibus, & hos esse statuas, quibus arte quâdam magicâ adligentur Dæmones, ita ut statua sit quasi corpus DEI, spiritus autem inclusus sit anima, & totum Idolum sit DEus, quo-modo corpus & anima est homo.* (ib. 8. de Civit. Dei, cap. 23.) Et quia in eo etiam aliqua & non multum dissimilis est controversia, *num Gentiles in Idolis coluerint creaturas pro Diis*, probare id Bellarminus intendit ex Augustino etiam, demonstrante, *Deos Paganorum homines fuisse*, & scribente, *Serapidis simulacrum digito & os admoto indicare solitum, ut taceretur, Serapidem suis-se hominem, imò & capitis pœnam iis constitutam, qui Serapidem fuisse hominem dicerent, cum tamen verè hominem fuisse, & mortuum ac sepultum constaret.* (Ibid. cap. 26. lib. 18. cap. 5.) Alia brevitatis causâ prætereo, quæ Bellarminus porrò ex Idololatriæ Gentilis historiâ, citatis eam in rem Augustini testimoniis, collegit, non ignota vel intacta iis, qui hoc demum Seculo enucleatissimè hoc argumentum tractârunt, interque eos, & qui omnium instar esse potest, *Vossio*, quem qui hujus Seculi dixit *Varronem*, benè, si non optimè dixit; cujus labores dum ante Annos non ita multos *Herbertus*, Baro Anglus, opere *de Religione Gentilium* scripto, in aliquod redegit compendium, laudabilem studiosæ Juventuti navasset operam, nisi novis quibusdam de Salute æternâ per solum Naturæ Lumen adquirendâ, & insolitis hactenus minusque receptis hypothesibus examen aliquod rigidius & censuram severiorem contra se provocasset, necessitate summa id exigente, ut Lectores studiosi præmunirentur, ne Gentilium Idololatrarum tenebræ olim Luce prædicationis Evangelicæ per Apostolorum ex Christi mandato Ministerium discussæ, iteratò cum aliis erroribus Ecclesiam adhuc orthodoxam magno agmine vexantibus & miserè dilacerantibus, in Lucem publicam, non sine insigni animarum damno pluriumque præsenti scandalo reproducerentur. Sed ad Bellarminum, contra quem suprà jam bona pars illius testimonii, quod Enarratio Augustini in laudatum contra Gentilium Idola Psalmum suppeditat, fuit vindicata. (vid. D. Musæum, Disp. de insuffic. Lumin. Naturæ, conf. Barl. in Epist. p. 513. f.)

Nunc cætera huc pertinentia addentur, ut adpareat, verè *Peresium* scripsisse, Augustinum non ignorasse, *paucos aut* (quamvis non planè) *nullos esse vel fuisse inter gentes, qui materias, Idolorum sic sculptas DEum aut Deos esse putarent.* Ideò enim Doctor augustissimus ipse inter GENTILIUM CRASSIORES & SUBTILIORES notanter distinxit, scribens: *Videntur sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt, nec Simulacrum, nec Dæmonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo. Ita verò interpretantur simulacra, ut alio dicant significari Terram, undè Templum solent adpellare telluris, alio Mare, sicut Neptuni simulacro, alio aerem, sicut Iunonis, alio Ignem, sicut Vulcani, alio Luciferum, sicut Veneris, alio Solem, alio Lunam, quorum Simulacris eadem nomina sicut Telluris imponunt, alio illud, alio illud sidus, vel illam, vel illam creaturam, neque enim cuncta enumerare sufficimus. De quibus rursùm, cum exagitari cœperint, quod corpora colant, maximèque Terram & Mare & Aerem & Ignem, quorum nobis in promtu usus est, (nam de cœlestibus, quoniam nostro corpore ea contrectare atque contingere nisi oculorum radiis non valemus, non ita erubescunt:) respondere audent, non se ipsa colere corpora, sed quæ illis regendis præsident Numina. Itaque una Apostoli Sententia pœnam istorum damnationemque testatur, Qui* (vid. lib. IV. de Civit. Dei, cap. 10.) *transmutaverunt, inquit*, veritatem DEI in mendacium, & coluerunt & servierunt creaturæ potius, quàm Creatori, qui DEus est benedictus in Secula. *Nam parte Sententiæ priore damnavit Apostolus simulacra, posteriori autem interpretationes Simulacrorum. Effigies enim à Fabro factas adpellando nominibus earum rerum, quas fabricavit DEus, transmutant veritatem DEI in mendacium; res autem ipsas pro Diis habendo & venerando serviunt creaturæ potius, quàm Creatori, qui est Benedictus in secula.* Expressè his verbis Sanctus Pater distinguit inter cultum Simulacrorum vel Imaginum, & inter cultum creaturarum, Terræ, Maris, Ignis, aliorum, quibus Gentiles variis modis Divinos, etiam per Simulacra & Imagines, exhibuerunt honores; quod discrimen si Bellarminus in hoc quidem Augustini testimonio observasset, non ita crudè mentem Ejus Lectori exhibuisset. Et probè notandum est, non pauca his Augustinum verbis in Gentilium Idolo- & Iconolatriâ animadvertisse, & ex debito quidem, quæ hodie etiam possunt occupare locum contra eam Hagio- & Icono-latriam vel duliam, contra quam hactenus ex Augustini armamentario militavimus & porrò etiam militabimus, Ejusque sinceram mentem ab iniquâ detorsione ac pravâ explicatione vindicabimus, ostensuri, quæcunque ex aliis Ejus Scriptis collegit Bellarminus, parùm aut omninò nihil ad rem facere præsentem. Certè dum Sanctus Doctor fatetur, *altius esse demersos, qui opera hominum Deos putant, quàm qui opera Dei*; dum item agnoscit, *Gentiles Si-*

mulacra venerari vel tanquam Deos, vel tanquam Signa & Imagines Deorum, non nisi utrumque discrimen indigitatum inter cultum Simulacrorum & creaturarum, item inter Idololatras crassiores & subtiliores voluit indicare, si modò aliqua subtilitas in hâc re Idolo- & Iconolatricâ locum habere potest, & non potius eo hic accipienda venit sensu, quo Gentilium aliqui se præ aliis in cultu Deorum vel potius Deastrorum subtiliores esse existimârunt, quàm imaginationem hodièque non paucorum esse, iis cognitum est, qui inter Imaginum cultores vivunt, rationesque eorum de hôc cultus modo audiunt. Ad id verò, quod Augustinum scripsisse Bellarminus monet, *multos Ethnicorum putasse, ipsa vivere, spirare & audire simulacra, & proindè Deos esse viventes, & in hoc errore foveri ex ipsâ membrorum humanorum similitudine*; ut prolixè non urgeam, non ritè Augustini verba à Bellarmino fuisse adducta, quæ supra hunc in modum fuêre exhibita: *Ipsâ similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamvis insensata atque exanima, infirmos adficere animos, ut vivere ac spirare videantur, accedente præsertim multitudinis veneratione* &c. Ut inquam hoc prolixè non urgeam, quod tamen non parum momenti habere posset; illud loco responsi repetere juvat, quod supra in ejusdem ex Augustino testimonii examine fuit observatum, ac quemvis Imaginum cultorem interrogare, an, si per Miracula Imagines flevisse & verba fecisse, laudatis etiam testibus, ac certis cum circumstantiis refertur, & à non paucis, præsertim superstitiosioribus creditur, qui præsertim prudentiores & præ aliis subtiliores videri volunt, existiment, ipsas Imagines flevisse & verba fecisse, obque id Divinis adficiendas esse honoribus. Quæ de *Hermetis* porrò *Trismegisti* sententiâ ex Augustino produxit Bellarminus, ut ostendat, Simulacra à Gentilibus pro Diis fuisse habita, nullum aliud merentur responsum, quàm quod *Hermes* ille *Trismegistus*, utut à suis quondam cultoribus pro Sapientissimo & subtilissimo fuerit habitus, ab Augustino, & id quidem jure meritòque, relatus sit in numerum crassiorum, quos dixi, Icono & Idololatrarum, de quibus in testimonio proximè laudato scripsit, *quod altius fuerint demersi*, quibus in Psalmi contra Gentium Idola Explicatione opposuit, quos sibimetipsis videri *purgatioris esse religionis* monuit, dicentes, *se non Simulacrum colere, sed per effigiem corporalē ejus Rei Signum intueri, quam se colere debere existimant*. Hinc Augustinus expresse hunc Hermetem refert inter eos, de quibus dicit Apostolus, *quod cognoscentes DEum non sicut Deum glorificaverint aut gratias egerint, sed evanuerint in cogitationibus suis, & obscuratum sit insipiens cor eorum, & dicentes, se sapientes esse, facti sint stulti, & immutaverint gloriam incorruptibilis DEI in similitudinem Imaginis hominis corruptibilis* &c. Addit Sanctus Doctor, ut crassitiem erroris in hoc Hermete uberius Lectori ponat ob oculos: *Nescio, quomodo obscuratione cordis ad ista delabitur, ut Diis, quos confitetur ab hominibus fieri, semper velit homines subdi, quasi quidquam sit infelicius homine, cui sua dominantur figmenta.* Et post aliqua: *Hæc vana, deceptoria, pernicioſa, sacrilega, Hermes.* Addantur, quæ sequenti capite contra Hermetem hunc urget Pater augustus, & satis hæc confirmabuntur. Eadem penè ratio est eorum, quæ Bellarminus itidem ex Augustino de eo Gentilium errore observavit, quo homines mortuos pro Diis coluerunt, nihil omninò Evangelicis, multum verò iis Sanctorum cultoribus obficientia, qui eos in Imaginibus etiam venerari & adorare, non absque plurimo honoris soli Deo debiti detrimento consueverunt, ut alii idem faciant, pluribus modis urgentes.

Epist. 49. ad DEOgrat. Quæst. 3.

vid. Ursin. de Antiqu. Mosaic. Exerc. II. pag. 73. & seqq.

Horn. Histor. Phil. lib. II. cap. 6. pag. 86. seqq.

Et hactenus illa vidimus Augustini testimonia, quæ partim Bellarminus pro Imaginum cultu perperam laudavit, partim contra Imaginum cultum ab aliis adduci solita, contra mentem & sententiam augusti Doctoris pervertit, utraque suo Authori & nitori debito restituta & vindicata. Restat nunc Quæstio postrema de ipso cultûs genere, quo videlicet dignæ sint Imagines, de quâ Bellarminus ad consensum inter Scriptores, nimirum Papæos demonstrandum fateri coactus est, tres esse Sententias, easque inter se non parum diversas. Et *primam* quidem, quod imago non sit ullo modo in se colenda, sed tolùm coram Imagine sit colendum exemplar; id videri sensisse Alexandrum Pontificem, Cardinalem Durandum, Alphonsum à Castro. *Secundam* esse, quod idem honor debeatur Imagini & Exemplari, & proindè Christi Imago sit adoranda cultu Latriæ, Beatæ Virginis Mariæ cultu hyperduliæ, Sanctorum verò aliorum cultu duliæ; ita sensisse eundem Alexandrum, Thomam, Bonaventuram, Marsilium, Almaynum, Carthusianum, Capreolum, Henricum Gandavensem, Cajetanum. *Tertiam* versari in medio, ac esse eorum, qui ipsas dicunt Imagines in se & propriè honorari debere, sed minori quàm ipsum exemplar honore, & proindè nullam Imaginem cultu latriæ

latriæ adorandam esse; ita statuisse Peresium, Catharinum, Sanderum, & idem videri etiam sensisse Bielem. *En Harmoniam!* Quamvis ut eam aliquâ ratione sistat Lectori, omnemque tollat inter diversas has Sententias contradictionem, tribus distinctiunculis rem omninò expeditam dare studuit Bellarminus, quinque Propositionibus Sententiam de Cultu Imaginum verè Catholicam explicans, è quarum numero dum secunda tantum Augustini facit mentionem, de eâ breviter aliquid restat dicendum, quam his exhibuit verbis: *Quantum ad loquendi modum, præsertim in concione ad populum, non est dicendum, Imagines ullas adorari debere latriâ, sed è contrario, non debere sic adorari.* Quid in hâc Bellarmini Propositione dignum sit animadversione, ut prolixè indicetur, opus non est. Sufficit id tantum observasse, non adeò bonæ videri causæ indicium, de modo loquendi, præsertim in concione ad populum, plus esse sollicitum quàm de Sententiæ ipsâ veritate & sinceritate. Notarique debet insufficiens enumeratio partium, dum Bellarminus quidem non vult, ut dicatur, *Imagines ullas adorari debere latriâ*, sed potius è contrario vult prohiberi, *eas non debere sic adorari*, addens rationem, non carere magno hanc doctrinam & loquendi formam periculo, *& qui eam defendunt, cogi adhibere subtilissimas distinctiones, quas ipsi vix intelligant, nedum populus imperitus*, ac insuper hunc loquendi modum offendere aures Catholicorum, *& præbere occasionem hæreticis liberius blasphemandi*; dum, inquam, Bellarminus prohiberi vult populum, ne sic, id est, cultu Latriæ, Imagines adoret, omisit tamen addere modum, quo adorari debeant, an duliæ, vel hyperduliæ, quæ distinctionum vocabula secundæ opinionis Patronos adhibere, Bellarminus ipse significavit. In primâ quidem Propositione scribit, *Imagines Christi & sanctorum venerandos esse non solùm per accidens vel impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum, ut vicem gerunt exemplaris.* In tertiâ & quartâ pro uberiori suæ mentis expositione addit, *si de re ipsâ agatur, admitti posse, Imagines posse coli impropriè & per accidens eodem genere cultûs, quo exemplar ipsum colitur, per se tamen & propriè non posse.* In quintâ & ultimâ subjungit, *Cultum, qui per se & propriè debeatur Imaginibus, esse cultum quendam imperfectum, qui analogicè & reductivè pertineat ad ejus cultûs speciem, qui Exemplari debeatur.* Sed pervelim scire, an Bellarminus existimaverit, populum imperitum, cujus inter auditores maxima semper pars esse solet, si illi hæc de cultu Imaginum per accidens vel improprio, de cultu analogico & reductivo proponantur, magis hæc capere & intelligere, quam si de cultu Latriæ iisdem distinctionibus adhibitis informetur? Eadem certè videtur esse ratio, cuicunque cultûs generi vel speciei hæ distinctiones adplicentur, ingeniis Simpliciorum æquè ad hunc ac illum ineptis & incapacibus. Et dum doceri vult populum Bellarminus, quo Imagines modo non debeant adorari, omninò alium ostendere debuit modum, quo debeant adorari, & quidem explicatu ac intellectu faciliorem, cùm præcipua hujus prohibitionis ratio juxta Bellarminum in eo consistat, existimantem & rectè quidem, populum imperitum illas non intelligere distinctiunculas, per quas cultus Latriæ à periculo scandali possit & debeat præservari. Quidquid autem sit, si verè & seriò Bellarminus cultum latriæ Imaginibus voluit detractum, ut omninò debuit, Evangelicos sibi non habet dissentientes, præsertim, quia Propositionem hanc suam, præter aliquot Conciliorum Decreta, etiam aliquibus Ecclesiæ Doctorum testimoniis, nominatim Augustini munivit & confirmavit, cujus verba à Bellarmino laudata omninò hic legi merentur, cùm egregium Sententiæ Evangelicorum contra Imaginum cultum in Ecclesiâ Romanensi usitatum adferre possint commodum & momentum. Ita autem Pater augustissimus: *In primo Præcepto prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem DEus, sed quia nulla Ejus imago coli debet, nisi illa, quæ hoc est, quod Ipse, nec ipsa pro illo, sed cum Illo.* Epist. 119. ad Jan. num. 11. Ferdinandus quidem *Velosillus*, Episcopus Lucensis, Scriptor *Possevino* etiam laudatus, in opere, quod vocat, *Advertentiarum Theologiæ Scholasticæ in Chrysostomum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium* cognomine *Magnum*, quod sub initium hujus Seculi prodiit *Venetiis*, secundam inter Sententias à Bellarmino recensitas defendens, quam & Ille adscribit præter alios *Thomæ*, contra quàm in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* de Ejus mente in hâc Controversiâ fuit monitum; *Velosillus*, inquam, ad hoc Augustini testimonium, post triplicem Imaginum considerationem, aliaque in rem suam adducta, hic prolixè non exscribenda, ne videlicet Augustinus cultui Imaginum contrarius videatur, ita respondendum censet, *quod nimirum Sanctus Pater solùm explicet prohibitionem secundæ & tertiæ negationis primi Præcepti, nempè*, Non facies tibi sculptile, non adorabis illud, neque coles, *qualiter debeat*

intelligi, & dicat, quod prohibeatur in figmentis hominum coli aliqua Dei similitudo, & explicet, non quia Deus Imaginem non habeat, sed quia nulla Ejus Imago coli debeat, ut Deus, ac si Nomen Divinum ipsi insit Imagini, id enim esset crimen Idololatriæ, quod hoc primo prohibeatur præcepto; & ad excludendam omnem Idololatriæ suspicionem doceat, Imagines tam Dei, quam Divorum qualiter adorari debeant, & dicat, quod Imagines simul cum prototypo venerari & adorare debeamus, in quantum forma Dei vel Sanctorum in illis existunt. Et hoc esse, quod dicat, neq; ipsam, nempè Imaginem pro illo, sed cum illo, eodem cultu adorandam esse, quo res ipsa. Sed hypothesibus suis innititur *Advertentiarum* Scriptor non usque adeò accuratus, secundum quas dum Augustini verba explicare conatur, magis implicat, ut quæ mens Ejus fuerit, vix indè liceat percipere, in eo præprimis egregiè falsus, atque augusto Doctori peregrinam adfingens Sententiam, quod Eum docere putat, *Imagines simul cum prototypo adorari debere, in quantum forma Dei vel Sanctorum in illis existant.* lib. 8. de Trin. cap. 4. & 5. Testatur enim alibi Sanctus Pater de Christo, *ipsius Dominicæ carnis faciem innumerabilium cogitationum diversitate fingi & variare*; & de Beatâ Virgine Mariâ, *ignotam esse Ejus faciem*; ut & Apostolo Paulo, *penitus ignorari, quâ Is facie fuerit*; quod certè scribere non potuisset, si illo tempore certi fuissent Christiani de Imaginibus Christi, Mariæ, Pauli, cum Eorum prototypis ex asse convenientibus, & si, ex Ejus Sententiâ, Imagines simul cum prototypis coli & adorari debuissent. In eo autem planè mentem Sancti Patris non advertit Episcopus Lucensis, quod, dum Augustinus scripsit, *nullam Dei Imaginem coli debere, nisi illam, quæ hoc sit, quod ipse DEus, nec ipsam pro, sed cum Illo*; existimavit, intellexisse augustum Doctorem Imagines Dei sculptas vel pictas; cùm tamen ipse verborum tenor non obscurè testetur, eam hic describi Imaginem DEI, nimirum Patris, quæ ab Eodem juxta Apostoli ductum sensu eo dicitur Imago Patris, quo *Patris Virtus, Sapientia, Verbum* dicitur, Christum videlicet, quod observasse, advertentiam hanc inadvertentiæ est convicisse, atque Augustinum sibimetipsi restituisse. lib. 7. de Trin. cap. 2. Obsigno hanc tractationem verbis augustissimi Doctoris, Regii Psaltis Sententiam huc quam-maximè accommodam hâc paraphrasi illustrantis: *Confundantur omnes, qui adorant Sculptilia. Erubescant, qui Lapides adorant. Nos vivum invenimus Lapidem.* in Psal. 96.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM, & seqq.

De

Adoratione Crucis.

EXhibet hanc Controversiam Bellarminus quasi adpendicem ad præcedentes duas de Reliquiis & Imaginibus Sanctorum, earumque cultu & veneratione, atque eam ita tractat, ut hinc indè non semel Augustinum pro more ad suas trahere partes conetur, quem antehàc *Sandæus* etiam Historiæ *Staurophilorum* vel potius Staurolatrarum, ne quid durius dicam, tanquàm præ multis insignem Crucis Dominicæ cultorem inseruit & commendavit. vid. Part. 1. lib. 7. num. 12. pag. 117. Qualis Evangelicorum partim de ipsâ Cruce ligneâ, in quâ meritissimus de universo genere humano Salvator Christus inter duos latrones pependit medius, partim de efficaciâ & virtute Satisfactionis vel Passionis in Crucis ligno ad finem perductæ sit Sententia, ne inter hostes Crucis juratos ab Apostolo descriptos jure possint meritòque reponi, in Solis mensâ, nisi omninò fallor, scriptum, ac orbi verè Catholico non ita obscurè est expositum. Quod autem illis Ligni particulis, quæ utplurimùm non sine multâ suppositionis suspicione ad cultum & venerationem indebitam proponuntur, Imaginibus item Crucis Dominicæ, sive ligneis, sive lapideis, sive aureis etiam vel argenteis, vel de quâcunque materiâ fabrefactis, eum non exhibeamus honorem, qui ab aliis exhibetur, neque etiam Signo Crucis manufactæ eam adscribamus virtutem & efficaciam, eos itidem fructus & effectus, quos nominatim Bellarminus adscribit, quod nimirum *terreat & fuget Dæmones, pellat morbos & alia quævis mala, sanctificet quoque ea, quibus imprimitur*; ob id pro hostibus Crucis non sumus habendi, quia de his nullum ex authoritate Biblicâ documentum, nullum ex Antiquitate Orthodoxa, in specie Scriptis Augustini, testimonium laudari potest, quo duci nos ad hunc Crucis cultum videmus, nisi velimus seduci, idque Crucis ligno, Imagini, Signo adscribere, quod propriè & in solidum Crucifixo adscribi par est. Ante omnia autem hic advertendum venit, quod, dum citatus ad finem præcedentis

Con-

Controversiæ Scriptor *Advertentiarum* ex Augustini mente, quamvis non ritè perceptâ & expressâ, docuit, *Imagines simul cum prototypo adorari debere, in quantum forma Dei vel Sanctorum in illis existunt*, id quod extra dubium de Imagine Crucis etiam voluit intellectum; de ipsâ Crucis Dominicæ figurâ Patres antiquos non idem sensisse, eamque aliter quoad partem ejus in specie superiorem descripsisse Hieronymum, aliter verò Augustinum, ipse Bellarminus agnoscere fuerit coactus, utut Augustini Sententiam quasi probabiliorem amplectens, neque tamen Hieronymi, tanquam parumper differentem, omninò rejiciens, sed & eam simul veram esse existimans. Ego meam hanc non facio controversiam, quam post *Lipsium*, (qui magis de externâ Crucis Dominicæ formâ, quàm interna ipsius de Cruce Evangelii virtute fuit sollicitus,) non pauci hoc Seculo ex numero Literatorum ultrò citròque discusserunt, ex Evangelicis *Dilherrus*, ex reformatis *Salmasius*, ex Papæis Apostata *Nihusius*; cùm ad causæ momentum, quantum ad Evangelicos pertinet, nihil inter omninò sit, quâ fuerit forma vel figura lignum Crucis, in quo Christus pependit, Papæis è contrario de Imagine Crucis colenda & adoranda sollicitis, de cujus forma tamen & figura non usque adeò certi sunt & indubii, quod annon ipsi cultui aliquod creare possit præjudicium, ipsumque facere non unâ ex parte suspectum, videant, qui in hisce talibus ante alios volunt videri & prudentiores & subtiliores. Et quia Bellarmino probabilior Augustini Sententia videtur, lubet eam sistere Lectori ex duobus locis Bellarmino præteritis, in quibus allegoricè simul Crucis Dominicæ figuram exposuit. In priori explicans Oraculum de quatuor dimensionibus Theologicis, *latitudine, longitudine, altitudine & profunditate supereminentis Divini amoris*, Apostolicum, ita scribit: *Ego hæc Apostoli Pauli verba sic intelligere soleo, in latitudine bona Charitatis opera, in longitudine perseverantiam in bono usque in finem, in altitudine spem cœlestium præmiorum, in profundo judicia Dei inscrutabilia, undè ista in homines Gratia venit; & hunc intellectum coaptare etiam Sacramento Crucis, ut in latitudine transversum accipiatur lignum, quo extenduntur manus propter operum significationem; in longitudine ab ipso usque in terram, ubi totum corpus crucifixum stare videtur, quod significat persistere, hoc est, longanimiter permanere; in altitudine ab ipso transverso ligno sursum versus, quod ad caput eminet, propter expectationem supernorum, ne illa bona opera, atque in eis perseverantia propter Beneficia DEI terrena atque temporalia credantur facienda, sed potius propter illud, quod desuper sempiternum sperat Fides, quæ per Dilectionem operatur; in profundo autem pars illa ligni, quæ in abdito terræ defixa latet, sed indè consurgit omne illud, quod eminet, sicut ex occultâ Dei voluntate vocatur homo ad tantæ Gratiæ participationem, alius sic, alius autem sic.* Ephes. 3. Epist. 112. ad Paul. cap. 13.

In posteriori idem ex occasione tractans Oraculum eadem ferè repetiit verbis sequentibus: *Fortassis crucem Domini significat Apostolus. Erat enim latitudo, in quâ porrectæ sunt manus; longitudo à terrâ surgens, in quâ erat corpus infixum; altitudo, ab illo invexo ligno sursum, quod eminet; Profundum, ubi fixa erat crux, & ibi omnis spes vitæ nostræ. Latitudo enim est in bonis operibus, longitudo in perseverando usque in finem; altitudo propter sursum cor, ut omnia sint bona opera nostra, in quibus perseveramus usque in finem, habentes latitudinem, quâ benè operamur, & longitudinem, quâ perseveramus usque in finem, non* (forsitan neque) *faciamus aliquid, nisi spe cœlestium præmiorum. Ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum, ne dicatur nobis, Amen, dico vobis, præceperunt mercedem suam. Profundum autem quod dixi, ubi erat fixa pars Crucis, & non videbatur, indè resurgebant, quæ non videbantur.* in Ps. 103.

Hæc Augustini loca non adduxissem, utpotè nullam moventia in se controversiam, nisi Bellarminum similibus pro cultu & adoratione Crucis militare, tanquam invictis rationibus & argumentis observassem; ut nimirum Lectori Veritatis orthodoxæ studioso in antecessum constaret, an ex allegoricis hisce Expositionibus pro Stavro-latriâ vel dulià firmiter possit aut debeat concludi.

Post primum ergò argumentum, quod ratione ex Scripturis desumtâ munire studuit Bellarminus, ut aliquem Cruci Dominicæ, in quacunq; etiâ forma, Imagine & signo, obtineret cultū, secundum esse voluit à Mysteriis in ipsa Cruce significatis desumtum, Augustino inprimis eam in rem adducto, paucisq; ex Eo verbis pro consensu citatis, quæ ad Oraculum Pauli proximè laudatum pleniore contextu hæc sunt: *In hoc Mysterio figura Crucis ostenditur. Qui enim, quia voluit, mortuus est, etiam quomodo voluit, mortuus est. Non frustra igitur tale mortis genus elegit, nisi in eo quoque latitudinis hujus, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis Magister existeret.* Epist. 120 ad Honor. cap. 26.

Nam latitudo est in eo ligno, quod transversum desuper figitur. Hoc ad bona pertinet opera, quia manus ibi extenduntur. Longitudo in eo, quod ab ipso Ligno usque ad terram conspicuum est, ibi enim quodammodo statur, id est, persistitur & perseveratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in eâ ligni parte, quæ ab illo, quod transversum figitur, sursum versus reliquitur, hoc est, ad caput Crucifixi, quia benè sperantium superna est expectatio. Iam verò illud ex ligno, quod non adparet, quod fixum occultatur, undè totum illud exurgit, profunditatem significat gratuitæ Gratiæ, in quo multorum Ingenia conteruntur id vestigare conantia. In Epistolâ antecedente, ad quam itidem pro Crucis Dominicæ, ob Mysteria per eam significata, cultu provocavit Bellarminus, eadem ferè habet Augu-
cap. 14. stinus, scribens: *Hilaritatem*, in laboribus nimirùm vel operibus bonis, *significat Crucis Latitudo in ligno transverso, ubi manus figuntur; per manus enim opera intelligimus, per latitudinem operantis hilaritatem, quia tristitia facit angustias. Per altitudinem verò, cui caput adjungitur, expectationem Retributionis à sublimi Iustitiâ Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua; iis quidem, qui secundum tolerantiam &c. Itaque longitudo etiam, quâ totum corpus extenditur ipsam significat tolerantiam, undè longanimes dicuntur, qui tolerant. Profundum autem, quod terræ infixum est, secretum Sacramenti prafigurat.* Hæc omnia diversis quatuor locis Doctor augustissimus, quatuor Dominicæ crucis latera, quatuorque Divini Amoris supereminentissimi dimensiones ab Apostolo, cœlesti Geometrâ descriptas & Lectori Mysteriorum non nimis curioso scrutatori commendatas, per Allegoriam non adeò impertinentem sibi visam explicans & illustrans, nullâ tamen ne minimâ quidem mentione factâ, quasi ob latens hoc suâ opinione in Crucis Dominicæ figurâ, ad quam adlusisse Apostolum putavit, Mysterium, ipsa Crucis figura, Imago, signum coli vel adorari, eidemque vis tanta adscribi debeat, qualem ei Bellarminum adscribere jam vidimus. Illud certè Patri Sanctissimo nunquam venit in mentem, etsi suum non immeritò nomen habeat inter veros Crucis Dominicæ cultores, quibus Evangelici etiam accenseri cupiunt, modò ne quid ab eis exigatur, quod ipsius Crucifixi honorem minuere possit videri, hunc præ illâ magis æstimantes. Et certè, si omne illud colendum & adorandum est, quod per allegoriam, non indice Dei digito, sed humano ostensam aliquod videtur significare Mysterium, multa ad cultum & adorationem essent adsumenda, nil minus quàm cultum & adorationem merita, atque sic objecta cultûs in infinitum & sine numero forent multiplicanda, nullâ non re, etiam quandoque vilissimâ, aliquod in se Mysterium continente, si Hieroglyphicis antiquorum & Symbolicis explicationibus, quæ etiam Ecclesiæ Doctoribus, nominatim Clementi Alexandrino & Epiphanio, versatissimis in Seculari Literatura Patribus, & ad quas ipse Bellarminus in hoc eodem argumento Lectorem manu quasi duxit, standum sit, quâ tamen ratione non nisi damnata Gentilium Idololatria reintroduceretur, nullâ ferè, contemtissima etiam creaturâ à cultu adorationis exclusâ, & cui non Divinos adtribuerint honores, ut ex Idolographis ad horrorem usque notum est. Sit autem ita, lateant hæc Mysteria secundum Augustini Sententiam sub ipsâ Crucis forma exteriori, concedamus etiam, elegisse Christum hoc Passionis suæ & Mortis instrumentum eâ de causâ, ut hæc Mysteria secundum Apostoli cœlitùs illuminati Geographiam per ipsam hanc formam, & quadripartitam dimensionem nobis ob oculos ponerentur, & ad devotam meditationem commendarentur, quæ tamen omnia manifestioribus indigent à Biblica manuductione documentis; sit ita, inquam, sintque hæc omnia extra dubium, multis tamen adhuc opus erit demonstrationibus, ut liquidò probetur, ac extra omnem statuatur controversiam & dubitationem, ipsam Crucis formam & Imaginem, eamque ipsam adhuc juxta superius dicta non omni modò certam & prototypo per omnia similem, propter hæc Mysteria & Symbolicam significationem coli & adorari, eidemque virtutem & efficaciam singularem adscribi debere, id quod tamen Bellarminus exinde sequi audacter pronuntiavit, de vi consequentiæ parùm sollicitus.

Idem ferè responsum debetur argumento Bellarmini *quarto*, quod pro cultu & adoratione Crucis in medium produxit, desumtum à testimoniis Veterum, qui passim referant, *quanto tenerentur fideles desiderio habendi aut certè videndi veræ Crucis particulas*, id quod ad magnum Crucis honorem pertinere neminem putat ignorare. Quia enim inter alios testes Augustinum quoque refert, videndum, quo jure, quave in-
lib. 22. juria? Provocat autem ad illum ex opere de *Civitate Dei* locum, in quo Sanctum Pa-
cap. 8. trem scribere dicit: *Ad terram sanctam ex monte Calvariæ adlatam in Africam Miracula fi-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

fieri solita, & se cum alio quodam Episcopo eam infodisse, & Orationis locum super eam constituisse. Addit Bellarminus: *Quo honore Augustinus prosequeretur Crucem, quando sit honoravit terram, ubi fuerat Crux?* Possem hic iteratò urgere, quod & supra non semel factum, eo in loco testimonium hoc legi, de quo *Ludovicus Vives* testatur esse indubium, *multa esse addita, velut declarandi gratiâ, ab iis, qui omnia magnorum Authorum scripta spurcis manibus suis contaminabant*; quæ verba dum neque citatus paulò ante Advertentiarum in Patrum Scriptis Author, inter cavenda, neque Index Hispanicus, *Antonii à Sotomajor* jussu & studiis recognitus, inter expurganda in & ex *Ludovici Vivis* in hoc Augustini opus de *Civitate Dei* Commentariis numerârunt, eomet ipso veritati præbuerunt testimonium, videlicet, non usque adeò esse indubitata, quæ ibidem copiâ satis magnâ, & numerô aliàs minus usitatô, ac prolixitate in toto hoc opere omninò insolitâ, non absque manus peregrinæ probabili suspicione & suppositione leguntur. Possem & illud addere, quod narrationis Bellarminianæ seriem non parum facit suspectam, videlicet, Augustinum, quod Bellarminus Ei adscribit, id non memorare, quasi à se, sed tanquam ab alio factum. Res ibi sequentem in modum habet: *Vir tribunitius Hisperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cubedi adpellatum, ubi cùm adflictione servorum & animalium suorum, domum suam Spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros me absente Presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus cederent orationibus. Perrexit unus, obtulit ibi Sacrificium corporis Christi, orans, quantum potuit, ut cessaret illa vexatio. Deo protinus miserante cessavit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis adlatam, ubi sepultus Christus tertiô die resurrexit, eamque suspenderat in suo Cubiculo, ne quid mali ipse etiam pateretur. At ubi domus ejus ab illâ infestatione est purgata, quid de illâ fieret terrâ, cogitabat; quam diutius in suo cubiculo reverentiæ causâ habere nolebat. Fortè accidit, ut Ego & Collega tunc meus, Episcopus Synitensis Ecclesiæ, Maximinus in proximo essemus. Ut veniremus, rogavit; & venimus. Cùmque nobis omnia retulisset, etiam hoc petivit, ut foderetur alicubi, atque ibi locus fieret orationum, ubi etiam possent Christiani ad celebranda, quæ Dei sunt, congregari. Non restitimus, factum est.* Sunt non omninò nulla, quæ in collatione hujus testimonii, etiamsi indubitatò esset Augustini, cum citatione Bellarminianâ merentur animadversionem. Aliis omnibus prætermissis, illud antè omnia, quod dixi, venit notandum, Bellarminum Augustino adscribere, quod soli non resistentiæ Ejus hic adscribitur. Cadit hinc illatio Bellarminiana, quâ ad majus concludit à minori, putans, ipsam Crucem Dominicam in multò majori honore habitum iri ab Augustino, qui terræ particulam tanti æstimasset ex illâ regione adlatam. Largiamur verò ex abundanti, finamus verum esse, quod hic memoratur, admittamus etiam, ex merâ tamen & gratuitâ liberalitate, id quod Bellarminus quasi ab ipso factum Augustino narrat, ad minimum, consensu suo adprobaverit terræ Hierosolymis adlatæ infossionem, & super eâ Oratorii alicujus constitutionem. Quid inde? Anne sequitur, Sanctum Patrem ipsam hanc terræ particulam adorasse, aut ejus adorationem in aliis adprobasse? Minimè id quidem, & ne per prolixissimam consequentiarum mutuò sese amplectentium catenam, nisi à baculo ad angulum, id est, absurdissimè quis argumentari velit. Non adeò impertinenter fortè huc refertur, quod Sacri Regum in populo Dei Annales de *Naeman*, Syriæ Regis Ministrorum primario, à Leprâ per Jordanis aquas ex consilio Prophetæ Elisæi miraculosè liberato, & hinc ad salvificam Dei cognitionem perducto memorant, Eum in discessu à Prophetâ licentiam impetrasse, aliquam terræ partem ex regno Israel secum in Syriam devehendi, ob causam, quam præter alios Interpretes *Sanctius* verbis sequentibus explicavit: *Sicut, qui curati fuerunt à Christo, & à corporali morbo liberati, spiritualem quoque acceperunt Salutem; sic etiam leprosus iste sic est ab illo inveterato morbo liberatus, ut sanato corpore acceperit & animæ salutem. Quare statuit, non jam sibi amplius cum religione patriâ Syrorumq; Diis esse futurum commune; novas dicebat Aras sibi esse excitandas, & alias longè immolandas esse victimas. Atq; adeò, cùm impium putaret ac sordidum Syriæ pulverem, quem toties calcavisset pes Idololatriæ, & in quo immania Idolorũ monstra jam pridem fuerant dominata, oravit ab Elisæo, sibi ut liceret ex terrâ Israelitide, quam putabat sacram, & electam à DEO quondam audierat, tantum in Syriam exportare secum, quantum duorum burdonum justum esset pondus, ut sibi videretur esse non in execrando Syrorum solo, aut in eo sacrificare, sed in religioso & sacro electi à Deo populi.* Si Bellarmino de hoc Naeman postulato, quod ab Elisæo Prophetâ obtinuit, dicenda fuisset Sententia, sine omni dubio statuisset, Eum

II. Reg. 5.

Eum hanc terram, quam è regno Israel secum sumsit, imò non hanc solùm, sed & ipsas Jordanis aquas, per quas à lepra fuit liberatus, adorasse, ac utrique Elemento Divinos exhibuisse honores, quorum tamen neutrum Textus habet, neque *Sanctius* etiam, Interpretum inter suos perspicacissimus, vidit vel agnovit, quidquid *Serario* & aliis videatur, qui non ineptum indè argumentum pro Crucis Dominicæ & reliquiarum de Sanctis cultu superstitioso & indebito deduci posse existimat, quos suis relinquimus thesauris à se quam-maximè æstimatis, Evangelicæ promissioni de vi & efficaciâ Crucis non ligneæ firmiter & constanti fiduciâ inhærentes.

Sed jam plus ultra cum Bellarmino nobis est eundum, nimirum ab ipsâ Cruce Dominicâ, de cujus Inventione & veritate non exiguæ sunt dubitandi causæ, ad Imaginem Crucis ejusque cultum & venerationem, quam iterùm non unius generis & speciei argumentis probatam dare studuit, & quidem in primam collocans aciem illud *Filii hominis signum*, quod in secundo ad Judicium adventu adpariturum ipse futurus Judex Christus prænuntiavit, quod *omnes ad unum* Veteres Ecclesiæ Doctores, adeòque & Augustinum, *exponere de Cruce*, audacter iterùm pronuntiat Bellarminus, & de universo Patrum choro plus justo liberalis, & circa Augustini authoritatem non omninò indubius, ad eum Sermonem provocans, qui & inter *Chrysostomi* Homilias exstat, & quem Augustini fœtum esse, non imprudenter adeò dubitatur; quamvis si & hic de neutro dubitaremus, nulla iterùm exindè pro Crucis adoratione adpareat ratio concludendi, nisi impertinentissima & quam-maximè inconsequens, præterquam quod ipso teste Bellarmino nondum omninò certum videtur, an ipsa Crux lignea, in quâ Christus Salvator Mundi pependit, & cujus tot in universo, quâ patet, orbe Papæo particulas, ad centum fortè cruces, ne quid amplius dicam, suffecturas, superstitiosi Stavrolatræ ad cultum & quasi vænum exponere solent, quæstum de Cruce per fraudem non adeò piam facientes; an verò saltem ejus imago in aere vel nubibus sit adparitura, pro cujus cultu Bellarminus hic arma cogit, quæ porrò breviter, quantum Augustini authoritas requirit, sunt examinanda. Et quidem ad *tertium* pro cultu hoc demonstrando argumentum, quod ab usu & testimoniis Veterum est desumtum, duplici ex Augustini Scriptis utitur testimonio. Priori, quo testatus est Pater Sanctus, *Principes terrarum in Christum credentes prohibuisse aliquem nocentium crucifigi*, id quod Bellarminus ex Sozomeni authoritate inprimis Constantino verè Magno adtribuit, eumque in finem monet factum, *ut Crux non amplius horrori, sed amori & venerationi omnibus esset.* Sed, quæso, quæ iterùm est consequentia? Constantinus cæterique Imperatores Christiani publico caverunt Decreto, ne deinceps Cruci adfigerentur facinorosi, idque in honorem Crucis Dominicæ; ergò ipsa Crux & Imago ejus adorari debet. Concurrite, quotquot estis Logici Papistæ, etiam Mexicani, regulas consequentiarum & conclusionum Dialecticarum ritè docti, & an Bellarminus, bella, arma, minas contra quosvis sui temporis hæreticos maximo, quo potuit, impetu & studio movens, tractans, jaciens, nihilque omninò intentatum relinquens, fideli in Logicorum Scholis Doctore & Magistro sit usus, anque necessariis ad refellendas hæreses instrumentis adcesserit instructus, pro eâ, quâ polletis Ingenii dexteritate, in gratiam Veritatis judicate, & si potestis, vestrum in hoc Stadio discipulum juvate. Sed hâc opè etiam indigebit Bellarminus, si & *alterum* Augustini testimonium ad debitum vocabimus examen. Ut enim Crucis Dominicæ Imaginem singulari cultu venerandam probet, inter alia Patrum testimonia hæc etiam Augustini verba laudat: *Qui tantum honorem tribuit supplicio suo, quid servat fidelibus suis?* Videtur Bellarminus iterùm à minori ad majus voluisse ex his verbis pro cultu & adoratione Crucis concludere; cum tamen, si invertatur argumentum, âque majori ad minus fiat conclusio, contra Crucis adorationem valere possit. Si enim Christus Dei Filius suos fideles servos adorari nusquam jussit, nec unquam eis hunc adorationis honorem servare promisit, sequitur, multò minus eum ligno crucis ejusve Imagini exhibendum esse. Ita enim omninò oportet argumentari, si ad methodum disputandi Bellarminianâ ex his Augustini verbis aliquid concludendum est; ac frustrà conatus est Bellarminus ex eis adorationē crucis elicere, quam potius exindè licet annihilare. Pari inconsequentiâ laborāt, quæ pro crucis Signo, sicut ex aliis Authoribus, ita ex Augustino etiam depromsit Bellarminus. Quæ enim iterum consequentia? Sanguis Agni Paschalis in postibus domorum significabat, Augustino teste, signum crucis in frontibus Christianorū; ergò crux vel lignū crucis adorari debet? Quæ itē est illatio, quæve ratio conclusionis? Scripsit Augustin. *Signū Crucis nisi adhibeatur sive*

Matth. 24

Serm. 18. de Verb. Dom.

Tract. 36. in Joh.

de Catech. rudib. cap. 20.

sive frontibus credentium, sive Aquæ, quâ regenerantur; sive oleo, quo chrismate inunguntur; sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Ergò secundum Augustini sententiam Crux vel Imago Crucis adoranda est? Non quidem nesciunt nec diffitentur Evangelici, fuisse prioribus Ecclesiæ Seculis propter honorem Cruci Dominicæ debitum Crucis Signum ejusque in aere formationem ad quasvis actiones profanas & sacras in usu & consvetudine celeberrimâ. Luculentum ejus rei testimonium præbet ter Tullio eloquentior & eruditior *Tertullianus*, post alias Christianorum suo tempore ceremonias & ritus hanc quoque Crucis signationem describens: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos Conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.* Et fuit hoc Signum Crucis distinctivum, quo tanquam exteriori etiam ritu Christiani à Gentilibus, tanquam Crucis Dominicæ hostibus & gravissimis persecutoribus distinguebantur, ut hoc etiam signo cognosci potuerint. Sed & illud simul certum est & indubium, fuisse hanc Crucis formationem apud antiquos Christianorum ex Instituto non Divino, sed humano. Hinc idem *Tertullianus* in proximè sequentibus: *Harum & aliarum hujusmodi Disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consvetudo confirmatrix, & fides obfirmatrix.* Ita enim hæc legenda esse, *Rhenanus* post primam in posteriore operum *Tertulliani* Editione & auctiore & emendatiore agnoscit. Non verò dicam, id quod idem *Tertullianus* alibi memorat, idololatricam inter gentiles Imitationem, quoad hanc Crucis formationem, dum *initiatos Mythræ in frontibus signatos* dicit, quam signationem in Crucis figurâ factam fuisse, *Filesacus* ex alio ejusdem *Tertulliani* loco probare conatur; cùm idem Pater eloquentissimus testetur, *Diaboli partes esse Veritatem intervertendi*, utpotè *qui ipsas quoque res Sacramentorum Divinorum in Idolorum mysteriis æmuletur.* Id autem noto, etiamsi crucis Signum & signatio suum habere possit inter Christianos fideles usum, videlicet historicum & piè memorativum, sicut olim serpens æneus in Eremo à Mose erectus Israelitis eorumque posteris fuit & esse debuit singulare Gratitudinis pro insigni Beneficio monumentum, totius humani generis redemtionem per Serpentini capitis contritorem Messiam typicè præfigurans; quia tamen huic Crucis Signo & formationi major debito honos & virtus justo amplior, per intolerabilem abusum & non sine reatu intervenientis Idololatriæ à Papæis hodie adscribitur, ægrius ferri non debet, si, quemadmodum suprà æneum Serpentem laudabili instituto vidimus abolitum & abrogatum, Evangelici ex libertate Christianâ, Crucis Dominicæ merito partâ, ad hunc signationis ritum, utpotè adiaphorum, & in sacris Literis nullibi mandatum, nullo insuper Apostolorum exemplo commendatum, cogi se & per vim injustam adigi non patiuntur, de cætero ipsius Dominicæ Crucis & Passionis æstimatores, quantum hujus Vitæ imperfectio permittit, ex debito gratissimi, quin & Christi Antecessoris sui in Vitâ & Scholâ Crucis Sectatores & imitatores studiosissimi, verè *Staurophili*.

Tract. 118 in Joh.

de Coronâ Milit. mox à princ.

conf. Rittersh. S. Lect. lib. V. cap. 14.

de Præscr. hæret. paulò ante fin.

Select. lib. II. Tract. 4. §. 15.

Nunc duo adhuc restant testimonia Augustini, quibus in resolutione objectionum contra Stavrolatriam, ad demonstrandam Signi Crucis vim & efficaciam utitur Bellarminus. Prius ita habet: *Mirum non est, quod hæc signa valent, cùm à bonis adhibentur Christianis, quando etiam, cùm usurpantur ab extraneis, qui omninò nomen suum ad istam non dederunt militiam, tamen propter honorem Imperatoris excellentissimi valent. Cùm autem non cedunt his Signis hujusmodi potestates, Deus ipse modis occultis prohibet, cùm id justum & utile judicat; nam nullo modo ulli Spiritus audent hæc signa contemnere, contremiscunt hæc, ubicunque illa prospexerint.* Quid de hoc augusti Doctoris testimonio sit statuendum, integer docebit contextus. Agit in eâ Quæstione Sanctus Pater de miraculis, quæ Moses in Ægypto coram Pharaone fecerat, & quorum aliqua Magi fuerant imitati. Ut hujus rei causam indicet, inter alia hæc etiam observat: *Cùm talia Magi faciunt, qualia nonnunquam Sancti, talia quidem visibiliter esse adparent, sed & diverso fine & diverso jure fiunt. Illi enim faciunt, suam quærentes Gloriam, illi autem Dei gloriam; & illi faciunt per quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi privata commercia vel Beneficia; isti autem publicâ administratione, jussu Ejus, cui cuncta creatura est subjecta. Aliter enim cogitur possessor equum dare militi, aliter eum tradit emtori, vel cuilibet donat aut commodat. Et quemadmodum plerique milites mali, quos Imperialis disciplina condemnat, Signi Imperatoris sui nonnullos possessores territant, & ab eis aliquid, quod publicè non jube-*

lib. 83. Quæst. num. 79.

jubetur, extorquent; Ita nonnunquam mali Christiani, vel Schismatici vel hæretici per nomen Christi, aut verba, aut Sacramenta Christiana, exigunt aliquid à potestatibus, quibus honori Christi cedere indictum est. Cùm autem malis hominibus cedunt voluntate, ad seducendos homines cedunt, quorum errore lætantur. Quapropter aliter Magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali. Magi per contractus privatos, boni Christiani per publicam Iustitiam, mali per signa publicæ Iustitiæ. Nec mirum est, quod hæc signa valent, cùm ab eis adhibentur, id est, malis, de quibus ultimò dixit Augustinus, cùm Bellarminus mentem augusti Doctoris apertè pervertens de bonis velit intellectum, contra verborum seriem & ipsam eorum structuram, nemini non Grammatices studioso obviam & manifestam; *quando etiam, cùm usurpantur ab extraneis, qui omninò suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent.* Interseruntur hic aliqua ad argumenti illustrationem pertinentia, quæ tamen Bellarminus, ut in turbido felicius piscaretur, singulari studio omisit: *Ex quibus fuit Ille, de quo discipuli Domini nuntiaverunt, quod in nomine Ejus ejiceret dæmonia, quamvis cum eis Eum non sequeretur.* Sequuntur jam, quæ Bellarminus adtexuit prioribus: *Cùm autem non cedunt his Signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id justum atque utile judicat; nam nullo modo illi Spiritus audent hæc signa contemnere contremiscunt enim, ubicunque illa prospexerint.* Accedunt adhuc aliqua, quæ porrò rem hanc uberius declarant: *Sed nescientibus hominibus aliud jubetur Divinitus vel ad confundendos malos, cùm eos oportet confundi sicut de Scevæ filiis in actibus Apostolorum legimus, quibus ait immundus Spiritus:* Jesum scio & Paulum novi, vos autem qui estis? *vel ad admonendos bonos, ut proficiant in Fide, atque ista non jactanter, sed utiliter possint; vel ad discernenda Ecclesiæ membrorum dona, sicut Apostolus ait: Numquid omnes habent virtutes, numquid omnes habent dona curationum?* Nullibi in his Augustini verbis, neque etiam in antecedentibus & consequentibus, expressa signi Crucis, sed tantum in genere signorum, per quæ suo adhuc tempore homines ab obsessione Sathanicâ liberatos fuisse monuit Augustinus, facta est mentio, nec quasi alicujus doni in Ecclesiâ perpetui & ordinarii, adque omnes in universum Christianos fideles pertinentis, sed quod Paulus inter extraordinaria retulit, quæ hodienùm in Ecclesiâ vigere, nescio, an quis prudenter adfirmare possit. Et tamen Bellarminus audacter huic testimonio instar Lemmatis præfixit, dicere in eò Sanctum Patrem, *indictum à Deo dæmonibus, ut cedant Cruci, tanquam summi Regis sceptro, quomodo populi militibus cedunt, cùm ab istis profertur signum Imperatoris.* Probatam videlicet voluit hâc ratione vim & virtutem signi Crucis Dæmonum terrificam, quem effectum tribus de causis eam habere statuit, nimirum, *& ex adprehensione Dæmonis, & ex devotione hominis,* id est, juxta subjunctam explicationem, *ex opere operantis, & ex instituto DEI* sive *ex opere operato.* Judicet Lector, an pertinenter ad hæc Augustinus fuerit laudatus testis?

Posterius Sancti Patris testimonium ideò fuit à Bellarmino productum, ut demonstraretur, *id quod precibus explicitè petimus, idem peti implicitè per signum Crucis.* Addit Bellarminus, *nec posse nec debere negari, quin etiam aliqua Sanctitas accedat rebus, cùm Cruce signantur; non quidem talis Sanctitas, quæ sit aliqua qualitas Physica, sed sanctitas in relatione consistens, qualis est clavorum, vestium, aliarumque rerum, quæ Christum aut sanctos tetigerunt, & qualis est eorum, qui tangunt reliquias Sanctorum.* Subjungit porrò hanc consequentiam: *Si contactus reliquiarum sanctificat, cur non etiam contactus vexilli salutaris?* Certè Augustinus id adserit, scribens: *Catechumenos secundum quendam modum suum, per signum Christi & Orationem manûs impositionis puto sanctificari; & quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen.* Si Bellarminum hic quoque mentem Sancti Patris non percepisse dicam, non præter rem erit aut meritum. Infrà iteratò sub examen occurret hoc testimonium. Nunc id solùm noto contra Bellarminum, non agere hic Augustinum de signo Crucis solitario, ejusque vi & efficaciâ, sed *de signo Sacramentali, precibus juncto,* & eo quidem in latiori significatu, quod nimirùm Catechumeni à Baptismi & Eucharistiæ Sacramento eorundemque participatione remoti in eorum vicem acceperunt. *Et hæc de testimoniis* Augustini, quæ Bellarminus ad demonstrandam Crucis Dominicæ adorationem, vimque ejus & virtutem ostendendâ produxit: Miror autem, Eum, dum inter figuras Crucis Dominicæ typicas in Vet. Test. exhibitas Virgam Mosis quoque retulit, Augustini de typica hâc comparatione testimonium omisisse, quod in gratiam Lectoris huc exscribendum duxi: *Virga Mosis myste-*

lib II. de peccat. merit. & remiss. cap. 26.

Serm. 6. de Temp.

mysterium Crucis præferebat. Sicut enim per virgam Ægyptus decem plagis percutitur, ita & per Crucem totus mundus humiliatur & vincitur. Et sicut Pharao & populus ejus per Virgæ Sacramentum adstigitur, ut ad serviendum DEO dimittat populum Ebræorum; Ita & Diabolus & Angeli ejus per mysterium Crucis fatigantur & premuntur, ut à DEI servitio revocare non possint populum Christianum. Et post aliqua: *Quod autem Virga in terram projecta in serpentem versa est, quid significet, videamus. Serpens pro sapientiâ reputatur, sicut Dominus in Evangelio inquit,* Estote prudentes, sicut serpentes. *Virgam diximus figurâsse Crucem. Crux ergò, quæ infidelibus stultitia esse creditur, sicut Apostolus dicit,* Gentilibus stultitia; *posteaquàm missa est in terram, id est, ad Passionem Domini præparata, in serpentem est versa, hoc est, in sapientiam, & in tantam Sapientiam, quæ omnem mundi istius sapientiam devoraret, denique omnes serpentes, quos Magi suis incantationibus fecerant, deglutivit. Per Virgam ergò Ægyptus flagellatur, & per Crucem mundus vincitur, & diabolus superatur.* Hæc Ille Doctor augustissimus, quæ tamen non de Cruce ligneâ, aut ejus Imagine vel signo, sed de Evangelicâ prædicatione Crucis & Passionis Dominicæ, ejusque vi & virtute intelligenda esse, Lector attentus & à præjudiciis liber facilè perspicit. Et hactenus Evangelici cum Augustino sunt *Stavrophili*, nullo autem modo cum Papæis Stavrolatræ, qui sicut non immeritò detestantur insolentem *Vasquezii*, subtilissimi aliàs communi suorum judicio, hic verò crassissimi Disputatoris audaciam, statuentis & defendentis, *res omnes etiam inanimas & irrationales ritè adorari posse*, *in Vindiciis* etiam Anti-Thomisticis *D. Dorscheo* duce castigatam; ita multò minus suo adprobare calculo possunt *Lugonis* inauditam hactenus novitatem, quâ scribere & fictis quibusdam è cerebro malè sano ratiunculis demonstrare sategit, *Crucem mali Latronis, qui cum Christo fuit crucifixus, si nunc extaret, posse coli & adorari, sicut omnes aliæ Cruces, secluso etiam scandalo, si fortè aliquod esset apud ignaros & simplices*; hanc inprimis ob rationem, *quia Crux illa non minus repræsentaret Christi crucem, quàm aliæ, indecentia autem, quam ex contactu Latronis habuit, non videatur talis & tanta, ut hunc venerationis titulum absorbeat.* Ad quæ nunc nihil addo, nisi quod non ita pridem *Launojus*, Sorbonista, si quis alius, mentis apertissimæ, contra adsertiones quasdam è Theologiâ recentiori Scholasticorum desumtas, ex Augustino observandum monuit: *Philosophi liberis loquuntur verbis, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem aurium religiosarum pertimescunt; nobis autem* (Theologis Christianis) *ad certam loqui fas est regulam, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.*

Serm. 86. de Temp.

de Incarn. Domin. in Adpend. p. 537. & seqq.

Tom. V. Epist. 4. pag. 11.

LIBRI TERTII
De
ECCLESIA TRIUMPHANTE,
CAPUT QUARTUM & seqq.
De
Templis Sanctorum.

PRætermissis hic omnibus, quæ Bellarminus prolixissimè contra varios Templorum hostes adduxit; illo etiam mendacio non prolixè refutato, quo Bellarminus contra omnem veritatis speciem impudenter mentiri non erubuit, *Lutheranos reprehendere Templa ad orandum destinata, & quod certo consecrentur ritu, magnisque Sumtibus ornentur*, de quo etiam in citatis modo *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* breviter actum; id ante omnia hic in controversiam & quæstionem venit, *An Templa ad propriè sacrificandum & in honorem Sanctorum sint exstruenda?* De priori infra agetur, ubi Missæ Sacrificium sub examen vocabitur. Contra posterius ipse Bellarminus sequentia ex Augustino protulit testimonia. Primum hoc est: *Si Ariani apertissimè legerent in sanctis Scripturis, Salomonem Regem lignis & lapidibus jussu Dei Templum struxisse Spiritui Sancto, Deum esse Spiritum Sanctum dubitare non possent, cui tanta religionis servitus, quæ*

contra Serm. Arian. c. 20.

Latria dicitur, legitimè exhiberetur in populo Dei, ut Illi etiam fabricaretur Templum, cùm Dominus dicat, Dominum Deum tuum adorabis, & Illi soli servies. Et eum negare audent Deum, qui non ligna & lapides, sed membra Christi habet Templum. Manifestum exindè satis est, Augustinum statuisse, Templa in honorem solius DEI esse exstruenda, & non in honorem ullius creaturæ. Secundum id apertius declarat Testimonium, quod & supra jam non semel habuimus, ubi Sanctus Pater nomine Christianorum sui temporis sequentem de hâc re edidit Confessionem: *Nos Martyribus, Templa, Sacerdotia, sacra & sacrificia non constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est DEus. Quis audivit aliquando stantem fidelium Sacerdotem ad Altare, etiam super sanctum corpus Martyris ad DEI honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane; cùm apud Eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit, ut eâ celebritate & Deo Vero de Illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque Palmarum, eodem invocato, in auxilium ex memoriæ eorum renovatione adhortemur.* Tertium cum primo ferè convenit, & ita habet: *Nonne, si Templum sancto alicui Angelo* (eique) *excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à Veritate Christi & ab Ecclesiâ Dei; quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo?* Bellarminus quidem *Erasmo* hanc adtribuit Glossam marginalem: *Hoc nunc fit quibuslibet Divis.* Sed eadem legitur in Editione *Parisiensi* ante hoc Seculum publicatâ, vix inventura locum, nisi Experientia animis oculata eam confirmaret. Et notandum venit, fuisse unicum hoc Augustini testimonium sufficiens visum *Blondello*, authoritatibus Patrum alias instructissimo Scriptori, & Papatûs inque eo Primatûs oppugnatori felicissimo, quo demonstraretur, *Inauditam fuisse Augustini tempore Templorum ulli sancto vel homini vel Angelo Dedicationem.* Ut autem mens augustissimi Doctoris amplius pateat, lubet præter tria hæc Bellarmino laudata etiam alia ex Eodem videre testimonia, Dedicationem Templorum sanctis vel hominibus vel Angelis factam infirmantia & improbantia: Primum est: *Si Templo, si Sacerdote, si sacrificio, quod Vero debetur Deo, colatur aliquod Elementum mundi, vel creatus aliquis Spiritus, etiamsi non immundus & malus; non ideò est malum, quia illa sunt mala, quibus colitur, sed quia illa sunt talia, quibus solus ille sit colendus, cui talis cultus servitusque debetur.* Secundum est ex eodem opere de Civitate DEI, huic per omnia parallelum: *Nos Martyribus nostris non Templa sicut Diis, sed Memorias, sicut hominibus mortuis, quorum spiritus vivunt apud Deum, fabricamus; nec ibi Altaria erigimus, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & Martyrum & nostro Sacrificium immolamus, ad quod Sacrificium sicut homines Dei, qui Mundum in Ejus confessione vicerunt, suo ordine & loco nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur, Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoriâ Eorum sacrificet, quia DEI Sacerdos est, non illorum.* Tertium quoque suprà jam fuit laudatum, hic tamen omninò cum cæteris repetendum: *Honoramus Angelos charitate, non servitute, nec eis Templa construimus; nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cùm boni sumus, summi DEI Templa esse noverunt.* Hæc omnia Augustinus, quibus nescio an magis improbare potuerit & detestari Dedicationem Templorum sanctis vel Martyribus vel Angelis factam vel faciendam. Et tamen Bellarminus his non obstantibus, suam de hâc Controversiâ propositionem, *sacras domus non DEO solùm, sed Sanctis etiam rectè ædificari & dedicari*, inter alia Augustini etiam consensu confirmare est annisus, ad ea provocans loca, in quibus Basilicæ, loca & Memoriæ Apostolorum & Martyrum nominantur, ut exempl. gr. *Basilica Felicis Confessoris* in specie, in genere autem *loca Martyrum & Basilicæ Apostolorum.* Quorsum pertinere etiam putat Bellarminus, quod idem Sanctus Pater alibi nomine Christianorum contra accusationem Manichæorum ita legitur scripsisse: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ solennitate concelebrat.* Et contra Hermetem Trismegistum, cujus in proximè antecedentibus ex Eodem augustissimo Doctore facta est mentio: *Hoc videtur dolere, quod memoriæ Martyrum nostrorum Templis eorum delubrisque succederent.* Sed respondum ipse suppeditat Bellarminus, dum ad testimonia contra Dedicationes Templorum Sanctis factas, duas producit solutiones. *Priorem* dicit esse quorundam recentiorum, de quibus inquit, quod quia non distinguant inter Templum & Basilicam, existiment, sacras ædes non posse erigi propriè, nisi DEo, quemadmodum sacrificia non-nisi DEo offerantur; quia tamen plurima sint Templa, quæ Deo dicantur, ut possint inter se

aliquo

lib 8. de Civ. Dei, c. ult.

lib. 1. contra Maxim. circa med.

in Apol. pro Hier. p. 282.

lib. 3. de Civ. Dei, cap. 27.

lib. 22. cap. 10.

de Verâ relig. cap. ult.

de curâ pro mort. cap. 1. l. 1. de Civ. Dei, cap. 1 lib 20 cõtra Faust. cap. 21. lib. 8. de Civ. Dei, cap. 26.

aliquo distingui modo, à Sanctis denominari, non quod eis erigantur, sed quod in illis præcipuè Templis eorum Memoriæ colantur, & ipsi illis in locis invocentur Patroni. *Hanc solutionem uberius ita explicat Bellarminus:* Quando igitur legunt in veteribus, vel audiunt in communi sermone vocari Templum vel Basilicam S. Petri, vel Pauli, vel aliorum, dicunt, hoc exponi debere modo: Hæc Basilica vel Templum est S. Petri, id est, Templum DEO dicatum in memoriam & nomen S. Petri, vel dicatum est DEO, ut ibi oretur Deus per intercessionem S. Petri, quemadmodum Missa quædam dicitur S. Petri, non quod ipsum obferatur Petro sacrificium, sed quod obferatur Deo in gratiarum actionem pro gloriâ S. Petro collata, & simul Petrus interpelletur tanquam Patronus & Advocatus apud Deum. *Addit suum de hâc solutione judicium Bellarminus:* Hæc sanè pia est Expositio & conformis ritui Ecclesiæ, qui servatur in consecratione Templorum. Nam aliquoties Pontifex in eâ ceremoniâ, dum fundit preces, dicit, se Templum consecrare in honorem Dei & nomen talis vel talis Sancti. *De posteriori hæc habet:* Altera solutio admittit, sacras domos ipsis Sanctis verè & propriè ædificari, non tamen sub ratione Templi, sed Basilicæ vel Memoriæ. Est enim observandum, secundum veterum Patrum doctrinam, Templum & Basilicam non esse synonyma; & licet de eâdem domo sæpè dicantur, tamen sub diversissimis dicendi rationibus. Nam sacra ædes propriè Templum dicitur, quatenus erigitur ad sacrificia. Eadem sacra ædes dicitur Basilica, quatenus erigitur ad ornatum sepulchri alicujus Sancti, & commoditatem visitantium ejusmodi reliquias; Basilica enim non dicit relationem ad sacrificia, nam Palatia Regum dicuntur etiam Basilicæ, imò propriè dicuntur Basilicæ, & indè nomen est translatum ad ædes Martyrum significandas, quod etiam videmus in Altaribus. Nam unus & idem lapis dicitur Altare, quatenus in eo sacrificatur DEO, & idem dicitur tumulus vel Sepulchrum, quatenus tegit ossa Martyris alicujus; omnia enim Altaria sunt sanctorum sepulchra. Et sicut lapis ille dicatur verè sancto, non sub ratione Templi, sed sub ratione Basilicæ: Et quemadmodum Idololatria esset erigere Sanctis altaria, & tamen non est Idololatria, lapideos illis tumulos erigere; ita Idololatria esset, erigere sanctis Templa, sub ratione Templi, non tamen Idololatria est, illis erigere Basilicas: Sicut etiam non est Idololatria, Sanctis aureas vel argenteas donare thecas, quibus includantur reliquiæ eorum; nihil enim aliud sunt Basilicæ, quàm magnæ quædam thecæ, quibus thecæ minores & ipsa includuntur sepulchra. Ex quibus sequitur, aliter dici Missam S. Petri, aliter Basilicam S. Petri. Nam Missa nullo modo obfertur S. Petro, nec primariò, nec secundariò; at Basilica verè ædificatur S. Petro, si non primariò, saltem secundariò. *Et hoc discrimen inter Templum & Basilicam probare studet Bellarminus ex ipsis Augustini testimoniis*, quæ contra Dedicationem Templorum sanctis faciendam fuêre adducta, undè simul responsum, ut dixi, suppeditatur, ad ea, in quibus Basilica loca, & Memoriæ Apostolorum & Martyrum in genere & in specie, vel potius in Individuo nominantur. Etsi enim in utroque responso multa immisceantur examen requirentia, & aliquatenus emendenda per eorum observationem, quæ *Samuel Petitus, & Baptista Casalius*, in Vindiciis *Anti-Thomisticis* laudati, quoad Templorum, Memoriarum & Basilicarum differentiam magis accuratè ex Antiquorum documentis fide dignis collegerunt; non tamen hic quoque desunt, quæ diligens Lector indè potest eruere, contra Dedicationem Templorum & Ecclesiarum Sanctis faciendam inservientia. *Posteriora* duo quod attinet loca, quibus ad suæ Propositionis confirmationem usus insuper est Bellarminus, in sequentibus verbis à Bellarmino omissis responsum ad objectionem indè desumtam quasi post se trahunt, & ferè eodem tenore, quo ipse Bellarminus in proximè citatis respondere nos docuit. Nihil enim ibi de Templis, de quibus in specie hic controvertitur, sed saltem de Memoriis Martyrum habetur. Ita ubi contra Faustum scribit, *Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ Solennitate concelebrat*, id quod hodienùm Evangelici facere non negligunt; finem hujus religiosæ pro Martyrum memoriâ solennitatis subjungit, fieri id nimirum *& ad excitandam Imitationem, & ut meritis Eorum consocietur atque orationibus adjuvetur, ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Martyrum DEO, quamvis in memorias Martyrum, constituamus Altaria*, multò minùs Templum. *Quis enim Antistitum in locis Sanctorum corporum adsistens Altari aliquando dixit, offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane; sed quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, apud Memorias eorum, quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione major adfectus exurgat ad*

acuendam Charitatem, & in illos, quos imitari possumus, & in Illum, quo adjuvante possumus. Cætera, quæ ibi sequuntur, suprà, ubi de ipso Sanctorum cultu fuit actum, prolixè sunt exscripta, inde huc ad præsentem Controversiam repetenda; cùm, quæ de Altaribus habet Sanctus Pater, in honorem non Martyrum, sed DEI exstruendis, multò magis intelligenda sint de Templis. Similem ferè in modum, dum augustus Doctor de Hermete Trismegisto scribit, *videtur dolere, quod Martyrum nostrorum memoriæ Templis eorum delubrisque succederent*, non id vult, quasi verè id Christianis Hermes objiciat, sed in proximè sequentibus falsitatem, quin & scopum hujus à Hermete objectionis indicat, factum id ab Eo, *ut, qui hæc legunt, animo à nobis averso atque perverso putent, à Paganis Deos fuisse cultos in Templis, à nobis autem colli mortuos in Sepulchris.* Et sicut Paganorum cultum suis Deastris exhibitum sequentibus verbis eludit: *Tantâ homines impii cæcitate in montes quodam-modo offendunt, resque oculos suos ferientes nolunt videre, ut non attendant, in omnibus literis Paganorum aut non inveniri, aut vix inveniri Deos, qui non homines fuerint, omnibus tamen honores studeant exhibere Divinos, quasi nihil unquam humanitatis habuerint*: Ita pro Christianorum causâ graviter scripsit: *Nec tamen nos iisdem Martyribus Templa, Sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus*; Quod testimonium suprà Bellarminus ipse suppeditavit, nec quod sufficienter responderet, habuit. Manet, Augustini Seculo nulla Sanctis Templa à Christianis fuisse exstructa, præter Martyrum memorias, quas à Templis, ipse iterùm Bellarminus distinxit.

CAPUT SEPTIMUM
DE
Benedictionibus Aquæ, Salis &c.

CIrca benedictionem lustralis Aquæ probandam Bellarminus præter alia ad Augustini etiam provocat testimonia, & insuper ad illud ex Augustino respondet testimonium, quod huic benedictioni superstitiosæ videtur esse contrarium. Ita autem hanc ex Augustino proponit objectionem: *Augustinus dicit, Christianos omisisse ceremoniam lavandi pedes in die Cœnæ Domini, ne videretur ea lotio ad Sacramentum Baptismi pertinere. Quare manifestum est, nullam eo tempore in Ecclesiâ lotionem fuisse religiosam excepto Baptismo.* Respondet Bellarminus, *Augustinum non damnare ceremoniam lavandorum pedum, sed recensere solùm varias opiniones; nec dicere Augustinum, ullos fuisse, quibus simpliciter ceremonia lotionis pedum displiceret, sed solùm fuisse aliquos, quibus displiceret, lavari pedes Catechumenis in die Cœnæ Domini, ne videretur illa lotio ad Baptismum necessaria; imò ibidem dicere, multis placuisse, differendam lotionem in octavam Paschæ diem.* Aliquid Bellarminus, non omnia dixit. Quin nec verè etiam scripsit, nullos apud Augustinum fuisse, quibus simpliciter ceremonia lotionis pedum displiceret; cùm expressè ibi legatur, *Ne ad ipsum Baptismi Sacramentum videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt, nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitârunt.* Accedit Bellarminum aut non attendisse, aut attendere non voluisse, quorsum hujus testimonii citatio inprimis pertineat; nimirum ut ostendatur, si ceremonia lavationis pedum exemplo Christi commendata tempore Augustini à plerisque aut non necessaria æstimata, aut non ad certum tempus fuerit restricta, ne quid Sacramento Baptismi decedere videretur; multò minus Aquæ lustralis benedictioni delatum fuisse credi debere, utpotè quæ nullo Christi exemplo aut instituto Apostolorum niteretur, nullaque ejus in Augustini Scriptis legeretur mentio. Bellarminus quidem pro hujus commendatione ad *innumerabilia* Veterum, quâ est liberalitate, provocat testimonia, interque ea varii generis & speciei ad tria ex Augustini Scriptis desumta, quæ tamen nihil aliud, quam Aquæ Baptismalis, non quæ ad singularem differentiam *lustralis* dicitur, benedictionem exhibent, ut ipsa locorum inspectio docebit. In primo certè id habetur expressè, ubi sequentia leguntur: *Baptismus, id est, salutis aqua, non est salutis, nisi in nomine Christi consecrata, qui pro nobis Sanguinem fudit, Cruce ipsius aqua signetur.* In secundo autem hæc: *Crucis Mysterio fons regenerationis consecratur; ejusdem signo per manûs impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum ejusdem crucis charactere Basilicæ dedicantur, Altaria consecrantur, Altaris Sacramenta cum interpositione verborum Dominicorum conficiuntur; Sacerdos & Levita per*

Epist. 119. ad Jan. cap. 18.

Homil. 27 ex 50. Homil.

Homil. 19. de Sanct.

hoc

hoc idem ad Sacros ordines promoventur, & universaliter omnia Sacramenta Ecclesiastica in hujus virtute perficiuntur. In tertio extat: *Nulla iniquitas est impunita, nisi quam Sanguis expiaverit Mediatoris, cujus Crucis signo consecratur unda Baptismatis, ut eâ diluatur reatus tanquam in Chirographo scriptus.* Manifestum est ex his, agere Augustinum de Benedictione Baptismalis aquæ, olim per Crucis Signum factâ; & tamen audet Bellarminus hæc loca citare, quasi Augustinus in eis dixerit, *Aquam lustralem*, de hâc enim est controversia, *Signo Crucis in Ecclesiâ esse consecratam.* Neque sincerius agit, ubi benedictionem olei & panis extra Eucharistiam ostendere ex Augustino laborat. Et de Benedictione quidem olei testimonium ante, ubi de Crucis signo actum fuit, vidimus his verbis: *Signum Crucis nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, quâ regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur; sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Mentio quidem hic fit Benedictionis olei per Crucis signum faciendæ ad chrismationem baptizatorum, sed non tanquam peculiare & separatum à Baptismo Sacramentum, verùm quasi peculiarem ad Sacramentum Baptismi pertinentem circumstantiam, de quâ suo infrà loco ex professo contra Bellarminum & alios recentiores agetur. Testimonium *de panis extra Eucharistiam benedictione* itidem paulò ante habuimus, tamen & hic iteratò reponendum, ut fraus Bellarmini eò manifestior adpareat. Ita autem scribit Sanctus Pater: *Catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi & orationem manûs impositionis puto sanctificari; & quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen & sanctius, quàm cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum est.* Vidimus, ut dixi, ante, Augustinum hic loqui de signo quodam Sacramentali ad Catechumenos ante participationem Corporis & Sanguinis Dominici in Eucharistiæ Sacramento per illius tum Statûs rationem pertinente, quod ad tempus aliquod, donec baptizarentur, & per susceptionem Baptismi in numero fidelium haberentur, instar ipsius Sacramenti Eucharistiæ fuit, & quo Catechumenos in illo statu contentos esse oportuit: Bellarminus autem id Signum suprà de eâ Crucis signatione intellexit, cui singularem ex opere operantis partim, partim ex opere operatô virtutem adscripsit, à Cellotio, suæ Societatis homine refutatus. Hic verò ad benedictionem Panis *extra Eucharistiam* refert, quem tamen ipse Augustinus à communi cibo & pane, tanquam sanctum & hoc sanctiorem separat, imò Sacramentum, sensu quamvis latiore, nominat.

lib. 6. contra Julian. cap. 8.

Tract. 118 in Johan.

lib. II. de peccat. merit. & remiss. cap. 26.

CAPVT OCTAVUM,
De
Peregrinationibus.

BRevis hic est Bellarminus, ideò & paucis hic dimittendus; unus enim tantùm est locus Augustini, quem ad Peregrinationum, ut vocant, sacrarum commendationem citat, non omninò prætermittendus. Exhibet is exemplum duorum, quorum alter alterum nefarii criminis accusârat, & quos Augustinus tandem, tentatis omnibus mediis, quibus innocentiam & veritatem rei putavit manifestam posse fieri, sed frustra & in vanum, cùm aliud amplius nô esset super, ex illius Seculi receptâ jam consvetudine, quam omninò mutare aut abrogare, in Ejus non fuit potestate, eò adegit *ut certo placito se ambo constringerent*, (fortè, obstringerent) *ad locum Sanctum se peregrinaturos, ubi mirabiliora DEI opera non sanam cujusque Conscientiam multò facilius aperirent, & ad confessionem vel pœnâ, vel timore compellerent*, quæ ipsa Augustini sunt verba, quibus sequentem cum responso adjicit objectionem: *Ubique quidem Deus est, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia: & Eum à veris adoratoribus in Spiritu & Veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiam justificet & coronet. Verumtamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis consilium Ejus potest perscrutari, quare in aliis locis hæc Miracula fiant, in aliis non fiant?* Est hoc exemplum speciale, ad receptam illius Seculi consvetudinem, ut dixi, referendum, quo cum si conferantur Exempla peregrinationum, quæ hodiè numero ferè innumero, ad varia jactatæ Sanctitatis Elogio celebratiora hic & ibi loca, non sine plurimâ superstitione, ut alios abusus detestandos inque publico notos non prolixè urgeam, solent fieri; magna in plerisq; circumstantiis adparebit diversitas, & tanta quidem, ut si Augustinus hodie peregrinantium mores, studia, scopum præprimis & finem, qui hic ante omnia debet attendi, accuratius & coràm

Epist. 137. ad Clerum &c.

intueretur, adeò non probaret vel quenquam ad id faciendum hortaretur, ut potius omni conatu reprobaret, ac quosvis fideles ab inutili non solùm, sed simul etiam noxiâ re dehortaretur, hocque peregrinandi studium manibus pedibusque impediret. Ut enim ita de Augustino sentiamus, facit, quod alibi de peregrinationibus hisce tanquam minus necessariis hæc scripsisse vel dixisse legitur: *Non dixit Dominus ad te, vade in Orientem, & quære Iustitiam; naviga usque ad Occidentem, ut accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi; indulge, & indulgebitur tibi; da, & dabitur tibi. Nihilà te extra te quærit DEus; ad teipsum & tuam te conscientiam dirigit, in te posuit, quod requirit. Non enim medicamenta vulneribus tuis longè opus habes inquirere: Peccatorum tuorum indulgentiam si vis, intus in cellario cordis tui poteris invenire.* Stalenus quidem in suo *Peregrino ad loca Sancta orthodoxo* sive *Vindiciis sacrarum Peregrinationum* &c. ad hoc Augustini testimonium & similes Chrysostomi & Bernhardi Sententias respondet, *eas nihil aliud velle, quàm remissionem peccatorum à loco non dependere, sed ubique Divino nutu & Gratiâ obtineri posse*; & hoc Papistas non diffiteri, *neque peregrinationes facere medium Salutis simpliciter necessarium, quod tamen sit conveniens & admodùm utile & patrocinale.* Sed si remissio peccatorum à loco non dependet, Gratiâ DEI ubique pœnitentibus obviâ; si peregrinationes hæ ad impetrandam Salutem non sunt necessariæ, neque medii, neque præcepti, neque etiam Exempli in sacris commendati ratione; cur ergò miseri homines, solâ simplicitate & nimiâ credulitate, verius autem intolerandâ Superstitione à suis commendati, tantis cum sumtibus, periculis, ambiguitatibus, fastidiis, nullo planè cum fructu, si non ut plurimum maximo cum animæ corporisque damno, ut de multorum scandalo & hic nihil dicam, huc & illuc ad loca, quæ dicuntur præ aliis Sancta, cur non sacerrima? ducuntur vel potius seducuntur, & per impositæ satisfactionis vel satis-passionis indebitum & immoderatum rigorem, sub obtinendæ singularis Indulgentiæ & Divini favoris prætextu inani, jubentur & coguntur ire? Esse hoc conveniens, admodùm utile & patrocinale, ut *Staleno* Peregrinationum patrono scribere visum est, Evangelicis nunquam persvadebitur, quibus non immeritò res hæc ad illud pertinere jugum videtur, sub quo non pauci multis cum lamentis gemunt, imò humanâ ope & Gratiâ destituti, inter peregrinandum, cursu non absoluto, solatio Indulgentiæ non impetrato, peccatorum onere, quorum remissionem non acceperunt, gravati, pœnas eorum ideò mente præsentientes, miserrimè æternumque pereunt, nisi ineffabilis Gratia DEI eis inter hæc pericula succurrat, eamque posthabitis humanarum traditionum stipulis Fide quamvis infirmâ, modò verâ, Spiritu Sancto intus operante, amplectantur. Ne autem his molestiis & periculis objiciantur veri fideles, Augustinus alibi cavit, notanter scribens: *Veni ad Christum, noli longa meditari itinera. Ubi credis, ibi venis. Ad illum enim, qui ubique est, amando venitur, non navigando. Sed quoniam in tali etiam itinere fluctus & diversarum tentationum tempestates abundant, in crucifixum crede, ut Fides tua lignum possit adscendere. Non mergeris, sed ligno portaberis.*

Serm. 47 de Sanct.

Tract 6. cap. ult.

Serm. II. de verb. Apost.

CAPVT NONUM,

De

Votis ad Sanctos.

ET hic unicum ex Augustino testimonium erit vindicandum, quanquam non ipsius Augustini, sed Antagonistæ verba exhibens, contra cujus accusationes Sanctus Pater orthodoxam Veritatem defendit. Agnovit id ipse Bellarminus, undè hoc testimonium non retulit inter cæterorum Patrum loca, quibus hæc ad Sanctos Vota confirmare est annisus, sed tanquam adversarii testimonium laudavit, scribens: *Faustus Manichæus apud Augustinum dicit, Idola vertistis in Martyres, quos Votis similibus colitis.* Addit Bellarminus, *ex quo Fausti testimonio discimus, usitatissimum in primitivâ fuisse Ecclesiâ, ut Martyribus vota fierent.* At plus in conclusione Bellarminum, quàm in præmissis habere, & per se manifestum est, & mox uberius declarabitur. Quis enim, quæso, ab accusatione adversarii ad rei vel accusationis veritatem docuit concludere? Si accusâsse sufficiat, quis hominum inter homines erit & manebit innocens? Certè non nisi pessimè cum antecedentium Seculorum fidelibus Christianis fuisset actum, si eorum omnium sustinere debuissent culpam, quorum causâ à juratis hosti-

hostibus coram Romanis Imperatoribus, tam quoad doctrinæ, quàm Vitæ genus fuêre accusati, & non minus calumniarum, quàm persecutionum ventis pressi, nunquam tamen ita oppressi, ut non & inter has plurimi per DEI gratiam conservarentur, & ab his se gravibus Apologiis liberarent, publicè suam orbi testantes Innocentiam. Et quid hodiè de Evangelicorum doctrinâ fiet, si ex Adversariorum Scriptis judicium de eâ sit faciendum, cui tot opinionum monstra solent adfingi, ut nisi dudum sibi injuriam fieri, suamque ostendissent orthodoxiam, indigni omninò essent, quibus non dicam inter Christianos, sed inter homines aliquis concederetur locus. Sed benè est, quod, etsi semper aliquid hærere audacter calumniantibus videatur, semper tamen DEI gratiâ super aliqui sint, in quorum oculos & hostium malitia incurrit & accusatorum innocentia, unde non parum Solatii ad hos devenire solet, Experientiâ omnium rerum magistrâ comprobante, bonam tandem Bono cum DEO causam contra iniquos calumniatores triumphare, hisque notam infamiæ & levitatis ex debito inuri. Verùm ad rem & Augustinum, ipsamque de Votis ad Sanctos doctrinam, qualis nimirum Augustini tempore fuerit. Juvat autem Illius accusationis, cujus aliquam partem Bellarminus pro Instituti ratione excerpsit, integrum systema huc exscribere, ut responsum sit eò facilius. Ita verò eam exhibet ex ore Fausti Augustinus: *Vos desciscentes à gentibus Monarchiæ opinionem primò vobiscum divulsistis, id est, ut omnia credatis ex DEO; Sacrificia verò eorum mutastis in Agapos*, Idola in Martyres, quos votis similibus colitis; *defunctorum umbras Vino placatis & dapibus, solennes gentium dies cum ipsis, ut Calendas & Solstitia celebratis. De vitâ certè mutastis nihil. Estis sanè schisma, à Matrice suâ divulsum; nihil habens, nisi conventum.* Sequetur autem ex his juxta rationem concludendi Bellarminianam, Christianos fideles Augustini tempore non solùm Martyres Votis, qualibus Ethnici sua coluerunt Idola, & sub Idolis Deastros, coluisse, sed & defunctorum umbras itidem pro more Gentilium ad sepulchra Vino & dapibus placâsse, imò ad Imitationem eorum Solennitates & Festa, Calendarum inprimis & Solstitiorum, celebrasse, quod tamen ex Augustini ac coævorum Ecclesiæ Doctorum Scriptis nunquam demonstrabitur. Ut autem, cæteris accusationum partibus prætermissis, utpotè ad hoc propositum impertinentibus, de Votis ad Sanctos in specie nunc agamus, ob quæ Faustus apud Augustinum Christianos accusavit, non sine responso & Apologiâ dimissus, quam dum Bellarminus non attendit, huc omninò opus est adscribere, quantum ad rem ipsam erit necessarium, ut & falsitas accusationis Faustinianæ, & inanitas illationis Bellarminianæ Luci exponatur. Ita autem post aliquot capita Doctor augustissimus: *Quod etiam hinc nobis calumniatur Faustus, quod Martyrum memorias honoramus, dicens, in hoc Idola nos convertisse, non tam me movet, ut huic respondeam calumniæ, quàm ut ipsum Faustum studio calumniandi ab ipsius etiam Manichæi vanitatibus exorbitare voluisse, & in vulgarem atque poeticam Paganorum opinionem, à quibus se alienissimum cupit videri, nescio, quo modo incautum incidisse ostendam.* Hocubi exposuisset Sanctus Pater, (quâ vi consequentiæ, ad præsens Examen non pertinet) ea subjungit, quæ suprà jam habuimus, ubi de Templis Sanctorum vel Sanctis dedicatorum ex occasione actum est, in quibus ne verbulo Votorum ad Sanctos facta est mentio, quo ipsomet accusatio Faustiniana & illatio Bellarminiana, tanquam omni carens fundamento abit in fumum, Votificibus Papistarum hodiernis Augustini consensu destitutis.

lib. 20. contra Faust. cap. 4.

cap. 21.

CAPUT DECIMUM
DE
Diebus Festis,

EX numero quatuor Propositionum, quas Bellarminus ad hujus argumenti illustrationem adduxit, ultima tantùm breviter venit examinanda, his constans verbis: *Non tenemur diebus Festis ex præcepto peculiari ad non peccandum, sive ad actum contritionis vel dilectionis DEI.* Quis scopus hujus Propositionis à Bellarmino factæ fuerit, non ita facilè licet divinare, nisi quod videatur præludere Bellarminus voluisse illi doctrinæ morali, quæ utramque hodie paginam in Scriptis Theologorum partis adversariæ, non sine domesticorum, nedum aliorum scandalo, solet obtinere. Ad quid enim requiritur præceptum peculiare ad non peccandum sive ad actum dilectionis DEI, dies

in specie Festos respiciens, cùm generale præceptum ad omnia in universum tempora sufficiens esse debeat, nulloque non tempore homo ad non peccandam adque dilectionem Dei sit obligatus? Non ergò opus fuit, ut in defectu præcepti peculiaris hæc fieret Propositio, quæ nihil aliud, quàm Conscientiæ laxitatem indebitam post se trahit. Quamvis, si æquâ lance rem hanc totam ponderaverimus, Lex Sabbathi in specie, in cujus locum dies Dominica successit, non destituatur peculiari præcepto ad non peccandum, adque dilectionem DEI. Si enim Dies hæc debet sanctificari, id est, sancta haberi, quod nihil aliud significat, quàm DEI cultu consumi, ad Dei dilectionem omninò id pertinere, manifestum est. Si porrò homines hoc die à servilibus expressâ Lege prohibentur operibus, annon multò magis opera peccati esse prohibita credendum est. Agnovit id Doctor noster augustissimus, peculiare hoc præceptum ad non peccandum in Lege Sabbathicâ ostendens, dum de differenti inter Judæos & Christianos observatione Sabbathi ita scripsit: *Iudæi serviliter observabant diem Sabbathi, ad luxuriam, ad ebrietatem. Quantò melius fœminæ eorum facerent lanam, quàm illo die in Neomeniis saltarent? Absit, fratres, ut illos dicamus observare Sabbathum. Spiritualiter observat Sabbathum Christianus, abstinens ab opere servili. Quid est, ab opere servile? à peccato. Et undè probamus? Dominum interroga, omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Ergò & nobis spiritualiter observatio Sabbathi præcipitur.* Tract. 3. in Joh. Similem ferè in modum alibi: *Observa diem Sabbathi, non carnaliter, non Iudaicis delitiis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius est enim utique, si totâ die foderent, quàm totâ die saltarent. Sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipsam requiem omnia faciens, abstine ab opere servili. Omnis enim, qui facit peccatum, servus est peccati; utinam hominis, & non peccati.* in psal. 32. Et iterum ibi: *Dicitur tibi, ut spiritaliter observes Sabbathum, non quomodo Iudæi observant, carnali otio; vacare enim volunt ad nugas atque luxurias suas. Melius autem faceret Iudæus in agro suo aliquid utile, quàm in Theatro seditiosus existeret; & melius fœminæ eorum die Sabbathi lanam facerent, quàm totâ die in Neomeniis suis impudicè saltarent.* de Decem Chordis, cap. 3. Non ignoravit hæc Augustini loca Bellarminus, utpotè quæ ipsemet, ex aliorum objectione tamen, suppeditavit, adque ea respondere est conatus, & tamen hanc scandalosam non erubuit facere Propositionem: *Non tenemur diebus Festis ex præcepto peculiari ad non peccandum, sive ad actum contritionis vel dilectionis DEI.* Quamvis enim aliquo ostendere laboravit responso, hæc Augustini testimonia suæ Propositioni non esse contraria, nihil tamen nisi verba dedit, neque Augustini Sententiam suæ potuit sistere consentaneam. Dum enim ad priora duo loca reposuit, *loqui Sanctum Patrem de præcepto Sabbathi, ut est generale præceptum, spiritualiter significatum per Sabbathum Iudæorum*; quis non videt, vanum esse hoc effugium? Agnoscit ipse, *Ius Divinum requisivisse, ut unus hebdomadæ dies cultui Divino dicaretur, quia non conveniebat, ut servaretur Sabbathum; Itaque Sabbathum ab Apostolis in diem Dominicam esse versum.* Quæ igitur ratio moralis ad Sabbathi sanctificationem in Veteri Testamento pertinebat, ea etiam in Novo locum habet quoad diei Dominicæ sanctificationem, ut adeò nullum in utroque discrimen faciat aliquam diversitatem. Ad posterius sic respondet: *Augustinum non velle dicere, absolutè melius esse, seu minus malum, die Festo operari aliquid utile, licet tali die prohibitum, quàm aliud facere peccatum.* Pro ratione addit: *Potest enim fieri, ut aliquando sit melius, aliquando pejus. Nam minus malum est, die Dominicâ operari in agro, quàm blasphemare Deum; sed è contrario majus malum est, operari in agro die Dominicâ, quàm officiosè mentiri. Et tamen Augustinus videtur velle, minus malum esse, die Festo operari aliquid ex genere suo utile, quàm peccatum aliquod committere. Vult ergò dicere, magis pugnare quælibet peccata cum fine sanctificationis Sabbathi, quàm opera ex se utilia, quæ tamen prohibentur in Sabbatho. Nam finis est quies mentis in DEO, cui quieti magis repugnat quodlibet peccatum, quàm distractio operis corporalis. Et ideò magna est cæcitas Iudæorum, qui abutuntur otio Sabbathi ad multa peccata committenda, ut Augustinus dicit.* Etiamsi nihil ad hoc Bellarmini responsum addatur, Lector qualicunque etiam Judicio præditus nullâ præviâ Censurâ videt, in luctâ versari Bellarminum, quorsum se vertat, ignarum. Videlicet peregrinam augustissimo Doctori adfingere Sententiam non audet, fateri coactus, ex mente Ejus *esse malum minus, die Festo operari aliquid utile ex genere suo, quàm aliquod committere peccatum*; & tamen eo elabi se posse existimavit, si *absolutè* id non melius esse vel minus malum dicat, cùm nemo non agnoscere debeat, absolutè & in se minus

nus malum id esse, eo etiam tempore factum, quo in specie & certas ob causas prohibetur, aliàs autem non prohibitum, sed licitum, imò mandatum, ad vitæ conservationem utile & necessarium, quàm id, quod nunquam licet, & in se nullo non tempore est prohibitum, hominem statu Gratiæ Divinæ dejicit, ac spe Beatitudinis æternæ privat. Estque illud è medio *Theologiæ moralis*, ut hoc Seculo non sine maximo plurium scandalo, nec minori publicæ rei Christianæ detrimento docetur, desumtum, quod Bellarminus scribere est ausus, *majus esse malum, die Dominicâ operari in agro, quam officiosè mentiri*; quid enim de mendacio, quod officiosum dicitur, ex Augustini mente sit statuendum, infra fortè dabitur occasio ostendendi. Illud nunc saltim addo, hanc Bellarmini Propositionem, *Non tenemur diebus Festis ex præcepto peculiari ad non peccandum, sive ad actum Contritionis vel dilectionis Dei*, à recentioribus Theologiæ Moralis Tractatoribus, etiam laxissimis, quantum ex plurium evolutione constat, non defendi, sed quasi à nemine scriptam silentio præteriri, non certè aliam ob causam, quàm quod nimis scandalosa iis fuit visa, ac sine rigorosiori Examine vix permittenda, si non planè obelo notanda, & quidem jure meritissimoque suo; utut aliàs non pauca habeant *Theologiæ Moralis* Scriptores moderni, quæ sanctificationi Sabbathicæ non parum incommodant, eamque multis modis impediunt. Notavit aliqua rigorosissimus talium laxitatum Examinator *Sinnichius*, Professor non ità pridem Lovaniensis, ex quo in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* ad alia Decalogi præcepta quædam fuerunt excerpta, observatu dignissima. Juvat nunc ea addere, quæ in specie ad hoc de sanctificatione Sabbathi seu diei Dominicæ præceptum pertinent, ut & hic novitas Doctrinæ circa hoc punctum orbi Catholico magis magisque innotescat. Et quidem ex *Caramuele* dignum censurâ observavit, quod in eorum se innuit propendere placitum, *qui desiderant Dominicas dies à meridie liberas esse*, & quod, cùm Neoterici cujusdam retulisset Sententiam, adserentis, *Puellas excusari ratione pietatis in die Festo suentes, vel aliud opus ad vitandum otium facientes, ne ad fenestras se exhibeant conspiciendas*, indè pro se subintulerit: *Si puellæ possunt piè operari die Festo ad otium vitandum, & negarriant aut se conspiciendas exhibeant; rustici etiam & mechanici poterunt ad vitandum otium, & ne ludendo aut potitando, pejerandi, blasphemandi, aut rixandi manifesto se exponant periculo, dummodò id fiat clàm, domique ad scandalum vitandum*: Ex Tamburino sequentia notavit, scribente: *Si Barbitonsor diebus Festis neget suis Parochianis suum laborem, facilè à plerisque relinquetur, cum notabili jacturâ lucri; quæ ratio militat etiam pro Sutoribus, qui, nisi calceos novos suis Parochianis imponant, ab ipsis facili negotio derelinquentur.* Et iterùm: *Arridet mihi sententia* Laymanni, *qui, cùm dixisset, Pictores contendere suam Artem unam esse ex liberalibus, concludit, esse probabile, licere sine magno adparatu die Festivo pingere.* Adhuc semel: *Quoniam scio, eundem* Laymannum *docere, perpetuò amentibus fas esse, opera servilia diebus Festivis imponere; idem concessurus esset, propter parem, imò majorem rationem, infidelibus, ut in terminis idem docet* Diana, *& ideò non improbabilis ea est Sententia.* Addit de suo Sinnichius, *Si non improbabilis, procul dubio juxta Tamburini maximas alibi relatas, in Praxi omninò tuta & secura, imò & sine ullo scrupulo amplexibilis est.* Et postquam hanc *Laymanni*, & ex parte *Tamburini* sententiam contra naturalem Legis Sabbathicæ moralitatem esse docuit *Sinnichius*, ex eodem *Tamburino*, quid de servis fidelibus circa laborem vel quietem in Sabbatho statuat, porrò ostendit, hunc in modum scribente: *Per duas horas vacare servilibus operis, mortale non esse, est recepta jam nostrâ ætate sententia; quia modicum tempus judicatur duarum horarum spatium, comparatione viginti quatuor horarum.* Sinnichius loco censuræ subjungit: *Quid si Herus quispiam habens duodecim servos injungat eis laborem integræ diei, adsignando singulis duas horas successivè ac divisivè?* Nec hunc, nec illos *Tamburinus* reputat mortalis culpæ reos, subdens: *Notat Sanchez, mortale non esse, singulis Festis per duas operari horas, quamvis animo fixum teneas, id toto Anno efficere velle, & de facto efficias. Ratio est, quia unus dies Festus non adnectitur cum alio ad hujus materiæ gravitatem efformandam. Non absimili modo advertit* Bovacina, *Dominum injungentem laborem duarum horarum viginti famulis simul, non peccaturum mortaliter, quia opus unius nequaquam unitur cum opere alterius; idemque erit, si singuli successivè per moram modicam in eodem die laborent, etiamsi uno post alterum laborante totus occupetur dies, quia pari modo unius opus cum alio non convertitur.* Quid censuræ loco, ex Augustino

in Saulè ExRege, lib. 1. cap. 107. pag. 431. & 432

impri-

imprimis, addat *Sinnichius*, non exscribo, cùm cuivis attento Lectori non ignotum esse putem, quid circa hanc Philosophiam Anti-Sabbathicam satis crassam advertione & animadversione dignum sit. Id tantum nunc insuper addo, quod ex eodem *Tamburino*, contra Ejus impugnatorem, *Vincentium Baronem*, Ordinis S. Dominici, nuperus Scriptor, *Lucius San-Marco*, in pro Tamburini Doctrinâ Vindiciis, adduxit, hanc proponens Quæstionem: *An, sicut damni gravis timor opera nobis concedit servilia, sic etiam concedat spes lucri notabilis; an scilicet, sicuti, ne vindemiam amittam, die Festo eam facere possum, sic etiam labori possim vacare, quo notabile lucrum mihi conquiram?* Addit pro limitatione, *De lucro extraordinario sermonem facimus; nam secùs cuilibet artifici pro diurnâ mercede integrum esset laborare, quod ex hoc capite præciso ei nequaquam concedi certum est.* Respondet autem Tamburinus, *Quamvis Svarez & Castropalaus inclinent in Sententiam negativam, adfirmativam tamen esse probabilem. Ratio est, quia, ut rectè notat Diana & Sanchez, notabile lucrum amittere, grave est damnum. Adde, non existimandum esse, piam Matrem Ecclesiam velle fideles obligare ad rem oppidò difficillimam, qualis est, ob abstinentiam servilium operarum, amittere centum, ducentos, mille, plures aureos, quod certè consequenter esset dicendum, si semel probabilitatem nostræ denegaveris Sententiæ.* Ita nimirùm philosophantur Scriptores hodie Anti-Sabbathici, verè Antinomi, plus lucro & damno temporali, quàm Divinæ Voluntati in Sabbathicæ sanctificationis exercitio deferentes, digni, qui, dum æternæ quietis prægustum tam viliter æstimant, ac laborem aliquatenus lucrosum animæ quieti anteponunt, ab æternâ etiam quiete olim excludantur.

vid. Honor. Fabri Apolog. Doctr. Moral. p. 481.

TOMI